A very faint, light gray watermark of the Parthenon's columns and pediment is visible in the background.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

<http://www.archive.org/details/monumentaveteris00torr>

MONUMENTA VETERIS ANTII

HOC EST

INSCRIPTIO M. AQUILII

E T

TABULA SOLIS MITHRAE

Variis Figuris & Symbolis exsculpta

*Quæ nuper inibi reperta, nunc prodeunt Commentario
illustrata, & accuratè explicata.*

ACCEDUNT DISSERTATIONES

DE BELENO

Et aliis quibusdam Aquilejensium Diis.

E T

DE COLONIA FOROJULIENSIS

A U C T O R E

PHILIPPO A' TURRE

Ex eadem Civitate ForoJulio.

ADDITA SUNT FRAGMENTA INSCRIPTIONUM

FRATRUM ARVALIUM

Recens in Agro Romano effossa.



ROMÆ, ANNO MDCC.

Novis Typis Cajetani Zenobii, propè Seminarium Romanum.
SUPERIORUM PERMISSU.

АТИЭМИНОМ
ПТИА ГИЯВТЕУ
ЧЕЗОМ

ДИЮА М ОГРНСЦ
Г.

ЭЛЕНТИИ ГИЮ АЛЧАТ
Большевистская партия
Коммунистическая партия
Социал-демократическая партия

БИДДЕЗИ
Большевистская партия
Г.

ЗЕСОЮ ЗЕД АМЮЮЗ
Большевистская партия
Г.

БИДДЕЗИ
Большевистская партия
Г.


ДИЮА М ОГРНСЦ
Большевистская партия
Г.

БИДДЕЗИ
Большевистская партия
Г.

БИДДЕЗИ
Большевистская партия
Г.

INNOCENTIO DUO DECIMO PONTIFICI MAXIMO.

PHILIPPUS A' TURRE FELICITATEM.



*AXA hæc argu-
mentis profanæ an-
tiquitatis exsculpta, eorumque
mibi tentatam interpretationem,*

§ 2

Tibi

*Tibi PONTIFICI MAXIMO, & quæ augustinor laus est,
etiam OPTIMO, offerre non
sum veritus, tuoque Nomine
inscripta veluti consecrare, quòd
sciam, vel ipsi Deo lapidem
olim èrectum fuisse in titulum,
& nostra quoque sacra religioso
cultu lapidibus superimponi. Ea
quidem cùm ex Antii ruderibus,
quæ in nobilissimi Portus
structuram migrare jussisti, nu-
per sint effossa, Tibi uni acce-
ptum referunt, quòd hac quan-
tulacumque lucubratione illu-
strata in lucem temporum pro-
deant. Ecquid verò debitum;*

BEA-

*BEATISSIME PATER, ne
ad MONUMENTA VE-
TERIS ANTII majestatem
aliquandò sis demissurus, qui ut
Antium ipsum ad prisci nomi-
nis famam revocares, omnes
Pontificiæ liberalitatis sinus ex-
pandisti? Nam ubi adhuc su-
persunt vestigia antiqui Portus
Neroniani, exaggeratis in ma-
ris lubrico immensis molibus,
producloque in altum ingenti
quasi brachio, Portum Antio
reddidisti, jam expiato veteri
vocabulo nobis INNOCEN-
TIANUM appellandum. Se-
curitati porrò consuluisti Propu-*

gna-

gnaculo construc^o, qu^a se Portus aperit; & Fonte per longa
& abrupta itinera marmoreæ
moli induc^o, aquationum compendia
navigantibus procura-
sti. Ità sanè, BEATISSIME
PATER, dūm populis com-
mercia recludis, admove^s mu-
nificentia ingenio disjunctissi-
mas terras; & parata navibus
tutissima statione, Tyrrheni li-
tora infamia naufragiorum ab-
solvis. Ut jam nautæ res salvas,
bona, vitamque ipsam tuo be-
neficio imputent; & denuò An-
tium in Te Fortunam suam,
sed non ut pridem profanam &

im-

*impiam, nanciscatur. Præclara
hæc quidem, & INNOCEN-
TIO digna: at quibus, PA-
TER SANCTE, Urbem ex-
ornas, & Orbem imples, illu-
striora sunt & maxima, quan-
tum ipse Maximus es. Mira-
mur & loquimur Aedificia pu-
blica immensa molitionis ex-
structa, Magistratus & Tribu-
nalia certis sedibus donata, ve-
ctigalia remissa, auro interdi-
ctum dignitatibus, jura san-
guinis posthabita, pauperes au-
tem veluti in sortem Propinquor-
um vocatos, & magnificè ha-
bitare jussos. Prætereo innume-*

ra pietatis opera , vigilantiam
& nunquam fractum à curis
Apostolatus animum , clemen-
tiam , & equitatem , sanctimonii-
am , ceterasque virtutes supra
hominum conditionem amplissi-
mas . Ea enim propè divina
sunt , quibus Cælum ipsum de-
mereris : cum regiones quam-
plurimas & provincias , tuis
auspiciis bello subactas , Chri-
sto asseris : magnum Principem
Sacris Romanis imbutum flo-
rentissimo regno inauguras : Ca-
tholicos domo & aris per sum-
mum nefas depulsos præsenti
subsidio foves : & ne fines tuæ

pie-

pietatis simulque munificentia
angustiores sint quam Mundi,
Evangelium, commeatu & lar-
go censu auctum, in remotissi-
mas Asie & Africæ oras trans-
mittis. Nimirum ita tuum est,
BEATISSIME PATER, de
toto Orbe terrarum benemereri,
ut crediderim, Deum O. M.
ideo potissimum Te incolumem
nostris votis nuper reddidisse, ne
hoc anno Seculari populis reli-
gionis caussa undique in Urbem
confluentibus, alia manu quam
tua Cœlum referaret. Det vero
summus idem rerum Arbiter, ut
longum videoas quæ nobis mu-

*nera contulisti , majoraque in
dies conferre possis : nobis ser-
vet magnum animum , magnas
virtutes , Maximum Pontifi-
cem : & INNOCENTIUS
XII. diù vivat , cui vivere be-
nefacere est .*

Romæ VI. Kal. Julias Anno MDCC.

Imprimatur;
Si videbitur Reverendiss. Patr. Mag.
Sac. Pal. Apost.

*Dominicus B. de Bellis Episc. Melphicæ.
Vicesgerens.*

Imprimatur,
Fr. Gregorius Sellari Mag. & Re-
verendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.
Paulini Bernardinii Soc. Ordin.
Prædic.

P R A E F A T I O.



NNO superiore, quo per vernum tempus anni
mi caussâ Antii degebam, cum jussu Princi-
pis antiquissimæ urbis rudera in novi Portus
structuram deportarentur, inventa sunt duo
præclara vetustatis monumenta; ut grandia
molimina Optimo Pontifici etiam cum pro-
ventu literarum debereimus. Primum refere-
bat Inscriptio M. Aquilii, multipli eruditio-
nis charactere illustrem; alterum figuras quasdam & imagines, quarum faciem
ac significationem lapis in plura fragmina disiectus curiositati
subducebat. Exscriptum diligenter Aquilii elogium, sæpius ani-
mo reputabam, num Eruditorum notitiæ exponere, & bono
fato ab ævi longioris caligine erectum publicè lucis usurâ dona-
rem. Tot siquidem præclara dignitatum nomina, obscura & in-
solens notarum quarundam forma, & Aquilius ipse nondum
Orbi literario notus, industriam operamque sibi aliquam im-
pendi, deposcere videbantur. Dum hæc mecum agito, atque
otium quæro, quo à penso fermè diurno aliarum occupationum
exolutus ad mitiores eruditæ antiquitatis curas traduceret;
Eminentissimus meus Card. IMPERIALIS, ut cœlo lætiori af-
flictam valetudinem leniret, in Neapolitanum secessum digres-
sus, mihi acerbam, Musisque ipsis ingratam, vacationem fecit.
Quam uti mœrore ægram, ne etiam incertem ignavamque transi-
gerem, jam liberiorem studiorum usum adeptus, non ultrà distu-
li meditatum opus pertentare. Interea Dominicus Quartironus,
publicus in Urbe Matheseos professor, fragmenta lapidis Antiatini,
quæ memorauit, cum aliis subinde eruderatis coacta, in inte-
gram tabulam componit, ejusque typum concinnè delineatum
mihi perhumaniter elargitur. Cum facile intellexissem iis figu-
ris & symbolis Solis MITHRÆ simulacrum repræsentari, jam
que Aquilium tunc impensis urgerem, Mithram quoque po-
sterioribus curis destinavi, ut duo hæc MONUMENTA VE-
TERIS ANTII sociâ veluti fœturâ in lucem prodirent. Quod
primam in M. Aquilium elucubrationem spectat, ea vario &
multijugo eruditiois apparatu absolvitur; nam per singula ar-
gumenta, quæ lapidi inscribuntur, ire oportuit, & vetusta Antii
tem-

tempora, Accensorū genera, patrimonia Principum, opera publica, terrestrem militiam ac maritimam, coloniarumque patrocinia percensere, atque in unum corpus componere. In quibus sanè sive ordinem spectes, seu res ipsas, an quidquam publici saporis futurum insperserim, potius legentis judicium expectabo, quām anteuertam. Hoc unum tamen quammaxime ab illo postulo, ne crimini tribuat, quod non semel ad aliena progressus extra chorū saltare videar. Siquidem historias non teximus, aut disputationem, in quibus nefas sit orationis cursus abrumpere, & animum Lectoris intempestivis narrationibus dividere; sed philologicos commentarios scribimus argumenti multiplicis, quos ipsa rerum atque eruditio varietas commendat. *Amœnitates studiorum querimus*, ajebat Plinius in præfatione Operis naturalis, quas etiam per occasionem in diverticulo captare licet; ut iter agentibus evenire solet, qui à viâ insplendidas ædes, aut pratum floribus consitum deflectunt. Si bona hæc sunt, ad quæ præter semitam duceris, pretium in facto est: si mala, quin præterea, nemo vetabit. De Mithrā qui secundam Operis partem complectitur, nihil hīc præludii loco dixerim, cùm satis videri possint quæ initio dissertationis exposui. Cetera quæ in hoc volumine continentur, extrā primarium argumentum, non tamen invitis Musis, sunt addita. Nam res patrias reparare, atque è tenebris vetustatis eductas in novo lumine collocare, sacrum id religiosumque est apud omnes, qui de literis judicant. Neque præterea in diversam omnino scenam transivimus. Prima dissertatio BELENUM narrat, Deum præsimem veterum Aquilejensium, de quo cum nonnulla olim in adversariis adnotassem, eadem modo novis accessionibus aucta, opportunè ob argumenti affinitatem post Mithram protuli; nam Belenus Apollo est, Mithra Sol, uterque verò unum idemque apud Gentilium theologos nūmen. Belenum principem alii Aquilejenses Dii, veluti stipatores sequuntur; quibus saltē obscura quædam, neque adhuc evulgata insanè divinitatis nomina pretium facient. Occasionem tractationis de Colonia FORO-JULIENSI in ejus limine indicavi. Porrò hisce opusculis si quid gratiæ inest, id ex vetustis, quæ nunc primùm edita sunt, monumentis habent. Belenus alijs prodit, quam haec tenus antiquatum scrutatores effinxerint; nisi dum ē longinquo originem petit, ambitiosa ostentatione speciem veritatis corruperit. *Quibusdam*

dam saltem leniniscis ac parergis , quod in Deorum aris veteres factitabant, utcunque exornatum proferimus . In saxis aliorum Deorum hoc ipsum tentamus, additis scilicet adnotationibus ad eorum interpretationem opportunis. Coloniæ Forojuliensis pomerio, at non prouinciæ Forojuliensis finibus excessi. Sanè illius tantummodo lapides cogitaueram , patriæ urbis prisca monumenta utcumque illustraturus ; sed materiâ inter scribendum præter opinionem subnascente , Aquileja , & Concordia in consortium vocatæ, uberiori ad metendum segete campum locupletarunt.

Hæc Operis totius occasio est & series . Quæ præfari non nullis sollemne est livori averruncando, & censuræ deprecandæ, mihi transiuntur. Illud juxta ambitiosum existimo ac laudem querere: nam plurimùm de te sentias necesse est , qui alias in inuidiam te posse excitare putas . Censores non perhorresco, si levia sectentur , aut non jure arguant . Sin quid mihi dignum virgulâ est, manum non subduco . At verò molliori animadversione mecum fortassè agendum , quoniam primum ingenii monumentum hoc est, quo in acta exeo; & ab alienâ palæstrâ in castra Musarum veluti transfuga dilapsus sum. Adde, quod exactis feriarum diebus, dum priores curæ identidem redeunt , stilus in diversa jactatus præpopero cursu quamplurima ad extremum ceræ perduxit.Ut tamen fatear, inter has vel ingenii, vel temporis difficultates , levamentum opemque mihi non modicam attulit prompta facilisque copia librorum, quibuscum intra easdem ædes veluti contubernio jungor . De Card. amplissimo JOSEPHO RENATO IMPERIALI nunc loquor , qui cùm magnas virtutes, & excelsas undequaque dotes in censu animi numeret , ut rem quoque literariam patrimonium suum faceret,Bibliothecam numero & præstantiâ voluminum instructissimam , maximam, scilicet & nobiliorem celeberrimæ Slusianæ partem, propriæ superaddidit;ex qua cùm mea hæc omnia, tanquam è penu locupletissimâ,petita sint,ut sibi eadem accepta referrem,hac eximiâ liberalitate effecit.Tametsi plura sunt & longè majora quæ Principi Eminentissimo debeo , quâm ut tenuem hunc obscurumq; ingenii fœtum in suo natum fuisse,educatumque profitear . Dudum enim in Ferrarensi amplissimâ Legatione,quam continentí famæ præconio ultrâ sexennium obivit,me audiendis judicandisq; ejus vice forenibus causis præfecit; & nunc quoque in Urbe sanctioribus

ribus studiis, quæ in judiciis sacrarum questionum versantur, operam meam qualemcumq; admoveat: quæ sanè beneficentia argumenta, ad diutini obsequii gloriam exornandam, ampliora mihi aut cumulationora esse nequeunt. Verùm nec prolixa officia, neq; laudationes locus hic patitur. Interim dum instituti mei rationem expono, fortasse apud severiores homines offendam, quod à seriis abductus ad inanes, uti vocant, literas, & inhospitam sterilemque antiquitatis solitudinem diverterim. Nolo viros doctrinā, pietate, rerum usu, ac dignitatibus illustres recensere, qui in veterum memoriis pervestigandis summam collocarunt operam, & volumina nullo unquam tempore interitura ediderunt; at profectò si grauiora studia cum jucundioribus hisce distingui-
mus, animumque quandoque ad remissionum diverticula tradu-
cimus, quæ invidia aut reprehensio esse possit, nescio. Monitum
Quintilianī sequimur, & defensionem, quâ ipse lib. i. instit. orat.
cap. 7. in fin. Tullium, Cæsarem, ac Messallam de rebus Gram-
maticis scribentes vindicavit, potiori jure usurpamus. Non ob-
stant hæ disciplinæ per illas euntibus, sed circa illas hærentibus.
Quid verò de nostris censoribus judicabis, qui eas tantummodò
occupationes in pretio habent, quæ lucrum faciunt, aut viam,
ambitioni parant; & per fastidium amoeniorum artium superci-
lli auctoritatem querentes, adeò rudes ineptique sunt, ut nume-
rum ipsum Musarum ignorent, & barbaras terras Castalium ne-
mus, bicipitemque Parnassum putent? Sed de his parcius, ne vi-
dear potius seculi genium, quām hominum quorundam ingenia
perstringere. Satis quoque ad præludium Operis; jam enim In-
scriptionem M. AQUILLI aggredimur, cuius literæ, in marmore
tres pedes lato quatuor longa eleganti scalpro exaratæ, hujus-
modi sunt.

M.AQVILIO.M.F

FABIA. FELICI

ACENSVS. EQVIT. ROMAN

PRAEF. CL. PR. RAVENNAT

PROC. PATRIM. BIS. PROC. HERED

PATRIM. PRIVAT. PROC. OPER. PVB

PRAEP. VEXILLAT. P. P. LEG. XI. CL

FR. PATRON. COL. OBMER. EIVS

ANTIAT.PVBL

*Marco Aquilio Marci Filio Fabiâ Felici , à Censibus
Equitum Romanorum, Praefecto Classis Praetoriae
Rauennatis, Procuratori Patrimonii bis, Procuratori
hereditatium Patrimonii priuati , Procuratori
Operum publicorum , Praeposito Vexillationibus ,
Praeposito Legioni undecimae Claudioe Fretensi ,
Patrono Coloniae , ob merita eius Antiates publicè.*

M:

P A R S P R I M A
DE INSCRIPTIONE
M. A Q U I L I I
C A P U T I.

Ab Antio initium operis. Ea Urbs olim Volsorum, hinc Colonia Civium Romanorum, deinceps veteranorum facta, unde Nummus Neronis exponitur. An Romanis novae Coloniae inductæ & quando. Antium natali Neronis, & Caligula nobilitatum, & Romanorum Principum secessu. Fortunæ Antiatis Templum celeberrimum. Quod Rustici denarius illustratur. Fortunæ Antiatinæ geminæ dictæ & Sorores. Nova explicatio Nummi C. Antii. Nomina familiarum a loco originis deducta. De Sardo Patre, & appellatione Sardiniae, unde Bochartus correptus. Inter Penates etiam Dei majores a Romanis adscripti. Communis opinio de Fortunæ Antiatinæ sortibus reiicitur. Quo modo sortes redderentur. Locus Svetonii emendatus, vel explicatus. Nomen sortis sæpe pro oraculo acceptum. Cur Fortunæ Antiates geminæ. Fortuna Equestris apud Antium. Cluverius notatus, & Tacitus defensus.

 *UONIAM mihi constitutum est inscriptionis M. AQUILII partes singulas continent explicatione complecti, & lapidis literata veluti spatia stylo pergrare, ab ANTIO initium ducam, cui & præclarum hoc monumentum, & occasionem scribendi acceptam refero. At ex his quæ alii de ejus antiquitate, celebri fama, rebusque gestis jam tradiderunt, pauca admodum decerpam. Antium nobilissi-*

A

ma,

ma, ut ait Halicarnasseus initio lib. 8. quondam fuit Volscorum Urbs, quæ exinde sub Tarquinio Superbo in commune veteris Latii nomen concesserat, crebris bellis cum Romanis pro libertate confectis variâ fortunâ, demum in eorum potestatem devenit, Civiumque Coloniam semel iterumque recepit. Legimus apud Livium lib. 8. missam hanc novam Coloniam, cum eo ut Antiatibus permitteretur, si & ipsi adscribi vellent. Quod in honoris atque existimationis argumentum factum fuit. Non enim semper veteres Cives, in Coloniarum deductione, mixtim sacra, & leges cum Romanis habere permittebantur. Tunc id concessum, cum jura Quiritium tributa, Coloniis scilicet Romanis, non Latinis. Itaque Antiatibus uti jure Quiritium, si vellent, permissum, uti explicat Siganus de veteri jure Ital. lib. 2. cap. 3. Sane & supra ceteras aucta privilegiis, & honestata Antiatum Colonia fuit. Nam cum difficillimo Reipublicæ tempore etiam Coloni, qui *sacrosanctam vacationem* dicebantur habere, dare milites cogerentur, nullius praeter Antiatem Ostiensemque *vacatio observata est*, apud eundem Livium lib. 27. At postea infrequentia Colonorum, ut indicat Tacitus lib. 14. annal. c. 27., laboranti subvenit Nero, *adscriptis veteranis è Praetorio, additisque per domicilii translationem ditissimis primipilaribus*, ex Suetonio c. 9. Quamuis insolens esset Romanis, in eam Coloniam, quæ esset auspicato deducta, Coloniam novam inducere, attamen ubi casu aliquo diminuta, vel exhausta reperiretur, novi in eam subinde Coloni iterum adscribantur. Quod in Coloniis militaribus maximè obtinuit, quas, tradito primum exemplo à Sylla, Cæsar & Augustus post bella Civilia, ut emeritos milites agris donarent, frequentissimas, & sequuti deinceps Imperatores traduxerunt. Hujusmodi hæc ex veteranis ad Antium collocata Colonia fuit. Deductam verò ex legione IV. Italica conjicio ex numismate ejusdem Imperatoris apud Harduinum de Nummis populorum, & Urbium pag. 55. cum inscriptione:
COL.

COL. ANTIAT. LEG. IIII. ITALICA. Quod eâ occasione percussum facilè intelligo. Novos hos Colonos fortassè addidit Nero, ut Patriam suam, infrequentiam detritam, illustriori Civium accessione celebrem florentemque redderet. Ideò enim, & veteranos è Prætorio, quod nobilissimum militiae genus est, & ditissimos primipilares transmisit, quamvis irrito successu, *dilapsis*, ut ait Tacitus, pluribus in Provinciis in quibus stipendia meruerant.

At Urbis Patriæ utilitati, & splendori magnificentius hic Imperator consuluit, exstructo Portu, quem nisi operis sumtuosissimi tradidisset Suetonius cap. 9. satis superque ingentia, quæ adhuc extant, vestigia testarentur. Nunc liberalitate & providentiâ SS. D. N. INNOCENTII XII. in imaginem pristinæ magnificentiæ excitatus, denuò commercia populis, nautis securitatem restituit. Natum porrò Antii Neronem scribit idem Auctor, ideoque & hunc locum, ubi ipse generatus erat, puerperio Uxoris Poppeæ delectum, ibique ob natam filiam ludicum Circense Claudiæ Domitiæque genti institutum, subdit Tacit. lib. 15. annal. cap. 23.

Verùm Imperatorum natalibus huic Urbi claritas jam effulserat. Nam & Cajum Caligulam Antii ortum ex actorum, & publici Instrumenti auctoritate, contrà Plinium qui eum in Treveris natum scripserat, propugnat ideinmet Tranquillus in vitâ cap. 5. Lipsius tamen ad Tacit. lib. 1. num. 141. in Plinii sententiam concessit, fortè ut proximæ genti Trevirorum hoc decus assereret. At Caius Antium omnibus semper locis atque secessibus prælatum, non aliiter quam natale solum ita dilexit, testante eodem Suetonio; ut etiam sedem, & domicilium Imperii tædio Urbis eò transferre destinaverit.

Pridèm verò Principum, & Senatorum otio, & secessui delecta fuerat hęc Colonia. Do verba Strabonis lib. 5. qui scripsit æuo Augusti: *Antiate opidum Principum otio atque vacationi ab Civilibus occupationibus dicatum est*, ideo-

que magnifica & splendida inibi sunt ædificia extructa per multa, excipiendis eorum secessibus. At sanè habet hodie Antium in nobilissimâ Villa Em. Cardinalis Costaguti, quo hanc veterum magnificentiam, & amoenitatem in invidiam provocare possit. Ita exinde & sequutis Principibus *Antium* in deliciis fuit. De Caio, & Nerone jam memoravimus. Franciscus Blanchinus Veronensis Canonicus Basilicæ S. Laurentii in Damaso, egregiis scriptis jam editis plurimum de remotiori antiquitate benemeritus, in eruditâ dissertatione de lapide Antiati L. Coccei, quam anno elapso emisit, suspicatur, Trajanum cum oram maritimam a Centum Cellis ad Bajas, quâ portubus, quâ viis, quâ ductibus aquarum, quâ Coloniis additis, vel restitutis exornaverit, etiam Urbi *Antiati* nobilitatem restituisse. Ostendit præterea Hadrianum, præ ceteris, Antii secessum excoluuisse, atque inibi magnificentissimam Regiam, ad quam lapis Coccejanus pertinet, habuisse. Et ex Philostrato in vitâ Apollonii Tyanei docet, in eam regiam confluxisse plures amicos & familiares ipsius Apollonii, qui incolas præceptis philosophiæ imbuebant.

Addiderim his Imperatoribus, qui vel Antiati secessu delectati, vel eam Urbem studio & beneficiis sunt prosequuti, Titum & Domitianum fratres. Primi indicium prodit nummus ipsi cusus ab Antiatibus, cum epigraphe: COL. ANT. Hunc Goltzius in Thesauro pag. 137. Coloniae Antipoli tribuit, ab Harduino reprehensus pag. 55., cum Antipolis Colonia non fuerit. De Domitiano testatur Martialis lib. 1. epigr. 5. ubi loca recenset, quæ maximè secessibus suis frequentavit hic Imperator. Versus opportuniore sede mox reponam.

At famâ & celebritate hanc Urbem in primis illustrem reddidit apud veteres *Fortunæ* templum, atque *Sortes*, ideo *Antiatinae* appellatae. Horatius lib. 1. od. 35. o diva gratum quæ regis *Antium*; quo loci vetus Commentator, hujus *Fortunæ* Templum maximè celebre multorum etiam Principum viro-

viro rum donis exornatum fuisse tradit. Alii fortunas Antiates plurali nomine efferunt, easque vocant Sorores. Martialis describens loca Domitiano ad delicias quæsita ait lib.5. ep.1.

*Seu tua fatidicæ discunt responfa sorores
Plana suburbani quæ cubat unda freti.*

Quas Sorores male ad Prænestinas Fortunas detorquet Be-roaldus, nam à Præneste longe abest mare. Geminæ sane prodit nummus familiæ Rusticæ, cuius iconem æri incisam exhibeo in tabulâ numism.nu. i. Anticæ partis inscriptio est: Q. RVSTIVS FORTVNAE ANTIAT. & quia in aversâ parte expressa est Ara cum inscript. FOR.RE. hoc est fortu-næ reduci, & circa marginem CAESARI. AVGVSTO. EX. S. C. ideo duo ista simulacra *Fortuna* nempe reducis, & *Antiatis* sive *Antiatina*: hic exhiberi putat Ursinus, qui eundem nummum profert in fam.Rustiâ pag.442. eaque in Augusti gratiam impressa à Q. Rustio, qui sub Augusto triumvir cudendæ monetæ fuit. Verùm Jacobus Oiselius in Nummis select. Tab.54. num. i. potius arbitratur, & me-ritò , duas illas figuræ, cum Torrentio ad Horatium loco memorato, accipiendas ambas pro simulacris *Fortunarum Antiatium*, quæ nempe duæ fuerunt. Undè in veteri inscrip-tione apud Gruterum pag.72. num.3. FORTVNIS AN-TIATIBVS M. ANTONIVS. RVFVS. AXIVS. donum dicat. Sic apud Tacitum ubi Neroni, ut retulimus , natam Antii filiam ex Poppæâ scribit, legere est decretum à Sena-tu, ut *Fortunarum effigies aureæ in solio Capitolini Jovis col-locaarentur*. Sic Martialis Sorores vocat, & Macrobius *For-tunarum* apud Antium meminit, quæ demum *Sortes Antiatinæ* Svetonio dicuntur, locis posteà expendendis. Has verò duas fuisse ostendit hic ipse Q. Rustii denarius . Huc usque fermè ex Oiselio .

Fortunas quoque Antiates in C. Antii nummo, cuius typus est in tab. num. i i. ex Ursino pag.18; expressas vide-re mihi videor . In parte anticâ duo scalpta sunt simulacra

cum

6 DE INSCRIPTIONE

cum inscriptione DEI PENATES, in alterâ effigies *Herculis* clavâ, Leonis exuviis, & armorum spoliis insignis, addito C.ANTII nomine. Fulvius expressas Penatum imagines putat, vel quòd Antia familia Lanuvio, ubi simulacula Penatum servabantur, oriunda fuerit, vel quòd legem Antius tulerit, quæ ad augendam Religionem deorum Penatum pertinuerit. At ego Deos illos *Penates* ipsas esse duas *Fortunas* Antiates existimo. Gentem Antiam quamvis Lanuvio oriundam suspicetur Fulvius, rectius, uti opinor, Spanhemius dissert. 6. pag. 535. ab Antio profectam, & appellatam tradidit. Nam & nomen ipsum id suadet, & mos pluribus Romanis familijs acceptus, quæ ortus sui memoria non semel aut loci natalis appellatione, aut deorum Patriæ præsidum simulacris, voluerunt ad posteros propagari, ut congestis exemplis ostendit idem eruditissimus Author, aliaque profert Sigonius de nomin. Roman. pag. 372. editionis Basil. an. 1559. Quod observatum & Britannicæ incolis, qui testante Cæsare lib. 5. de Bell. Gallic. omnes fere iis nominibus Civitatum appellati quibus orti ex Civitatibus eò pervenerunt, & bello illato ibi remanserunt. Hinc conjicias licet, Hortensiam florentissimam in Republicâ gentem ab Hortâ veteri Etruriæ & celebri opido, quod nomine derivativo, uti censet Cluverius, Hortanum Plinius lib. 3. cap. 5. vocat, traductam & appellatam fuisse. Ab Hortâ enim Hortensis est, sicut à Veronâ Veronensis, & à Viennâ Viennensis, & inde Hortensius, ex Romanarum gentium recepto more, quibus nomina perpetuo in IVS desisse docet Sigonius de nominib. Romanor. pag. 367. Hunc reprehendit Spanhemius pag. 523. quòd perpetuò id servatum dixerit, cum videamus Allienam, Betilienam, Cæcinam, & alias Romanorum gentes. At sanè acerbior hæc est in Sigonium nota: nam *amico suo summo viro auctore*, se eam sententiam protulisse ait, nec disfitetur tamen extra eam regulam nomina aliqua esse. Imò scribens emendationes in librum ejusdem tituli, *de nominib. Romanor.* Francisci Ro-ber-



I

II

III

IV

V

III

VII

IX

X

bertelli Utinensis, qui idem ille est tunc *amicus*, postea infensissimus adversarius, cap. 31. aperte tradit, non omnia nomina Romanorum in *Ius terminata* fuisse. Verum exiguis horum numerus non est, quod nos, frequentiorem & pene perpetuam consuetudinem sequutos, à derivatione Hortensis gentis deterreat. Præterea & in Hortali cognomine, quod Hortensiorum fuit gentile, ex Cicerone ad Atticum lib. 4. ep. 15. & Tacito lib. 2. Annal. cap. 37. hujus fortè originis ab Hortâ vestigium aliquod latet. Quæ dicta velim, ut gratiam ineam ab Illustrissimo Ferdinando Nuptio, Secretario, ut vocant, Congregationis Sacr. Concilii, & post hæc scripta ad illustre Adsefforis S. Officii munus evecto, qui non tam Hortam patriam suam, quam Urbem cumulatissimis virtutibus exornat.

Itaque gens *Antia* nomen ab *Antio*, à quo profecta fuit, traduxit. Forte Valerius Antias vetustissimus rerum Romanarum Scriptor, toties Livio laudatus, & non semel etiam reprehensus, hujus profectionis auctor fuit, primusque qui familiam Romam inuexit. Simul ergo ac gens *Antia* Romam migravit, religionem quoque laribus domesticis detulit, *Fortunasque Antiates* inter deos *Penates* familiae præsides reposuit, dein cūsis etiam numismatibus expressit. Pene id demonstrat adversa nostri denarii pars, in quā *Hercules* cum suis insigniis sculptus est. Nam & hunc Deum coluit Antium, ut docet alter nummus ipsiusmet *Coloniæ Antiatis* in nostram tab. insertus num. 111. ex Goltzii magnâ Græciâ tab. 17. num. 10. In anteriori parte depicta est imago *Herculis*, in posticâ *clava* & duo *Apri capita* (Parcani antiquarii de nummis coloniarum Italiæ hic litem movere) Ut igitur C. Antius parte unâ denarijs sui expressit *Herculem*, quod numen patrium Urbis Antii esset; ita in aliâ, quâ sculpta duo mulierum simulacra sunt, *geminas Fortunas Antiates* repræsentasse, non ambigendum videtur. Mulierum ea simulacra dixi, ex specie oris & cultu capitis, non admodum dissimili ab aliis quæ non semel apud Ursinum occur-

currunt. Nec quis ea componat cum fortunis Antiatibus alterius nummi, quem supra dedimus, quia non eadem aut figura aut ornatus, præsertim in nummis, uni alicui Deo ubique stetit. Ipsam fortunam variâ formâ veterum monumentis expressam spectamus. In unâ eademque tabellâ gentis Cæciliæ apud eundem Fulvium, videoas quam dispari habitu Romæ caput representetur. Nisi velimus, C. Antium immutasse fortunarum peculiarem cultum, ut eas in speciem Penatiū indueret. At verò Deos patriæ præsides, unde ortum duxerant, familias nummis consignasse, ex Spanhemio jam indicavimus. Illustrē exemplum ad rem nostram exhibet nummus Copponiæ gentis, quæ, quod à Tibure ortum traheret, ubi Hercules præcipuâ religione colebatur, Deum hunc denariis signavit. Ita Petronia Sabinis oriunda Feroniam ejus regionis deam, & Mettia, Cornuficia, Pappia, Procilla, Roscia Lanuvij municipio traduces, numismata cum Junonis Lanuvinæ simulacris exsculpserunt, ut videre est apud Ursinum. His addideram nummum Atii Balbi quem *Sardum cognomine* putabam, fretus auctoritate Patini, qui illum in indicē cognominum à se auctū obtrusit: suadebatque ipse nummus hanc notam SARD. in latere postico præferens, quo, ut ipse suspicatur, *Sardus Sardiniae numen repræsentatur*. Hinc enim originem ejus familiæ à *Sardinâ*, numenque patrum Romam traductum reputaveram. Verùm postquam apud humanissimum virum, & rariorū numismatum studioſissimum collectorem Marcum Antonium Sabatinum ipsum denarium conspexi, ab eâ sententiâ statim discessi. Hic denarius non SARD. ut Patinianus, sed expressis literis & maxime conspicuis, SARD. PATER. profert, ut ejus typus in nostrâ tab. nu.4. demonstrat. Unde exsufflavi fictitiū cognomen Patini; & cum in parte anticâ notam PR. absque intermediâ punctatione, quæ importune irrepsit in Patinianum, observassem, non amplius incertus hæsi, eâ Atium Balbum *Pretorem* designari. Præturam verò gesſisse

fuisse in Sardinia omnino verisimile arbitror; ideoque in averso latere, quod Patinus ignorare se fatetur, numen ejus provinciae tutelare expressisse, ut inferius demonstrabo. Quod hujus lapsum adscribentis genti Ante cognomen *Sardus* arguerim, non semel id peccasse diligentissimum alioquin, & eruditum antiquitatis Virum in eo Indice augendo scias. Nam Domitiis Oscam familiam imposuit, cum Urbs ea sit in Hispania, ut Ursinus ipse, quem ignorare non debuerat, disertè notavit. Calpurniis, & Pompeiis Numæ cognomen obtrusit ex denatiis utriusque gentis; in quibus Numæ caput scalptum est, quia originem ab eo traductam profitebantur. Atque id generis alia ab eo errata observat Jacobus Perizonius dissert. 3. de variis num. pag. 255.

Neque hic præterea, quoniam Sardinie nummus in manu est, mihi temperare possum, quin succensem Samueli Bocharto, qui parte secundâ Geograph. Sacr. lib. i. cap. 31. posthabitis veterum testimoniiis Silii, Pausaniae, Solini, Martiani Capellæ, & Isidori, qui *Sardiniam* insulam, ab *Sardo* de quo meminimus vocatam, uno ore tradiderunt, nescio quam appellationem à vestigio pedis humani perduxit, à quo quidem prisci Scriptores *Ichnus sām* appellatam dixerunt nusquam *Sardiniam*: quod nomen postea, eo depulso, adepta est. At ipse è libidine, quâ nomina regionum, populorumque origines ubique ab Hebreworum Phoenicumque lingâ accersere consuevit, quod inveniit in Hebreo *Saad* esse gressum & vestigium, inde formatum *Sardinię* nomen commentus est. Non is ego sum, qui pronus induam confitas plerisque, & turbidis cœnoscisque fontibus haustas nomenclaturas populorum & migrationes; at non abnuerim priscis Scriptoribus auctoritatem & fidem, cùm apud gentes aliquas propriæ originis traditam opinionem, seu veram seu fabulosam, prodiderunt. Apud Sardos satis constat, maximâ religione cultum fuisse *Sardum*, vocatumque *Patrem*. Quippe in eâ Insulâ locus fuit hoc nomine, Σαρδηνα τοξογόνος apud Pto-

iomēum Geogr. lib. 3. cap. 3. male vertente Petro Bertio. *Sardopatoris fanum*; Nam, ut notat Salmasius exercitatio-
num in Solinum pag. 99. Σαρδοπάτως est Σάρδης πατής
scilicet *Sardus Pater*. Concinit noster Nummus, ubi di-
ferte legitur *Sard. Pater*, & alius quem Holstenius in an-
notat. ad Ortelium pag. 168. se vidisse apud Jac. Sirmon-
dum testatur, cum inscriptione: CAPΔΟΥΠΑΤΡΟC. Fi-
lius hic tradebatur Herculis Lybici, à quo narrat Pausa-
nias in Phocicis pag. 838. inter alios jam indicatos Scri-
ptrores, *Sardos* populos nomen accepisse, subditque suo
ęvo Delphis stetisse ejus statuam ex ęre, quam *Sardi* illuc
in Templo Apollinis pridem transmiserant. Hinc quoque
Atius Balbus ejus Provincię, in quā Praetor fuerat, reli-
gionem induens simulacrum *Sardi patris* nummis expressit.
Eo modo quo Cornificius, ut observat Fulvius, quia
Africæ Provinciae præterat, Iovis Ammonis, qui in Africâ
colebatur, imaginem eusit denario, qui apud eundem pri-
mus est in tab. pag. 93. Cūm itaque *Sardiniae* populi pri-
scam originem per annorum seriem traductam, & templo
ac religione veluti consecratam, *Sardo* retulerint, aucto-
remque eum gentis, *Patris* nomine indito, testati fuerint;
mitum est profectò Bochartum unius voculę, sanè detortę,
præsidio, & longius quæstā analogiā, tamquam si ab ove
ovum ducere fas esset, aliam omnino originationem sibi
sigere potuisse.

At verò ad Deos *Penates* nostri denarii redeo. Haud
equidem velim, quis mihi dicam intentet, quod *Fortu-
nam*, majorum gentium Numinibus adscriptam, inter *Pe-
nates* rejecerim, quos Deos incertos, ignotos, & vel ani-
mas majorum, vel heroum, aut genios putauit antiquitas,
privatoque cultu, & religione inter lares domesticos co-
luit. Nam statim profero testimonium Arnobii, qui libro
3. adversus gentes propè finem, ex Cefio prisco auctore,
Fortunam ipsam inter Deos *Penates* collocat. In Nummo
Pertinacis apud Oiselium tab. 42. num. 3. visitur *Fortuna*,

cor-

cornucopiae sinistrâ , dexterâ navis gubernaculum tenens , cum inscriptione DIS CUSTODIBUS , quo indicatur Fortunam locum inter Deos custodes & familiares habuisse . Hujusmodi ea quoque , nî fallor , erat Fortuna aurea , quam Imperatores in cubiculo detinebant , eamque mos erat , ut morituri ad eum transmittenterent , qui esset successurus . Meminit Capitolinus in Antonino Pio cap. 12. , & in Marco Philosopho cap. 7. ac Spartianus in Severo cap. 23. qui cùm eam geminare statuisset , ut utrique filiorum relinquenter , sed perurgeri se videret sub hora mortis , jussisse , narrat historicus , ut alternis diebus apud filios Imperatores in cubiculis poneretur . Suetonius quoque tradidit Fortunæ simulacrum æneum , in parte ædium consecratum , Galbam coluisse , in vitâ cap. 4. Hujusmodi imagines Cubiculares vocabant veteres , quia eas in cubiculo unâ cum Laribus colebant , illudque idcirco dictum Lararium , cuius est mentio apud Lampridium in Severo Alexandro cap. 29. Fortunam ergo inter Lares repositam , idem est ac si dicas , ex Diis Penatibus unam fuisse . Ceterum & Deos alios magnos quidem , seu μεγάλους , Penates vocatos aliquando memorat Macrobius lib. 3. Sat. cap. 4. & Arnobius , loco proximè adducto , inter Penates acceptos ait Jovem , Minervam , Apollinem , Neptunum , & Cererem . Hoc ipsum intellexit Bruto miles veteranus , qui rem aliquam dicavit I. O. M. DOMESTICO , lapide apud Smethium antiquitatum Neoplatag. pag. 96. Ejusdem JOVIS titulo CUSTODIS , lucernam exhibet Licetus de Lucern. antiq. pag. 595. Lucerne diis Penatibus dicabantur , quod jndicat & Canis simulacro ipsius Jovis suppositus . Græcos quoque Laribus conscripsisse Castorem et Herculem testatur Horatius lib. 4. Od. 5. loquens de Augusto .

..... et Laribus tuum
Miscet nomen , uti Græcia Castoris
Et magni memor Herculis .

Ne rem nummariam in quâ versamur , deseramus , familia

Rubria Herculem, & Mercurium, ut ex eorum appictis insig-
niis colligo, denariis expressit, apud Fulvium pag. 248.
Julia caput Mercurii, aliorumque deorum Symbola pag.
136. Cordia duo capita juvenum, quos ex astro utriusque
superimposito Castorem & Pollucem esse arbitror pag. 83.
Non equidem ignoro Deorum nummos aliâ significatione
sepius exsculptos: at hos præsertim, quos intactos Ursinus
præteriit, nil vetat ad Penates, ipsis familiis in præsidium
& tutelam adoptatos, revocare: Quod igitur Antia gens
ab Antio profecta sit, Deosque majores ipsamque Fortu-
nam inter Penates habitos, nummisque ob-signatos constet,
cur eandem gentem Fortunas Antiatinas, ut memoriam &
religionem patrii numinum retineret, Diis Penatibus adscri-
psisse non liceat coniicere, earumque simulacra C. An-
tium denariis suis prouisisse?

Invalvit opinio, in *Fortunę*, de quo agimus, Tem-
plo apud Antium responsa petentibus redditu fuisse perfor-
tes, uti & Præheste; ideoque Antiatinas dictas, quod vel
unus Suetonii locus palam facere videtur. Etenim de Ca-
lligula ait: *Monuerunt et sortes Antiatine*, ut à *Cassio cave-
ret*, in vitâ cap. 57. Mihi, quoniā semel audere coepi, ea
sententia refellenda est. Sortes erant. taleolæ, aut sur-
culi, vel schedulæ, quibus literæ, sive notæ, ad divinandum
insculptæ. Hæ, cùm responsum edi oporteret, vel ex
arcâ, ubi reconditæ, tollebantur, uti de Prenestinis tradit
Cicerò de divinat. lib. 2. cap. 41. vel ex tabulâ, apud ora-
culum Herculis Burriaci, ex Pausaniâ in Achaicis, vel ex
urnâ, in Jovis Dodonæi templo, teste codem Tullio lib. 1.
& 2. de divinat; aut demum ex quocumque alio loco, sem-
per trahi, tolli: vel educi dicebantur. Unde oraculum
Gerionis Paravinum sorte tractâ respondisse, refert Tran-
quillus in Tiber. cap. 14. Et sortes propriè vocatas quæ
ducuntur, ait Cicero de divinat. lib. 2. cap. 33. At in Tem-
plo Fortunæ Antiatis responsa nullo ex hisce modis sunt
reddita. Macrobius oculatus testis, Dei Heliopolitani si-
simu-

simulacrum à proceribus Provinciæ ferculo vectum ita narrat lib. 1. Saturnal. cap. 23. ut videmus, inquit, apud Antium promoveri simulacra fortunarnm ad danda responsa . Vides, ab ipsis simulacris oracula reddita, non per schedulam, talos, membranas, vel quid simile sortibus propriè conveniens . Quod sieri potuit, ut dum simulacra promoverentur, & circumferrentur, responsa emitterent, seu verius Sacerdotes ponè ipsa latentes, ad modum quo vulgo oracula edebantur. Sane Tullius cap. 41. indicato, clarissimarum Sortium quæ tradatur inventio perquirens, Prænestinorum originem describit & deridet, nullâ prorsus mentione factâ de Antiatinis . Imo subjicit ad finem capitit: Ceteris vero in locis, præter Prænestine, sortes planè refrixerunt. Ergò tunc nullæ Sortes apud Antium . Et tamen Fortunam Antiatem ipso evo Ciceronis celebrem fuisse, Horatius, loco jam adducto, testis est locuples, & numerus Q. Rustici sub Augusto cūsus ostendit, quo tempore, ingentem in ejus Templo collectum fuisse ex denariis thesaurum refert Appianus lib. 5. bell. Civil. Quod indicio est, eam per Sortes propriè dictas omnino responsa non edidisse . Prætereà comparat Macrobius Fortunas Antii cum Heliopolitano Deo . Is verò per Sortes non respondebat, sed ad modum oraculi, absentibus autem rescribebat ordine ad ea quæ consultatione additâ continebatur. Tantum abest, ut schedulas sortium redderet . Quod confirmat factum Trajani, eidem ibi narratum, Deum Heliopolitanum, ad fidem religionis explorandam, de suâ in Parthos expeditione consulentis . Parcat amicissimus Blanchinus, si hoc Heliapoli gestum monuero, non apud Antium, quod ipse ex Macrobio tradiderat, in sua eruditissimâ dissertatione jam laudatâ num. 7.

At quid de Suetonio, qui disertè Sortes Antiatinas commemorat? An ne locum corruptum fas sit dicere, & levi literarum permutatione Sorores reponendum, ut sic Tranquillo cum Martiali conveniat, qui eodem vocabulo usus

usus est? Rectius vocem illam expungendam intrepidè ajo, & legendum: *Monuerunt FORTUNÆ Antiatinæ.* Ex quindecim MSS. cōdīcībus Bibliothecæ Vaticanae, quos consului, duo tantum habent *Sortes*, ceteri omnes *Fortunæ*. Tres qui extant in locupletissimâ Ottobonianâ, alterque March. de Maximis concinunt. Torrentius hoc ipsum preferre Gallicos perhibet. Quo testium numero convulsam fidem impressorum nemo dubitaverit. Imò inter eos antiquissimus, quem edidit Mombrilius anno 1475. sub ipsis typographiæ incunabulis nostram lectionem retinet. Quamobrem si Suetonius *Sortes* non dixit, eas loco cadere necesse est, nullum enim alium ex antiquitate patronum laudare possunt, & proinde *Sortes* apud Antium nūquam fuere.

Quòd si adhuc, invitis tot contrà argumentis, suam vulgatæ lectioni auctoritatem manere velis, & *Sortes* ipsas monuisse Caligulam contendas, nihil porrò ad convellen-dam nostram sententiam profeceris, cùm id ad *Sortes* non propriè dictas referri possit. Nam *Sors* sēpè ponitur pro oraculo: quo sensu hanc vocem usurpat Hyginus fab. 69. *Adraſtus memor sortium suarum*, idest oraculi, ut est apud Euripidem rem eandem enarrat̄em in Phoeniss. 5. vers. 412. Virgilii lib. 7. Aeneid. vers. 269. ait: *Non patrio ex adyto sortes*, ad quem locum notat Servius, *Sortes abusive pro oraculo dici*; & *Lycias sortes* idem lib. 4. v. 345. & Statius lib. 3. commemorant, cùm constet ex Festo Pompejo verb. *Lycii*, illud oraculum fuisse. Utramque significatiō-nem unicā sententiā complexus Valerius Max. lib. 1. cap. 6. de prodig. num. 3. ait: *Legati ad Delphicum oraculum missi retulerunt precipi sortibus.* Vides manifestò *Sortes* pro oraculo acceptas: Nam constat Delphis Pythiam Sacerdotem Dei afflatu correptam, ipsam responsa reddidisse, ferè metris Græcis, nūquam per *Sortes*. Hoc igitur sensu stant *Sortes* apud Tranquillum, si eum ita loquutum fuisse yelis.

Interim monco sortium prodigium, quod refert Livius lib. 22. his verbis: *In Antiate metentibus cruentas in Corbem Spicas cecidisse: Et in Faleriis Cælum fundi visum sortes suâ sponte attenuatas, unamque excidisse ita scriptam: Mavors telum suum concutit , perperam referri ad sortes Antiatinas ab Antonio Van-Dale de oraculis dissertat. 2. pag. 347.* Nam de Faleriis loqui contextus verborum planum facit. Et quidem apud Falerios antiquitus sortes extitisse docet Plutarchus in Fabio. Qui etiam Van-Dale exteniatas optime Lypsum emendasse censet lib. 2. elect. c. 12. ubi duo alia loca ejusdem historici restituit, & utrobique non attenuatas, vel attenuatas sortes, sed exteniatas legendum putat. At nostras eruditissimus Hieronymus Alexander junior, nil mutandum opinatur, peculiari dissertatione inter ejus MSS., de quibus alibi mihi sermo erit.

Porro si queras, cur Antiates Fortunæ geminæ habitæ fuerint, appellabo Raphaëlem Fabretum Canonicum Basiliæ Vaticanæ, præclarum illum fugientis antiquitatis vindicem, tūm ob solertiam in perquirendis, cūm ob eruditonem in explicandis veterum monumentis, qui in libro inscriptionum nuper edito cap. 9. pag. 664. ideo geminas dici, atque effigi Fortunas credibile asserit, ut altera bonorum eventuum auctrix sit, malorum altera, & propterea in lapide Antiati, quem exscriperat pag. 632. monumentum dicatum subdit FORTUNÆ FELICI, scilicet Deæ tantum beneficæ. Huic sententiæ præluserat Joseph Maria Svaresius de Fortunis Prænestinis loquens lib. 1. Prænestes antiq. cap. 14. Si mavis, dabo alium totius antiquitatis, præcipue Nummariæ scientissimum, Philippum Bonarotam Florentinum, quem honorifico munere auctum nuper Urbs patria nobis eripuit. Hic in opere Italico inscripto, *Osservazioni Istoriche sopra alcuni Medaglioni*, ad numisma XI. Macrini Imp. pag. 223. suspicatur, geminas Fortunas Antiates referri ad duas Nemeses, Nemesis scilicet ipsam bonorum remuneratricem, & malorum vindicem,

cem, & Adeasteam, hoc est inevitabilem ultionis Divinæ necessitatem. Utram velis doctissimorum Virorum opinionem sequi, per me licebit.

Non tamen Cluverio subscribam, qui in Ital. antiq. lib. 3. cap. 7. hanc eandem Fortunam equestrem cognominatam putat ex his Taciti verbis lib. 3. Annal. cap. 71. Incessit deinde Religio quoniam in Templo locandum foret donum, quod pro valetudine Augustæ Equites Romani vorerant equestri Fortunæ. Nam etsi delubra ejus deg multa in Urbe, nullum tamen tali cognomento erat. Repertum est edem esse apud Antium, quæ sic nuncuparetur. Ita donum apud Antium statuitur. Putat, inquam, Cluverius Templum hoc fortunæ equestris idem esse ac illud, de quo hucusque disseruimus, eandemque ipsam Fortunam vario cognomine. Rem tamen distinctam credere, mihi est vero similius. Nam Templum Fortunæ Antiatis satis suâ celebritate notum, nec opus fuisset perquisitione, quam adhibitam innuit Cornelius. Et Deos priscâ superstitione, quot cognomenta tot Templa habuisse, palam est.

At Tacitum male hoc loco habent eruditii. Cum enim Romæ fuisse Templum Fortunæ equestris meminerint prioris posteriorisque evi Scriptores, Livius, Valerius, Julius Obsequens, & P. Victor, non parcunt ipsi vel ignorantie, vel incuriae gravissimum Auctorem insimulare. Ut nodum solvant, sequestri Fortunæ, legunt Gruterus, Robertus Titius, Pichena, & Gronovius, varièque id nominis explicant. Quod non placet, cum Equites donum vovisse equestri non sequestri Fortunæ, res ipsa suadeat. Lipsius retinet equestri, at Tacitum penè indefensum deserit. Cujus honorinemo aptius, quantum in re difficultatis penè nobis deplorata obtineri possit, consuluit, quam Freinsheimius, qui conjicit, potuisse Romæ antiquitatis extratam fuisse edem Fortunæ tali agnomine, quæ postea absumpta incendio, demum post Tiberii tempora fuerit restituta. Hunc tamen expungit Theodorus Ryckius in antiquis maduérſ.

madvers. ad Tacit. primisque accedit, quod sibi parum verisimile videatur, si tale quid accidisset, summum historicum dissimulaturum fuisse. At is debuit, quod non erat, memorare, caussam cur non esset, potuit filere.

Quod Plinius alicubi dixit, Fortunam rerum humarum utramque paginam facere, non immerito videtur alio sensu hic posse usurpari. Nam ea ipsa pagellas has nostras, quibus religio Antiatum exponenda erat, omnes prorsus exhausit. Saltem in extremâ cerâ locum aliquem sibi poscit Æsculapius. Hujus Templum apud Antium stetit, celebri famâ anguis sacri, qui dum Epidauro advehheretur, è navi prolapsus in proximum illius fanum irrepit, & denuò ad navim se Romam ducendum restituit, ex Livio lib. 43. & Valerio Max. lib. 1. cap. 8. At Ouidius Templum illud, quo ea res accidit, non Æsculapio dicatum fuisse ait, sed Apollini, Metam. lib. 5. Integra inter filium & patrem ejus fabulæ lis maneat. Præterea Strabo lib. 5. meminit delubri Dioscurûm in Coloniâ Antiate collocati. Cultum quoque plurimâ religione Mithram fuisse, ejus tabula symbolica inibi reperta testatur. Sed cum hęc alteram partem nostri operis faciat, illuc Antium in jura sua erit reponendum.



C A P U T II.

De Gente Aquilia apud Romanos. Ea variis cognominibus distincta. Aquilii Flori denarius, aliisque, familiarum Cognomina præferentes. An inde tesseræ Gentilitiæ, vulgo Arme parlanti. Sorores Phætonis in Larices arbores, non Populos, ut vulgo creditur, mutatae. Acisculus explicatus, & nummi Gentis Valeriae. De his Fulvii Ursini interpretatio rejecta. Ascia quid, & quotuplex. Acisculus Martyr Cordubensis. Unde Aquiliorum nomen? Stephanus Pighius notatus. Quisnam fuerit M. Aquilius, de quo in lapide Antiate, inquiritur? Ad tempora inferioris Imperii reponendus. Iterum Consul, & bis Consul, an æquè ad puræ Latinitatis regulas scribi possit? Nonnulla de Tribu Fabia, in qua census Aquilius.

M. AQUILIO. M. F. FABIA. FELICI.

Marco Aquilio Marci Filio Fabia Felici.



QUILIA Gens, quæ familias habuit Patricias, & Plebejas, dignitatibus, honoribus, rebusque gestis in Republicâ Romanâ floruit. Illustres jam ab ejus infantiâ Lucius, & Marcus Aquilius, Tarquinij sorore Collatini geniti, membrantur: at conjuratione factâ cum Vitelliis, & Tarquiniiis, capite ob id damnati, generis nobilitatem infelici exitu labefactarunt. Inde quinque Consulatus ouationibus, & triumphis insignes, Proconsulatus, Præturas, cæteraque dignitatum egregia nomina posteri eorum in familiam intulerunt. Hos inter eminent M' Aquilius, qui reliquias belli Asiatici confecit, alterque Manius ob triumphum è Siciliâ clarus, & C. vel M' Aquilius, quæ Mitridates vinculis ac suppicio cruciatum necavit. At domi quoque juris scientiâ celebris C. Aquilius Gallus fuit, familiaris & collega-

Ci-

Ciceronis in prætura, quem ipse in oratione pro A. Cæcinâ num. 77. & pro Q. Quinctio in princ. summis laudibus prosequitur.

In plures familias gentem Aquiliam discretam fuisse, distincta cognomina produnt. Inter patricias *Corvi*, & *Justi* numerantur: plebejas cognomenta *Galli*, & *Flori* demonstrant. Hujus postremi nummus est apud Ursinum de famili. *Roman.* pag. 36. editionis Caroli Patini, singulari notâ commendatus. In alterâ enim ejus parte *Flos* impressus eminet, quo cognomen ipsum *Flori* designari nemo ambigat. Ejus elegantem typum in nostrâ tab. *videas* nu. vi.

In eâ equidem sum opinione vanam esse eorum operam, qui Stemmatum seu insignium familiarum, quæ sex penè abhinc secula usurpari cœperunt, usque ab heroum ævo, ne dum à Græcis & Romanis, originem accersunt. At vestigium porrò aliquod & veluti rudimentum hinc duci posse eorum Insignia, quæ *Arme parlanti* vocant, quod imago scuto gentilitio impressa cognomen ipsum familiae indicet, & veluti *loquatur*, facile admiserim. Sanè nec Franciscus Menetterius, nec aliis, quem viderim, Artis symbolicæ familiarium scriptor, id animadvertisit. quare pretium fortassè apud hos saltem mihi erit, si alia quædam, ex rei nummarie penu deprompta, ejusmodi exempla hic congessero. In Pomponii Musæ denariis ad cognomen designandum simulacra omnium penè Musarum exsculpta *videas*, quarum quælibet insigne proprium, prout à Poëtis traditur, manu gestat, egregio spectaculo tūm ob eruditio- nem, tūm ob typorum varietatem & elegantiam. Eos tribus tabellis comprehensos profert Ursinus à pag. 223. qui tamen, licet sine dubio Q. Pomponium Musam cognominatum, & subinde in cūdendis his denariis illud cognomen respexisse afferat, sibi nihilominus constans non est, & fieri potuisse subdit, ut Pomponius Gentilis alicujus sui in Poëticâ facultate laudem celebrare voluerit, & Musarum simulacra huiusmodi in nummis signauerit. In quam opi-

nionem profusè delabitur Jacobus Perizonius in postremâ triadis dissertationum, quæ est *de variis antiquor. nummis pag. 253.* pro certo habens, cūsos denarios effigie Musarum non aliâ de caussâ, quam quia vel ille ipse Pomponius, vel quispiam ex majoribus ejus, Poësi, & Musarum cultu præcipue delectaretur, cujusmodi viros Gens illa multos tulit, ex Macrobio lib. 6. cap. 9. Vellejo lib. 2. Plinio lib. 13. cap. 12. & Valerio Max. lib. 4. cap. 4. Quid in hac re potius sit censendum, eruditi antiquitatum videant, dūm ego certiora ad nostrum argumentum persequor. L. Lucretius quod cognomen Trionis gereret, septem stellas, quæ *Triones* dicuntur, expressit duobus nummis pag. 160. Q. Voconius Vitulus descripsit *Vitulum* pag. 299. P. Accolejus cognomento *Lariscolus* denarium cūsit, quo expressæ tres mulieres Phaëtontis sorores, quæ in arbores ejus nominis vertuntur. Nam eas Phaëtontis forores, ut obiter adnotem cum Ursino, in *Larices* arbores conversas fuisse, vel ex hoc ipso denario, cuius alteram partem exsculpsi in tab. num. ix. discimus. Scio id aversis auribus acceptum iri ab his, qui ad vulgi opinionem facti, in *populos* mutatas, cum Virgilio Æneid. 10. vers. 190. non dubitant. Hic tamen alibi eum casum alno adscribit, Eclog. 6. v. 63. Ovidius solidam fabulam enarrans, genus arboris præteriit, *Metam* v. At sanè in *Larice* lacrymas Phaëtontiadum invenimus. Nam teste Palladio ejus *Resina liquida est, lacrimæ similis, & ex Vitruvio lib. 2. cap. 9. habet Resinam liquidam mellis Attici colore.* Quod dici nequit de populo aut alno, liquore carentibus: & fortassis fabulæ ad Laricem aptandæ ea sola fuit occasio. Dixerat paullò ante idem Vitruvius, (ut de hoc etiam litem omnem antevertam) *Laricem notum nisi his municipibus, qui sunt circa ripam fluminis Padi, & littora maris Adriatici.* Benè ergò *Lariscolus* sorores Phaëtontis in *Larices* conversas nummis expressit. quo etiam indicare voluit, maiores suos ex aliquo propè Padum Auvium loco oriundos, quæ Ursini conjectura est. Rursus Furii Crassi pendis

dis nummo Pedem adumbratum conspicimus pag. 117. & Publicii Malleoli signatum *Malleum* pag. 215. Iis verò & Scarpum adjicio Pinariæ gentis cognomen, cui denotando in nummis pag. 207. *Manus* depicta est. Nam Græco vocabulo *νάρης* vola manus significatur. Demùm & in nummis familie Valeriæ cognominis expressam imaginem reperio, quibus, cùm ab explicatione doctissimi Antiquarii mihi sit recedendum, parum immorari liceat.

Sex denarios exhibit tabula illius familie pag. 281. impressos nomine L. Valerii *Acisculi*. Horum quinque delineatum ostendunt instrumentum quoddam fabrile, quod ipse Ursinus *Malleum* esse putat. In nostrâ tabulâ numismatum superius cap. 1. pag. 6. alterum eorum excusimus, in quo ipsum instrumentum, inter cetera magis conspicuum & grandioris formæ, representatur, circumscripto, in medio coronæ quercez, vocabulo: *ACISCULUS*. Sirenem, quæ in secundo ex iisdem nummis visitur, à L. Valerio impressam existimat idem Auctor, ut eâ significaretur, *Acisculos Acidis fluvii*, atque ejus in Siciliâ regionis, quam Sirenes tenuerunt, accolas aliquando fuisse, indeque profectos, Sabinum agrum primò tenuisse, deinde Civitatem Romanam adeptos esse. Ex *Mallei* verò signo conjici posse arbitratur, Valerium hunc Præfectum Fabrūm fuisse, cum illud ejus officii symbolum in veteribus monumentis observaverit. At hæc cognominis originatio longè satis petita est, imò & durius detorta, ut videtur. In Glossis Isidori est *Asculus*, *Asciola Dolabra*. Joannes Meursius par. 2. exercitat. critic. l. 1. cap. 10. rectè legit *Acisculus*. Hinc *Aciscularius* in glossis à Stephano editis dicitur *λαλόμενος* nempe qui saxa in lapidicinis excindit. At verò eidem Isidoro paullò post *Asciscolum*, vel ut pariter emendat Meursius, *Asciscolum*, est *Malleolum* structorum: quamuis hæc verba omnino absint ab Isidoro, quo utor emendatissimæ editionis Coloniensis anni 1617. Quòd si *Acisculus* idem est ac *dolabra*, quomodo *malleolum* esse possit, nescio.

scio. Ab *Afcia* utique nomen derivatum. At *Afcia* vel fabrile instrumentum est ad ligna polienda & læviganda; vel ad macerandam & subigendam calcem. Priorem significationem deprehendimus in lege 10. duodecim Tabularium cap. 2. *Rogum afciā ne polito.* Utramque usurpat Vitruvius lib. 7. cap. 2. his verbis. Sumatur *afcia*, & quemadmodum materia dolatur (en dolabram ad ligna polienda) sic calx in lacu macerata afciatur: Neutra igitur malleo conuenit. *Afciae* figuram Cl. Raphaél Fabrettus exhibet, ex-sculptam veteri saxo cap. 3. Inscriptorum, quas nuper puplicavit pag. 203. eam exscribo in tab. num. 2. ad latus nummi vii. *Afciae* hanc formam reperies etiam apud Gruterum Inscript. 10. pag. 664. 9. 675. & 9. 682. & fortè *afcia* lignaria; non securis, ut placet ipsi Grutero, est illud instrumentum quod primum in tabula 2. pag. 644. depictum conspicimus, cùm proximè imaginem reddat illius, quod hodiè etiam *Afcia* vulgò appellatur, convenientque descriptioni Isidori originum lib. 19. cap. 19. Itaque instrumentum in nummis gentis Valeriae expressum, *Acisculus* est, seu parva *Afcia* poliendis vel dolandis lignis deserviens. Sanè idecircò *Acisculus* solitariè scriptus fuisse videtur in nostro denario, ut designaret nomen adiecti instrumenti. Perperam verò malleum esse putavit Ursinus, qui si denarios jam indicatos gentis Publiciae attentiùs observasset, figuram malleoli omnino ab acisculo diversam reperisset. Eam delineavi in tabula num 1. ut quisque cum acisculo comparare possit. Similis mallei forma passim Vulcano tribuitur in veterum monumentis. Et Cabiros, qui Vulcani filii sunt habitis, eundem plane gestare videoas in duobus nummis Thessalonicæ apud Patinum de numism. Imp. p. 290. & 291. Ab *Acisculo* igitur cognomen familiæ Valeriae inditum, ideoque in nummis illud instrumentum fabrile exsculptum. Porro & Quintilianus lib. 6. cap. 3. Acisculum inter cognomina Romana refert. idemque illud est nobilissimi martyris Cor-dubensis, de quo Prudentius *Peristephan.* hymn. 7. vers. 19.

Cor-

Corduba Aciscum dabit, & Zoëllum. Gratiam ab Hispanis aliquam me initurum spero, si hunc martyrem genti Valeriae, ex dictis, adscribi posse moneam. Sanè verissimiliori conjecturâ, quām si ad Marcellam referamus, quod quibusdam inter ipsos scriptoribus placuit, ut videre est apud Joannem Tamayo in Martyrolog. Hisp. ad diem 17. Novembris tom. 6. pag. 207.

At in viam cognomina alia gentis AQUILIAE nos revocant. Ea tamen cùm studiosè congesserit Glandorpius in Onomastico Romano pag. 111. & plura etiam unico intuitu videri possint in indice Gruteriano, recensere omitto. Tantum ex nostro lapide, FELICIS accessione ejus gentis cognomenta locupletabo. Illud enim quod exsculptum post tribum Fabiam conspicimus, annectendum est nomini, & legendum: M. AQUILIO FELICI. Qui mos in inscriptionibus sollemnisi, ut pàssim videmus in Thesauro Gruteriano.

Porrò Aquiliorum nomen deductum ab aquarum fluxu contendit Pighius in proem. lib. 8. Annalium Rom. Hinc enim, ait, M. Aquilius antiquissimos asses æreos reliquit, in quibus seniorem Janum expressit, Neptuni utrinque capitellata barbatâque facie, in quorum altero latere prora navis extat cum anchorâ & tridente; in hunc modum Neptuni religioso cultui, Janum, qui gentis suæ peculiare numen fuit, applicans, & simul innuens ab aqua manante nomen suum derivari. Inepta sanè & aquis suis frigidior interpretatio. Quid enim prora navis, tridens, anchora, Neptunus, ad fluxum aquæ designandum? An non satis fuisset fontem, aut fluvium manantem, vel mare ipsum undis asperum expressisse? Quare rectius puto, eos nummos ad Manium Aquilium, qui ex Siciliâ A. V. 654. triumphavit, ut testantur Fasti Capitolini, & Athenaeus lib. 5. cap. 14. esse referendos, illisque signis & symbolis bellum feliciter concoctum in eâ Insulâ, ad quam navibus transvehi opus fuerat, demonstrari, uti factitatum ab aliis, innumera apud

Anti-

Antiquarios, ob maritimas expeditiones & prælia, cusa
numismata ostendunt. Et verò in ejusdem rei memoriam
percussum nummum ab eodem M'Aquilio cum inscriptione
SICIL. refert Ursinus de familiis Roman. pag. 36. Quod &
rem mirè illustrat, ac Pighii sententiam evertit. Ceterum
nec Aquilii nomen ab aquis promanat, cum Festus Pompe-
jus, hoc verbo, apertè docet, *ab aquilo colore, ideo nigro*
dicitum esse. Sicuti & Aquilonem, nempe *Aquilum ventum;*
Casco vocabulo *nigrum* appellatum, adnotavit Salmasius
exercitationum in Solinum pag. 1258. primæ edit.

Nolo hic leviorem litem agitare, num hoc vocabulum
duplici L, vel simplici scribendum sit. Nummi & Fasti Con-
sulares *Aquillium* exhibent, lapides plerumque, uti & no-
ster, cuius exemplum sequemur, *Aquilum.*

Ab hac igitur illustri Aquiliorum gente, MARCUM
AQUILIUM FELICEM, qui lapidem Antiacem ampli-
simis gestorum munerum titulis cumulavit, originem duce-
re, nullus, opinor, in dubium vocaverit. Cùm verò eam,
familias habuisse patricias & plebejas, dixerimus, atque in-
ter has medius ordo equestris consurgat, cuinam hic noster
AQUILIUS adscribi debeat, nunc esset quærendum. At
quoniā id alio argumento dignosci nequit, quam ex gesto-
rum munerum sorte & conditione, cumq; de ipsis singulatim
suo loco agendum sit, tunc etiam, ut cuncta suo ordine
conscient, hanc potissimum nostræ disputationis partem ver-
sabimus. Nec tamen ità incertos lectorum animos dimit-
tam, ut non etiam in antecessum, *Equitem Romanum* ex
illustrioribus eum fuisse statim præmoneam. Quæ de
AQUILII dignitate eorum mentibus præacta opinio, ipsi
fortasse proniorem voluntatem ac studium, rebus dicendis
gratiā conciliabit. Interim ad alia transeo. Nam tem-
pus, quo lapis incisus est, & AQUILIUS vixit, & an in ve-
teri historia mentio ejus aliqua reperiri possit, remanet di-
squirendum. Omnia hæc incerta, & in obscuro, quæ ten-
tando potius, quam conjectando timidè percurram.

Hoc

Hoc ergò satis certum , **AQUILUM** sub Imperatori-
bus vixisse : nam munera & dignitates , quibus functum
fuisse lapis monet, post Augustum ferè omnes institutæ . Sub
eius imperio duos Aquilios patrem & filium ab ipso neca-
tos memorat Dio lib. 5 1. At hos Flori cognomentum ,
ut jam indicavimus , à nostro Aquilio distinguit : ita etiam
Aquilium Regulum , quem Plinius lib. 1. epist. 5 . *bipedum ne-*
quissimum vocatum à Modesto refert , & apud Tacitum lib.
4. hist. cap. 42. Curtius Montanus truci oratione insectatur.
Præterea duos invenio Aquilios absque cognomenti præfi-
xione , quorum alterum , addito *Felicitis* vocabulo , fortasse
nostrum fuisse quis suspicari posset . Aquilium Centurio-
nem missum à Didio Juliano qui *Severum occideret* , narrat
Spartianus in utriusque vitâ cap. 5. & 2. Sed hunc notum
cædibus Senatorij , vix est ut credam Antiates sibi Patronum
adscivisse , totque illustres dignitatum titulos promeruisse .
Tacitus eodem lib. 4. hist. cap. 15. ab hoc alium Aquilium
memorat , qui vigente inter Vitellium & Vespasianum
bello , apud Batavos dux militem , & primipilaris fuit . Sanè
si literæ singulares P.P. quas effert lapis versu septimo , in
Primipilarem vertendæ essent , non ultra videretur quæren-
dum . Sed hanc lectionem suo loco discutiendam dimitti-
mus . Interim nec eâ ratione noster Aquilius potuit in Bata-
viâ Primopilaris fuisse . Nam legio xi. , cui ipse cum aliquo
imperio præfuit , per id temporis longè ab iis locis aberat .
Obstat præterea quod noster Aquilius Procurator Patrimo-
nii privati in inscriptione dicitur , quod munus sub Severo
Imperatore institutum tradit Spartianus in ejus vitâ cap. 12 .
cujus testimonio si fides habenda sit , quod negat Salma-
sius , uti videbimus , ex superioris ævi gradu deturbandus
est Aquilius . Non leves alias conjecturas sparsim in opere
indicabimus , quibus Aquilium ad tempora inferiora , per-
tinere fit vero proximum . Ex formâ characterum , quibus la-
pis incisus est , nil certi assequi possumus . Literæ sunt gran-
diores , nitidæ , & assabré scalptæ , adeo ut & seculum Au-

gusti, & multum illo inferius fateri possint. CL. Fabrettus, qui versatissimus, ut cetera, in dijudicando ævo lapidum est, hic hæsit, nec quicquam explorati habet.

Vir summus me monuit, nostrum lapidem temporam corruptæ latinitatis olere, quod procuratorem patrimonii bis fuisse Aquilum, ausus sit prodere: veteres enim iterum Consulem, non bis dicebant. De re non dispergo, cum jam in confessu sim, lapidem ea tempora spectare; at rationem tanti non habeo, ut pro eâ vadimonium deserere oporteat. Nam licet sanctioris latinitatis ævo dixerit Cicero *de divinat.* lib. 1. initio cap. 35. *Flaminius Consul ITERUM, & in oratione pro Sextio, Saturninus ITERUM Tribunus,* & alibi passim tam ipse, quam alii sermonis Latii Dictatores; nihilominus id non ita religioni habitum, quin & bis aliquando usurpaverint. Ipsem Tullius *de Amicitia* pag. 115. Editionis Venetæ Aldinæ 1583. hæc ait: *Vidimus Papum (alias Paullum) Æmilium C. Luscino familiarem fuisse BIS unà Consules.* Alium ejusdem locum mox proferam. In lapide apud Gruterum pag. 255.7. *C. Octavius Pater Augusti Tribunus militum, BISque Ædilis Plebis* dicitur. Sive is vivo ipso Octavio fuerit exaratus, sive cum Augustus in Patris memoriam posuerit, utique ad ævum purioris latinitatis referendus est. At antiquius testimonium profert inscriptio pag. 171. 8. in quâ L. Betilienum ob egregia merita Aletrini *Censorem fecere BIS.* Si gens Betilienna eadem est ac Belliena, uti ex nummis asseruit doctissimus Spanheimus *de prestantia, & usu numismat.* dissertat. 2. pag. 91. Lucius hic Betilienus non aliud censeri debet, quam L. Bellinus *Prætor* sub Mario in Africâ, de quo meminit Sallustius in bello Jugurthino. Sanè obsoleta vocum forma, quæ passim in eo lapide conspicua est, vetustissimam ejus ætatem prodit. Nam *Coiravit* pro curavit, ubi pro ubi, *eſe jousſe* pro esse jussit, aliaque id genus vocabula habet, qualia in Duillianâ Columnâ, seu verâ seu instauratâ, observamus, & in inscriptione Scipionis Barbati, quam primum Jacobus

Sir-

Sirmondus docto Commentario , dein noster eruditissimus Aleander junior brevi ad illud additamento , illustrarunt . Promiscuè igitur iterum , & bis antiqui dicebant . Adhuc utriusque formæ exemplum unico aspectu deprehendimus apud Valerium Maximum , qui cùm sub Tiberio scriperit , si non aurei , sane argentei ævi auctor audit , nisi postea , qui nunc extat , alienam manum passus fuerit . Igitur Valerius de Rutilio verba faciens in hunc modum loquitur : **ITERUM Censor creatus ad concionem populum vocatum , quam potuit gravissimâ oratione corripuit , quòd eam potestatem sibi BIS detulisset lib.4.cap.1.**

Quæ cùm ità se habeant , non tamen inconsultò & temerè modò hanc , modò illam vocem veteres usurpasse arbitror , cum utrique propria insit , & diversa significatio , & sensus . Quod aliis haud observatum , hic explicabo : rectè an secus , Grammaticorum sit judicium . Iterum propriè adverbium est temporis numero adjecti : ut cum dicimus , Cæsarem iterum Consulem esse , vel narramus rem aëtam eo iterum Consule , indicamus tunc temporis Cæsarem secundum Consulatum gerere , vel tunc , cùm ea res accidit , eum secundâ vice fuisse Consulem . At bis numerum simpliciter signat , nullâ temporis habitâ ratione , ut Cæsar bis Consul fuit , hoc est duabus vicibus eâ dignitate functus est . Ità Cicero , quo nemo melius vim , & proprietatem verborum assequutus est , cùm loco mox recitato Flaminium iterum Consulem scripsisset , deinde alibi de eodem Flaminio ait , quod *BIS Consul factus sit* , Academic . quæst . lib . 4 . cap . 3 . Quorūm hæc diversa loquendi forma ? Nempè in primo neglexisse eum narrat *signa rerum futurarum* tunc cùm secundum Consulatum gerebat , in posteriori verò postquam legem agrariam inuitò Senatū tulisset , duabus vicibus Consulem esse factum . Hic numerus Consulatum , illic tempus secundi Consulatus , quo ea res acta , denotatur . Si repetas jam laudata exempla , utramque significationem statim offendes . At unum vel alterum adhuc profero Au-

ctoris licet inclinantis latinitatis, qui tamen , si quis alias , propriè & ad grammaticæ amissim scripsit, ut omnes critici fatentur . Is est Sveronius , quem *bis* , & iterum eo sensus discrimine usurpasse, quisque collatis inter se his locis animadvertiset. *Tiberius*, ait in ejus vitâ cap.5., natus est Rome *M.Æmilio Lepido ITERUM*, *L.Munatio Plancus Coss.* Rursum in Caligulâ cap.1.de Germanico: *Consul deinde ITERUM creatus &c.* At verò mutatâ phrasî de Claudio tradit, quòd eum *equestris ordo BIS Patronum elegit*, cap.5. & *Messalinam Tauri BIS Consulis abneptem* vocat in *Nerone* cap.35. Ab aliis nedium scriptorum, sed etiam lapidum testimoniis abstineo , ne lectorem , hisce grammaticorum tricis plus equo fortassis distentum , diutius fatigem. Quod verò rei nostræ erat, satis constare arbitror, Antiates optimè , & ad recti sermonis leges *AQUILIUM Procuratorem patrimonii bis dixisse* , quòd scilicet duabus vicibus eo munere functus fuerit ; nec eam rationem solam esse posse , cur lapis noster ab ævo purioris latinitatis prescribatur .

Parum immorabor in vocabulo *FABIA* , quod inter nomen cognomenque Aquilii Felicis prostat . Locum illum , ut superius indicavimus , semper Tribus , in quâ quis censeretur , sibi vindicabat ; efferebaturque ablativo casu . Exempla præter lapides , ubi passim occurrunt, suggestit Cicero . In *Philippica IX.* decretum quod à Senatu fanciri petebat , ita exorditur : *Ser. Sulpicius Q. F. LEMONIA Rufus* , & proœmidio in Verrem num. 23. ait , *Q.Verrem ROMILIA. Lemonia* , & *Romilia* Tribuum sunt nomina . In inscriptionibus, plerumque Tribus significatur prioribus tantum literis : in nostrâ omnes sunt expressæ . *AQUILIUS* igitur è Tribu *FABIA* fuit . Hæc inter rusticas censemebatur , sic dicta quòd in eam copiosissima ac nobilissima hæc gens se coniecerit , ut scribit Siganus de antiquitate Civitatis Romanæ lib. 1. cap. 3. Cum audis rusticam Tribum , ne eam nomine tenus estimes . Nam apud Romanos

manos rusticæ Tribus urbanis honoratores habitæ sunt, quod expressit Plinius lib. 18. cap. 3. his verbis : *Jam distinctio honorisque Civitatis ipsius non aliunde erat. Rusticae Tribus laudatissima eorum qui rura haberent : Urbanæ vero, in quas transferri ignominia esset, desidiae probro.* Urbanæ etiam ignominiosæ esse coeperunt, vel ex quo Q. Fabius Censor (hujus enim arbitrio Tribus assignatae, nisi ipse Civibus potestatem fecisset, in quam vellent, transeundi, quod Appio Cæco Censore permisum) A. U. C. 449. humillimos homines omnibus Tribubus, in quibus dispersi erant, excretos in quatuor Urbanas coniecit, ex Livio lib. ix. in fin. vel quia Libertini, qui Civitate donati erant, in eas detrusi, ut ab ingenuis segregarentur. Atque ideo frequenter ab ipsis ingenuis in rusticæ est migratum, & rusticis eo nomine pluriimum decoris & ornamenti adiectum. Hæc ferè ex Sigonio eodem cap. 3. & lib. 2. cap. 14. Videas idcirco nobilissimas familias rusticis fuisse adscriptas ; imò & earum aliquibus nomen dedisse, ut traditum reperimus de Papiriâ, Corneliâ, Æmiliâ, Fabiâ, & aliis. Non tamè quòd hę familię rusticis accenserentur, ideo rus incolere ipsis fuit necessum, sed in Urbe quæque pro suo libito habitabat. Ut verò ad Tribum Fabiam redeamus, ei maxima dignitatis, & nobilitatis accessio facta fuit, quòd tribulem suum Augustum Cæsarem numeraverit. Refert Suetonius cap. 40. in vitâ, hunc Imperatorem *Fabianis, & Scaptiensibus tribulibus suis die Comitiorum singula millia nummūm divisisse.* Adstipulatur lapis Brixienfis apud Gruterum pag. 226. 3. C. JULIO. C. F. FAB. SCAPT. CAESARI AUGUSTO. Duas Tribus retinuit Augustus, unam scilicet gentilem familię Octavię, alteram Juliorum, in quorum nomen per adoptionem transferat. Cujus moris exemplum aliud profert epigramma Cordubense pag. 435. 1. inscriptum L. MANLIO. A. F. AN. GAL. BOCHO. Nempe ex tribu *Aniensis*, & Galerii. In partem honoris, quo Augustus tribum Scaptiam illustravit,

30 DE INSCRIPTIONE

stravit , mea quoque Urbs patria *Forum Julium* accedit ,
in quam olim Colonia ex eadem tribu fuit deducta . Dum
lapides antiquos , qui apud nos extant , congesseram , sty-
lus in his diutius perductus , longè ab instituto distraxit .
Quare , ne meritum , qualecunque apud Cives sit hoc fu-
tendum , labori depereat , consultius duxi , dissertatiuncu-
lam jam adornatam in alium locum seponere .



CA-

C A P U T I I I .

Cur vocabulum Acensus immutatum. Accensorum quot genera apud Romanos. Singula explicantur. De Accensis Velatis latius differitur. Sacrificantes velati. Scaliger notatus. Vela cubiculo Imperatorum obsecra. Magister Admissionum, & Admissionales qui. Praefectus cubiculo male qui nunc Mastro di Camera. Ministri ad fores, & velarii, qui foris & velati. Vela obducere hodie Alzar lapidaria. Tribunalia Judicum olim velo clausa. Statores qui apud D. Jo: Chrysostomum. Idem Apparitores, & Accensi. Accensus est adscriptus, quæ alia nostra inscriptionis interpretatio. Tertia demum, quæ vocabulum Acensus vertit in à Censibus, proponitur & explicatur. Censorum dignitas & nomen ab Augusto abolitum: res, & auctoritas mansit. Nomen etiam quibusdam Imperatoribus usurpatum. Dio Cassius arguitur. Censura quid avo inferiori. Munera Censoria privatis tributa. Quid esse à Censibus Equitum Romanorum, quo officio Aquilius functus fuit? de ordine equestris aliqua delibata. Equites adlecti, decuria Equitum. Lipsius reprehensus. Equitum transvectio, & probatio. Suetonius illustratus.

ACENSUS EQUIT. ROMAN.

A Censibus Equitum Romanorum

T A T I M quis mirabitur, cur vocabulum ACENSUS licet in nostro lapide nullo literarum vitio corruptum appareat, nihilominus immutaverim, atque in A CENSIBUS abire jussерim. Nam Accensorum nomen & officium notum apud Veteres, quo functum fuisse AQUILUM primum sit interpretari. Ita sanè: sed & vocabulo vis es-
set facienda, & rei ipsi, si cam explicationem admittere-
mus



mus. Quò enim sensus locutionis legibus grammaticæ consentiat, *Accensus* nominandi casu in lapide exsculptus, in dativum migrare cogendus esset, poscente id AQUILIO, qui hoc eodem casu præfixus est inscriptioni, & proinde legendum: *Accenso Equitum Romanorum*. Vel subsidium relativi nominis esset quærendum, quo subintellecto, verba hoc modo efferti deberent: qui fuit *Accensus Equitum Rom.* accersito utrobique uno elemento, ne *Accensus* de jure suo duplicitis C, quo Scriptorum omnium & lapidum testimonio semper usus est, decederet. A re ipsâ verò abhorret, AQUILIUM inter *Accensos* referre. Quod ut ostendam, singula eorum genera percurram. Nec operi pretium derit, nam & eos antevertam, quibus contraria opinio aridet, & dignitati AQUILII consulam. Hinc aliam interpretationem, quæ merito suo ceteras antecellit, discutiam: demum nostram asseram & explicabo.

Romanos in Magistratibus, tūm ad vim & potestatem Imperii exerendam, tūm ad dignitatis honestamentum & decus, turbā ministrotum usos fuisse compertum est. Hos inter numerantur *Accensi*, quorum munus erat populum ad concionem seu conventionem vocare, non solum *Consulis*, & *Censoris*, sed etiam *Quæstoris*, ut ait Varro de lingua lat. lib. 5. propè fin. undē *Accensus Consulis* in lapidibus apud Gruterum pag. 94. 11. & 460. 13. vel ut legendum esse Salmasius de re militari Romanor. cap. 14. contendit, *Accensus Consuli*. Plinius hunc *Accensum Consulum* pronunciasse horam meridiei, cum inter rostra, & Græcostasim prospexisset Solem, refert lib. 7. cap. 60. quo illustratur versus comœdiæ, quem citat Varro loco mox laudato: *ubi primū Accensus clamavit meridiem*. Subdit idem Auctor quod in aliquot rebus idem ut præco *Accensus* acciebat, à quo *Accensus* quoque dictus. Exemplo esse potest indictio silentii, quam fieri ab *Accenso* innuit Cicero ad Q. Fratrem Epist. 1. lib. 1. at Livius Præconi attribuit lib. 7. Tum *Scipio* silentio per *Præconem facto*. Adde quod & singulæ Tribus ha-

habuisse Accensum videntur, fortasse ut eas ad concessionem, quisque scilicet suam, advocaret; in lapide enim Auximano 683. C.Oppius dicitur IN TRIBV. CL. PATRVM. ET. LIBERVM. CLIENTIVM. ADCENSVS. nisi adcessus stet pro *adscriptus*.

Nec tantum in Vrbe, sed in Provinciis quoquē, Consules, aliosque Magistratus stipabant Accensi, absque ulla tamen honoris, aut imperii insigni, quod permittebatur lictoribus, fasces suos ubiq; preferentibus. Cicero lib.3.familiar. epist.7. *A Pausania Lentuli liberto Accenso meo audi vi.* Tunc Imperatorem agebat Tullius, & Laodiceæ morabatur, ut ex ipsâ epistolâ apparet. Livius lib. 3., de Magistratibus in Provinciâ loquens ait : *Collegis novem singuli Accensi apparebant, penes Praefectum juris fasces duodecim erant, fasces enim à lictoribus deferebantur.*

Quisquis ergo Accensum velit Aquilium, ut sicut Consuli, Prætori, ipsisque Tribubus Accensi ad munia, quæ retulimus, inserviebant, ita etiam equestris Ordo suos Accensos ad eadem officia obeunda, detinuerit, quos inter unus fuerit ipse Aquilius, eum profectò ipsorum conditionem & statū non advertisse necesse est. Accensi plerumque ex genere Libertorum erant, ut L.Mummius in lapide pag.632. 2. C. Oppius 68.3. & liquet ex Tullio locis indicatis. Hique ex infimâ libertorum forde, quippe qui Lictoribus, Apparitoribus, & Præconibus pari gradu, & æquâ conditione censerentur, quos servos fuisse, & vilibus, abjectisque officiis addictos scimus. Videas absolutissimum Laurentii Pignorii opus de servis. Quis verò inter hæc sordida & proletaria hominum nomina projicere audeat AQVILIVM, quem statim Praefectum Classis Ravennatis, & tot præclaris dignitatum titulis perfundum prodit nostra inscriptio? Nec, fieri potuisse, dicas, ut exinde ad majora, qui non insolens fortunæ jocus est, Reipublicæ munera concenderit; nam anteactam conditionis vilitatem potius silentio obvoluissene

Antiates, quām publico testimonio ante omnium oculos protulissent.

Hæc eadem nos vetant, AQVILIVM secundo generi *Accensorum*, qui in militia Romana versabantur, adscribere. Hos duplici vocabuli significatione appellatos reperio. Alii ex quinta & infima Classe Civium Romanorum delecti extrà legionem erant, lapidibus fundisque instruti, quare *minimæ fiduciae manum eos* vocat *Livius lib. 8.* eoque & in postremam aciem rejectos fuisse ait, quo Rorarii & Ferentarii locabantur. *Adscriptitiū Festo* dicuntur, quia supplendis legionibus adscribebantur, & in locum demororum militum subrogabantur. Hinc nec legionarii, nec verè milites erant. Sub extremâ Republicâ ordo hic militiæ obsolevit, unâ cum *Velitibus*, *Rorariis*, & ceteris levis armaturæ nominibus, qui primum *Antesignani*, & *Vexillarii*, postremò *Armaturæ*, & *Exculptores* sunt vocati, ut *Salmasius* in opere posthumo de re militari *Romanæ cap. 19.* pluribus ostendit. Quæ etiam ratio est, cur **AQUILIU S**, qui ævo Impetorum floruit, inter hos Accensos nequeat reponi. Alii in militia *Accensi* dicti, qui deputabantur ad obsequia *Judicū*, & *Tribunorum*, teste *Vegetio lib. 2. cap. 19.* imò *Consulum*, & *Prætorum*, ex *Varrone* apud *Nonium* de propriet. sermon. verb. *Accensi*: ut *Consules*, & *Pretores* qui sequuntur in castra *Accensi* dicti, quod ad necessarias res sèpius acciantur veluti *accersi*. Notabis *Varronis* inconstantiam in etymo hujus vocis. Rursus *Accensorum* ministerium latius patuit. Nam *Decurionibus*, & *Centurionibus* erant attributi, ut iidem auctores tradunt, & sequiori ævo *Optiones* dicti sunt, ex *Festo*. Plura de hoc postremo nomine in rem dicenda essent, sed ad alia properamus. Jam vides utramque hanc *Accensorum* speciem infimæ inter milites, & in castris notæ fuisse, indignumque **AQUILIO** vocabulum.

Tertium genus est *Accensorum Velatorum*. De his plu-

plurima mentio in inscriptionibus antiquis ; invenies etenim apud Gruterum pag. 479. 1. inscriptum saxum L. Vale-
rio *Accenso Velato*, pag. 483. 3. L. Varronio Capitoni pag.
485. 6. M. Veserio Jucundiano, & 624. 2. T. Statilio Apro,
qui omnes sunt Cives Rom. adscripta enim est de more in-
ter nomen , & cognomen sua cuique Tribus . Contrà, Li-
bertos proferunt quatuor lapides apud Cl. Fabrettum cap.
6. pag. 433. postremi operis inscriptionum, quod nuper ma-
ximo literarum bono in lucem emisit , ubi & *Accensos Velato*
in Collegium coaluisse primus omnium observat . At
eòrum officium & munus nullus veterum tradidit . Festus
Pompejus verbo *Adscriptitii* , eumque sequutus Salmasius
de re milit. Rom. cap. 14. & 15. inter milites asciscunt, quos
jure & merito coarguit idem Fabrettus, & *Accensos Velatos*
ad sacra pertinuisse arbitratur . Hanc sententiam , quam sa-
nè eo nondum viso animo versabam , ut paucis exornem ,
permittat doctissimus vir èâ humanitate , quâ me in li-
mine ejusdem operis honorificè appellatum voluit . Ita ta-
men , ut aliò etiam transgredi liceat , quò pluribus locis
pertentatis, alicubi latenter antiquitatem fortassè expisce-
mur . Interim AQUILIUM inter hos *Accensos* nemo puta-
verit, cum in nostro lapide absit ea *Velati* nota , quam ubi-
que ipsis affixam comperimus .

Itaque *Accensos* , licet nusquam in sacris memoratos,
tamen ratio ipsa suadet iis fuisse adhibitos ; cùm ministe-
rium, quod in magistratibus agebant, necessarium etiam in
re sacrâ fuerit . Cieri quippe oportuit populum ad sacrificium,
horam designari , & silentium , quo religionis maje-
stas constat, indicî . Quæ munia non aliis quam *Accensis* tri-
buenda, qui hæc eadem, ut vidimus, magistratibus commo-
dabant . Sanè Consuli, Prætori, ac Quæstori Lictores, Præ-
cones, & *Accensi* aderant . Primos reperimus etiam Sacer-
doti apparuisse, quod testimoniis non eget, quare nec *Ac-
censis* destitutum par est credere . Seneca in fragmentis quæ
refert S. August. de Civ. Dei l. 6. c. 10. hæc à Paganis publi-

catae dementiae officia diis suis præstita recenset: Alius numina Deo subjicit, alius HORAS Jovi nuntiat, alius Lictor est &c. Quis ille Jovi horas nuntians, nisi Accensus, quem eodem munere functum in re prophanâ, ex Varrone & Plinio jam diximus? Profectò & ei jūngitur Lictor, ut communia officiorum nomina scias. Hoc præterea suadet ipsum Velatorum nomen quo Accensi vocantur. Nulli enim id magis congruit, quam rei sacræ ministris. Quod cum ostendero, simul & cauſa appellationis ipsa se proderet.

Sacrificulos antiquitùs operatos capite adoperto, paſſim in nummis, in Columnâ Trajanâ num.76. & lapidibus apud Choul à pag.262. conspicimus; & quidem vestibus ipsis ad aures abductis, quod & Servius notat ad locum Virgilii statim producendum. Ejusmodi ritus originem Æneæ, Gentis & Religionis principi, referunt, qui cum sacrificaret, & vereretur ne ab hoste cognitus periculum subiret, itemque rem divinam interrumpere summum nefas duceret, caput velamento obduxisse narrant, atque ita pleno ritu sacra perfecisse. Inde posteris traditus mos ita sacrificandi. Idipsum, Æneam ab Heleno hausisse innuere vult summus Poëtarum Æneid. lib.3. vers.405. cùm hunc loquente inducit.

*Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum
Hostilis facies occurrat, & omina turbet.*

In quem locum Servius ait: *Sacrificantes capita velare consuetos ob hoc, ne se inter Religionem aliquid vagis offerret obtutibus. Vellem, nostri vero Deo sacra peragentes discent licentiam oculorum coērcere.* Alia Poëtarum testimonia lubens prætero.

Illud verò operimentum non semper togâ ad caput obductâ constabat. Sed magis propriâ vocabuli notione, *Velum* erat tenuē & textile, quod *Flameum* appellabant. Seneca in Octaviâ, si modo is auctor Tragædiz, act.2.sc.1.

.... *Thura cum superis dares,*
Sacrasque grato spargeres aras mero
Velata summum flameo tenui Caput.

Ab hoc ritu capita flameolo velandi, tegumentum, quo operiebantur Sacerdotes, Rica fuit vocatum, quod scilicet *Romanus* ritu *femineum* cum faciunt, capita velant, ut tradit Varro lib.4.de lingua Lat. De hoc vocabulo plura Andreas Dacherius in notis ad Festum pag.463. Male vero Scaliger in conjectaneis ad eundem Varronem pag.37. putat *Velatos* dictos, qui caput cinctum licio laneo habebant. *Velare* enim est à *Velum*, quasi *Velo tegere*, ut deducit Vossius in etymolog. & licet Flamines aliquando filo laneo caput religare consuissent, ut legatus ille apud Livium ab ipso Scaligerio in testem adductus, id potius per licentiam factum, quia scilicet ob ictum nimis illis molestum foret, pileum seu vamentum ferre. Et ipsa ritus origo jam tradita, docti vi-ri sententiam convellit, Quod enim fieri poterat, ut Æneas hostibus sese occuleret, si filo tantum caput præcinxisset? Adde quod *velare* etiam de alio quovis membro, immo & toto corpore dicitur, exemplis mox recitandis.

Quæ de ritu capita velandi hucusque differuimus, licet verè ad Sacerdotes spectent, cùm alii ministri coronati incederent, ut videre est in antiquis monumentis, & præcipue in insigni lapide anaglypho apud Casalium de Imperio Romano. de sacrificiis cap.1. attamen *velatos* etiam alios, præter Sacerdotes comperimus, ut Trojani apud Virg.lib.3.v.545.

Et capita ante aras Phrygio velamur amictu,
Et mulier pro Citharædo diis vota fundens, apud Juvenalem Sat.6.

.... *Stetit ante aras, nec turpe putavit*
Prò Cithara velare Caput.

Immo, & manus velatas supplicantes gestabant, unde *velatis manibus orare*, habet Plautus in Amphitruone. Et Romanos ideo libros Sybillinos *velatis manibus* inspexisse ait Vopiscus in Aurelian. cap.19. quam lectionem ita restituit

Sal-

Salmasius, cùm vulgo legatur *veteranis manibus*. Demum nummus Lentuli Flaminis Dialis exhibet Camillum puerum ei præministrantem capite adoperto, ex Gutherio de *vet. Jure Pontic.* lib. 2. cap. 13. Et eundem Camillum videre est velatum seu vittatum in Columnâ Trajanâ num. 74. Eum vero morem in adulationem principum traduxit quicumque eos velut Deos colere volebat. Primus id instituit Vitellius cum *reversus ex Syria C. Cæsarem*, non aliter adire ausus est, quam capite velato, inquit Suetonius in *Vitellio* cap. 2. Ad quem ritum forte respexit Plinius in præfatione historiæ naturalis, ubi alloquens Vespasianum *te quidem*, ait, *in excelsissimo humani generis fastigio positum summa eloquentia, summa eruditione præditum religiosè adiri etiam à salutantibus scio.*

Quare fieri potuit, ut & *Accensi* sacrificiorum, si non *velum* capitum, quod proprium Sacerdotum, vestem aliam ministerio peculiarem, ceterisque distinctam gesserint, eoque *Velati* appellarentur. Velati enim vestibus sacris quoquo modo induiti dicebantur. *Ovid. lib. 3. Amor. eleg. 13.*

More patrum sancte velatae vestibus albis,
Et lib. x. *Metamorph.*

Festa pię Cereris celebrabant annua matres

Illa quibus niueā velatae corpora ueste.

Demum Virgilius *Aeneid. 12. vers. 120.* describens ministrantes sacris, ait :

Velati lino, & verbenā tempora vinceti
vēl ut alii apud Servium legunt *Velati limo*, quod genus
est vestis quā ab umbilico usque ad pedes Popæ tegebantur. Popæ ministri erant sacrificiorum.

An verò *Accensos Velatos* ità in templis certè deprehensos credamus? Sanè ut rem adhuc obscuram arbitror, sic eosdem etiam in palatiis quærere constitui. Cubiculi imperatorii foribus prætexta *Vela*, siue ut oculos arcerent, seū ad majestatem & venerationem, veterum testimoniis apertò liquet. *Lampridius de Heliogabalo*, seū mavis Alagaba-

gabalo, scribens in vitâ cap. 14. qui subito inquit mititum strepitu exterritus, in angulum se condidit, objectuque veli cubicularii, quod in introitu erat cubiculi, se texit. Etiam Caligula timore cædis perterritus inter pretexta foribus vela se addidit, teste Sveton. cap.x. Apud Persas quoque regii coenaculi januæ obditum fuisse velum memorat Athenæus lib.4.cap.10.pag.145.edit. Græcolat.Casauboni. Vela igitur ad interioris cubiculi, quo aditum ad Principis consistorium patebat, fores prætendebantur. At proxima ante ipsum statio cancellis septa, clausaque erat. Intra hos cancellos admissus, adhuc velis à Principis aditu excludebatur; unde Sidonius lib. 1. epist. 2. turba, ait, *satellitum immurmurat exclusa velis, inclusa cancellis.* Hoc spatum, intrâ cancellos & vela, interioris admissionis fortasse vocavit Seneca de Clement. cap. 10. lib. 1. & alio loco de domo privatâ loquens, in quâ deinceps, ait, multa sunt ostia quæ receptos quoque excludant lib. 6. de benef. cap. 23. Hinc Lampridius Severi Alexandri facilitatem laudat, quod salutaretur quasi unus de Senatoribus patente velo, admissionibus remotis, aut solis qui ministri ad fores erant, cap. 4. Admissionales ad principis colloquium confluentes admittebant, unde nominis appellatio. Refert Plinius lib. 33. cap. 3. Claudii Libertos admissionem pro arbitrio dedisse. De admissionibus extant leges 3. & 7. Cod. Theod. de privilegiis eorum, qui in Sacr. Palat. Eorum quatuor fuisse decurias scribit Salmasius ad Vopiscum in vit. Cari cap. 8. in fine adnotation. Omnes autem suberant Magistro admissionum, præclarum, & nobilissimum in aula Cælaris officium & dignitas. Ejus fit mentio in lib. 12. Cod. Theod. de Senator. apud Vopiscum in Aurelian cap. 12. in fin. & Ammianum Marcellinum lib. 15. & cap. 5. ubi notat doctissimus Valesius, eum viros honoratos in consistorium Principis introduxisse: ait enim Ammianus, Ursicinum vocatum fuisse per admissionum Magistrum, qui mos est honoratior. Sane reperio Senatores, & Legatos exterarum gentium ab hoc Magistro deductos ad

Principem, apud Cassiodorum in formulâ hujus dignitatis lib.6.form.6. ibique etiam appellatur glorioſus donator auxili Confessorij quasi quidam Lucifer. & Corippus de laudibus Justini lib.3. ait:

*Vt letus Princeps solium descendit in altum,
Membraque purpureâ pœcifus ueste locavit,
Legatos Avarum iussos intrare Magister &c.*

Hinc perperam, ut opinor, etiam viri docti, quem hodiè *Mastro di Camera* dicimus, eum nempe, qui volentes adire Principem, intromittit, *Praefectum cubiculo* vocant. Nam verè *Magistrum admissionum* appellandū ex jam dictis constat. Et *Praefecti*, seu *Praepositi* sacri cubiculi alia erat dignitas & diversum officium. Curam enim & custodiam ipsius cubiculi seu thalami (qua voce utuntur Græci scriptores) imperatorii gerebat, de quo videoas *Pancirolum* in notiâ Imperii Orient. cap.60. *Bulengerum* de Imperio Roman. lib.3.cap.29. & *Gutherium* de offic. domus August. lib.3.cap.29. ubi eum Gallis esse *Grand Chambellan* notat. Hanc Magistri admissionum dignitatem tot titulis claram, tot insignibus opulentam, ut verbis Cassiodori loco mox laudato utar, apud *Sanctissimum D.N. INNOCENTIUM XII. implet & ornat Illustrissimus D. Franciscus Aquaviva Aragonius ex Atriæ Ducibus*, in quo videoas splendidissimum genus & præclaras virtutes veluti de principatu contendere.

Præter admissionales ante cubiculum Imperatoris vidimus à Lampridio memoratos ministros ad fores. hos puto obſervasse vela, eaque diduxisse, ut pateret aditus introeuntibus, quod hodiè dicitur, *alzar la portiera*: ideoque appellatos fuisse *velarios* in inscription. *Gruterian.* pag. 599.7. *THALIVS. PRAEPOSITVS. VELARIORVM. DOMVS. AVGVSTAE. & num.8. L. FLAVIVS. SV-PRA. VELARIOIS. DE DOMV. AVG.* Quamvis ministros à foribus, à *Velariis* distinguat *Salmasius* ad Lampridii locum recitatum, nullo certe testimonio. *Velarios* itaque ut ad rem nostram tandem accedamus, *Velatos* etiam dictos liben-

libenter coniicerem, eosque esse quos querimus, *Accensos velatos*. Nomen *Accensi* non alienum videtur. Nam *Accensi* in militiâ ideò appellati, quòd ad necessarias res sàpius acciantur, veluti *accersiti*, quos nunc dicimus, deputati: Verba sunt Nonii Marcelli de proprietate sermon.verb.*Accensi* ex Varrone lib.20. Rhetoric. Quidni ergo & nostri, quòd sàpius accierentur, seù vocarentur ad obducenda *vela*, vel quòd ad ipsa essent deputati, *Accensi* dicti sunt? Imò etiam fortasse, quòd ad *vela* adstarent, ut mox videbimus. *Velati* porrò appellatio licet potius passionem, quòd scilicet quis *velo* sit indutus, quam actionem externam observandi *vela*, denotare videatur; non insolens tamen ea est notionis permutatio, cuius vel ipse *Accensus* exemplum suggerit, quem Varro loco jam adducto, dictum ait, quia *acciebat* populum: Et tamen *Accensus* passionem designat, ut scilicet potius ipse accieretur, ut supra ex eodem Varrone deduximus.

Verùm sub aliis fortè velamentis *Accensi* latent. ea itaque obducamus. Sicut Principis Consistorium, ita Secretarium & Tribunal Judicis *vela* claudebant. Caussas de submersis navibus *velo levato cognosci*, decernunt Imperatores Honorius, & Theodosius in leg.ultimâ Cod.Theod.de naufragiis: & leg. primâ de officio Rectoris Provinc. ejusdem Codicis, *ne sit venale judicis velum*, jubet Constantinus. in quam rem plura eruditè congerit Jacobus Gothofredus in annot.ad hanc postremam legem pag.41. & 42. tom.1. Hinc *judex veli* subscrabit decreto Alexii Comneni in ejus Rationario, quod vulgarunt Monachi Benedectini S.Mauri in Analect.Græcis pag.380. Velamina hæc per publicum statorem diducebantur, cùm sententia esset profienda. D. Jo: Chrysostomus in Matth. cap.17. homil.56. quemadmodum enim, inquit, cùm publicè sententiam judices prolaturi sunt, velamina statores contrahunt, ut ab omnibus videantur sic &c. Hi statores in textu Græco Chrysostomi dicuntur παρεπότες quæ vox derivatur à παρέσημοι, hoc est sifto propè, seù juxta, ut ostendit Henricus Stephanus in

Thesauro linguae Græc.col.1777.tom.1.& πάγιστας est p̄ae-
sto esse , apparere , apparitoris munere fungi, ex Budæo in
Comment.linguæ Græc.pag.217.edition.Parisiens.an.1548.
unde πάγεστρες , qui vela judicum obducebant apud Chry-
sostomum, ipsi erant apparitores ; quo nomine etiam Accensi
notabantur . Profectò Reinesius classe 1. inscript. 19. Stato-
rem Civitatis Viennensis, de quo apud Gruterum pag 631.
3. esse Accensum , scribere non dubitavit . Ergò qui ad vela
Judicum adstabat , verè Accensus, atque inde velatus, eâ ra-
tione quam paullò ante reputabamus . Lapis est apud Gru-
terum p.1109. 5. in quo L.Largius dicitur VELATVS.IN.
PRAET. Prætorium locus erat in provinciâ, in quo Prætor,
sive Proconsul jus dicebat . Num igitur Largius ex his *Ac-*
*censi*s *velatis* unus fuit, qui ad Prætoris Tribunal adstabant?

At nos tandem ab hisce Velorum impedimentis ex-
tricemus . Puras , ac putas conjecturas dedimus, dūm vela
tractavimus : at dūm Accensos tām in foro , quām in militia
lustravimus , ab eorum numero AQUILIUM nostrum vin-
dicasse certis argumentis arbitramur . Secundam itaque vo-
cabuli ACENSUS, quo noster lapis inscribitur, interpreta-
tionem aggrediamur . Ea commutationem casus, & literæ ac-
cessionem retinet, sed Accensum nomen adjективum sēù par-
ticipans facit, eo sensu ut dicitur, AQUILIUM accensum,
hoc est accensum , sēù adscriptum fuisse equitibus Romanis,
profertque verba in hunc modum: ACCENSO. EQUITI-
BUS. ROMANIS. Lectionem hanc mihi indicavit vir sum-
mus, dignitate juxti ac doctrinâ sacrâ & profanâ eminentissimus , quām si paucis illustravero , id mihi in honoris
præcipui argumentum vertam .

Sanè ipsa nominis originatio calculum conjecturæ ma-
ximum addit . Adcensi milites dicebantur , ait Festus verb.
Adscriptitii, quod ad legionum censum essent adscripti, & verb.
Adcensi, ita appellatos subdit , quia ad censum adjiciebantur .
Ergò translatâ vocabuli significatione à militari ad eque-
stre ordinem, appositè dicimus , AQUILIUM Adcensum,
sēù

seù *adscriptum*, & *adjectum* fuisse ad *censum* Equitum Romanorum. Egregiè Varro & prope ad rem, *quosdam adcessos equitibus* fuisse, ait, lib. 4. & simili phrasì Lactantius lib. 5. cap. 2. loquitur de Demosthene, qui religioni, cui fuerat *accensus* &c. prout emendavit Janus Guglielmus in Plauti Menexchmos cap. 3. nam vulgò legitur *assensus*. Fortasse etiam dici possét, extrà numerū Equitibus Romanis *ad census* fuisse Aquilium, quę vis & significatio ejus vocabuli aliquando est, ut apud Vegetium lib. 2. c. 19. *deputabantur milites, qui vocabantur Accensi, hoc est postea additi quā fuisse legio completa, quos nunc supernumerarios vocant.* Verūm hos supernumerarios qui non militabant, sed in locum deficientium subrogabantur *incensitos*, & *ad crescentes* vocatos fuisse putat Jac. Gothofredus in leg. unic. Cod. Theod. de Classiariis to. 3. pag. 531. Ita ergò & **AQUILIVS** supernumerarius fuit inter Equites Romanos. Videtur enim ex Halicarnasseo præfinitus eorum numerus, licet Salmasius repugnet.

Libenter equidem in hanc interpretationem, & maxi-
mi auctoris reverentiâ, & quòd egregiè in rem concinat, me
deduci paterer, nisi alia expeditior, eaque nullâ literarum
inversione ad casuum discrepantium conciliandam adhibi-
tâ, occurreret. Nam parcius, quam fieri possit, ea libido sa-
xeras literas pro libitu recudendi, exerceri debet; & non nisi
desperatis rebus, itaut sensus & interpretatio lapidis aliter
constare nequeat, quo melius fidei & diligentiae antiquorū
consulatur. Certè nostra inscriptio tam affabré & ad poli-
tiorem delineandi regulam est incisa, ut vix credibile sit
Quadratarium in pinguem adeò errorem impegisse, & semel
iterumque in unâ eademque vocalâ peccasse. Et quam-
vis sculptrores rude hominum genus fuerint, & sèpè voces
corruptissimè in lapidibus efformaverint, attamen à nostro
ea suspicio amovenda, cum publico decreto in Coloniâ Ur-
bi proximâ, & sub oculis Curatorum ipsi operi à magistratu
delectorum, fuerit conscriptus; uti ad rem animadvertisit
Vossius de arte Grammat. lib. 1. cap. vlt. pag. 163. Nec sanè

deceptus sum in epigrammate legendo vel exscribendo ,
cùm characteres sint nitidissimi , & nullâ, post tot secula, la-
be corrupti aut protriti ; illudque modò etiam sub oculis
habeam, exceptum in chartâ papyraceâ ad modum , q uem
docet accuratissimus Fabrettus in præfatione epistolari po-
stremi Operis jam laudati .

At nos etiam in hanc legem peccavimus, qui vocem
ACENSUS in **A CENSIBUS** migrare jussimus . Verum
equidem fateor : sed cùm perpetuis veterum inscriptio nes
abbreviaturis (parcant Grammatici) scateant , nostra non
vocabuli interversio , nec mendi grammaticalis correctio
est, sed simplex contractionis extensio & supplementum, il-
ludque ex re ipsâ promanans . Ostendam enim, præter alia
notarum contractarum exempla, quòd ubi in saxis vocabu-
lum *Acensus* à casu præscripto discrepans , & per unicum C
exaratum invenitur, semper in à *Censibus* sit permutandum.
Quod verò hoc officii genus , & quām usurpatum Cæsareo
ævo fuerit , deinceps aperiam , quo magis magisque nostra
lectio , & **AQUILII** dignitas illustrabitur .

Quòd igitur primum spectat, statim profero inscriptio-
nem Gruterianam pag. 630.5.

L. POMPEIO. AVG. LIB
^{fsc} FORTVNATO
 N V M E N C L A T O R I
 ACENSVS. LICTORI
 AVG. III. DECVRIAR
 POMPEIA. PIA
 VXOR. VIRO
 RARISSIMO FECIT.

Marmor ipsum cum suâ inscriptione ex hortis Julii III.
Pont. Max. delineatum, & æri diligentissime incisum exhibit
Boissardus tom. 4. inscription. seu monumentorum pag. 82.,
ne quis fidem scriptio nis Gruterianæ in dubium revocare
pos-

possit. Vides itaque nomen ACENSUS eo prorsus modo exsculptum ac in nostrâ inscriptione, unico C & casu nominatiuo, licet Pompejus & Nomenclator, quibus connecti debet, dativo efferantur. Quid ergo? Mendum & lapsum Marmorarii statim exclamabis? Non itâ certè: sed hic etiam nomen est contractum, in ACENSIBVS resolendum. Fidem alterius lapidis appello, à quo & hic ipse, & noster Antias lucem & explicationem mutuantur. Exstat apud Gruterum pag. 599. 4.

DHS. MANIBVS
 TI. CLAVDI. AVG. LIB
 THALETIS. VINICIANI
 NOMENCLATORIS
 ACENSIBVS
 THALLVS. ET. IANVARIA
 LIB. DE. SVO. POSVERVNT.
 Addo alium pag. eadem num. 5.
 ZOSIMIANVS. AVG. LIB
 NOMENCLATOR
 A. CENSIBVS

Quid ultra queramus? Nonne Nomenclator *acensus* idem est ac à *censibus*? Porrò si queras quid rei sit huiusmodi Nomenclator à *censibus*, docet aliud epigramma pag. 630. num. 3. L. VOLVSION. VRBANO. NOMENCLATORI. CENSORIO. Et pag. 14. 13. idem fortasse L. VRBANVS. NOMENCLATOR. CENSORIVS. Cum enim apud Censores nomina sua uxorum, liberorum, servorumque, Civis profiterentur, Nomenclator eorum nomina ipsis Censoribus in memoriam revocabat, atque inde dictus *Censorius*. Translatâ verò in Cæsares Censoriâ potestate, Nomenclator à *censibus* appellatus fuit, ut notat eruditissimus Pignorius in tractatu de servis pag. 140. editionis Patavinæ 1656.

Adhuc lusisse marmora in hac voce comperio. Massiliense

liense pag. 403.5. positum est L. DVDISTIO AD-CENSVS. PROVIN. LVGDVNENS. Cernimus hic etiam turbatam casuui concordiam: neque enim *ad census* Dudistio convenit. Non alio in Provinciâ Lugdunensi munere fungi hic potuit, quam Tib. Antistius, cui in tribus Galliæ Provinciis primo unquam EQ. R. A. CENSIBVS accipiendis Lapis 355.6. inscribitur. Literas singularias explico, primo unquam Equitum Romanorum. Ergo *ad census* commutatur in à *censibus*, vel si malueris ad *census accipie-
dos*, quod idem est ac CENSITOR Provinciæ *Lugdunensis*, in inscriptionibus pag. 427.5. & 1025.2. Censitor provinciæ *census* & tributa recipiebat. Palam igitur est, ex primis potissimum exemplis, in nostro lapide nomen *acensus* esse verendum in à *censibus*, & AQUILUM fuisse A CENSIBUS EQUITUM ROMANORVM. Quæ verò ea dignitas & munus fuerit, nunc explico.

Nomen Censoris & dignitatem, quæ florente Republi-
câ summæ auctoritatis erat ac honoris, Augustus Cæsar, ar-
repto imperio, abolevit extinxitque: potestatem verò &
vim Censoriam in se traxit, ut cetera *munia Senatus, magi-
stratum, & legum*, uti ait Tacitus lib. 1. Annal. cap. 2. Ita
ex privatis post P. Æmiliū Lepidū, & L. Munatiū
Plancū sub ipso Augusto, nemo est amplius Censor desi-
gnatus. At neque Imperatores præter Domitianum, qui se
Censorem perpetuum dici voluit, eo nomine usi, cum tamen
rem ipsam detinuerint. Hæc ex Dione lib. 53. pag. 509. &
lib. 54. pag. 321. editionis Hannovianæ gr. Latin. anni 1606.
quod semel sit premonitum ad hunc Auctorem sepius citan-
dum. Pridem verò Pompejus, dimissâ Censoris appellatio-
ne, corrigendis moribus delectus fuerat, ex Tacito lib. 3.
An. cap. 28. & Cæsar æmulatione Pompeji, an ad nominis
invidiam amolliendam, *Præfecti morum* titulo usus est, teste
Suetonio cap. 76. unde per contemptum seu jocum *Præfe-
ctus moribus* vocatur Ciceroni lib. 9. epist. fam. 15. ad Papi-
riū. Sub Augusto ea Censoris potestas *morum legumque*
regi-

regimen dicebatur, ex nobili lapide apud Gutherium de offic. domus Aug. lib. i.c.40. Fallitur verò Dio, qui solum Domitianum inter Imperatores, qui post Augustum *Censoris* nomen usurparunt, neque illud exinde privatis permisum, autumat. Nam Claudiū *Censuram* gessisse, *Censoremque* appellatum testantur Svetonius cap. 16. & nummus apud Oiselium tab. iv. num. 3. cum inscriptione in aversâ parte CENSOR, binæque inscriptiones apud Gruterum p. 1131. & pag. 196.4. quo liquet ipsum in publicis quoque monumentis *Censoris* nomen usurpasse. Ex privatis unā cum ipso Claudio Censor fuit L. Vitellius apud Tacitum lib. 12. An. cap. 4. & hist. 1. cap. 9. in cuius rei memoriam Vitellius filius jam Imperator nummum cūsit cum epigraphe: L. VITELLIVS CENSOR apud eundem Oiselium num. 2. Præterea Vespasianus, & Titus Censores inscripti occurunt in lapidibus Gruterianis pag. 89. 10. & 176. 1. in nummis apud eundem tab. 3. num. 12. & tab. 4. num. 1. & passim apud Co: Mediobarbum à pag. 108. testaturque Svetonius in utriusq; vitâ cap. 8. & 6. At post tempora Dionis subolet etiam in Diocletiano vestigium aliquod gestæ *Censuræ*, qui cùm omnibus gentibus advocatis daret ludos, parcissimè usus est cùm liberalitate, dicens castiores oportere esse ludos spectante Censure, uti narrat Vopiscus in Carino cap. 20. Et Delmatium Hanniballianum Constantini M. Fratrem *Censorem* discimus ex S. Athanasio Apologet. 2. quod perperam Delmatio filio tribuit Socrates hist. Eccles. lib. 1. cap. 27. ut probat Valesius in hunc locum, & ad Ammianum Marcellinum lib. 14. cap. 1. Itaut immerito post eum dubitasse videatur Godefridus Hermantius in notis ad vitam S. Athanasii, Gallicè scriptam lib. 1. cap. 14. Pridem verò sub Deciis *Censoris* nomen auditum, & Valeriano adhuc privato traditum, ut refert Trebellius Pollio in vitâ cap. 2. Symmachus integro seculo posterior lib. 4. ep. 45. loquitur de repudiata censurâ, quam totius Senatus fugavit auctoritas: in quam rem sese orationem texuisse meminit lib. 5. ep. 9.

Attamèn rara hæc exempla & infrequentia: quo factum est, ut paulatim exolescente Censoris nomine & usu, demum etiam & memoriae hominum penè exciderit. Nam, uti adnotavit Salmasius ad Capitolinum in vitâ Antonini Philosophi c. 22. scriptoribus ejus ævi *Censura*, prò gravitate vultus cum dignitate conjunctâ, accipiebatur, unde *oris censura*, quæ veteribus oris dignitas erat. Postea etiam pro ipsâ formâ, & pulchritudine oris: unde & *Censorium hominem vulgò*, qui pulcher esset, vocabant. Non omittam apud Gruterum pag. 343. num. 4. *Statuam auro superflsam locatam fuisse Anicio Paulino jun. Consuli ordinario ob meritum nobilitatis, eloquii, iustitiae, atque CENSURÆ.* Hanc vocem prò severitate morum & exactiore disciplinâ hic usurpatam arbitror, ex usu recentioris latinitatis, quem notavit Casaubonus ad proximum Capitolini locum. Anicius Paulinus junior Consulatum gessit anno 334.

Ceteri Imperatores, abjecto nomine, non semper sibi integrum & perpetuam *Censoris auctoritatem*, & jus detinuere; sed munera *Censoriae* potestatis exercenda privatis etiam aliquandò detulerunt. Augustus ipse, qui dignitatem *Censoriam* sustulit, *Triumviratum constituit recognoscendi turmas Equitum, quotiescumque opus esset* (quod munus erat *Censorum*) aliaque indè potestatis *Censoriae* officia inter plures divisi, testante Svetonio cap. 37. L. Volusius, sub Tiberio *Censoriâ potestate legendis Equitum decurijs functus* est, apud Tacitum Annal. 3. cap. 30: quo nil propius ad nostrum argumentum illustrandum, ut mox patebit. Exemplum aliud profero ex Dione in fragmentis lib. 78. pag. 882. ubi sub Caracallâ memorat, Ulio Juliano commissas fuisse *Censiones*: quem locum perperam à Xilandro redditum, ita restituit Leunclavius ad marginem, doctis omnibus probatus. Porrò *Censiones* facere pars erat *Censoriae* dignitatis.

Ut verò hæc omnia in rem nostram vertamus, videtur certò asseri posse, non aliter intelligendam inscriptionem, quam quod Imperator aliquis, cuius nomen nobis divinare

non

non licuit, AQUILIO potestatem censendi Equites Romanos detulerit, eo prorsus modo, quo apud Tacitum Volusius eadem Censoria potestate legendis Equitum decuriis functus fuit. Quam AQUILII dignitatem & munus Antiates eā formā expresserunt, A Censilus Equitum Romanorum, pro more Cæsariani ævi, ut jam ex Pignorio notavimus.

Ergo esse à censibus Equitum Romanorum, idem est ac potestate censendi Equites Romanos fungi. Censebantur verò Equites, vel cum adleūti in eum Ordinem spectatā census quantitate, vel cum ad militiam delecti, vel tandem cum in transvectione in ordinem redacti seu notati. Ut de his singulis aliqua attingamus, res ipsa, & AQUILIUS postulant. Censores sicuti ceterorum Civium censum æstimabant, ut in quem ordinem referri deberent, judicarent, ita etiam Equites ex censu in tabulas describi jubebant, unde Ordo equestris conflatus est. Ex hoc verò tantum priscis téporibus Equites, qui equo publico mererent, & legionibus assignarentur, delecti. Postea ex plebe etiam ipsā Censor eligebat, qui censum haberent equestrem, ut Equites fierent, & equi publici iis assignati, ut in legionibus militarent. Ita Salmasius de re militari Rom. cap. 21. putat interpretandum locum Polybii satis vexatum, ubi ait: *olim quidem equites solent legere, post pedites, nunc vero priores capiunt iuxta opes, secretione eorum à Censore factā.* Census equestris, etiam Imperatorio ævo, erat quadringentorum millium festertiūm. Martialis lib. 5. epigr. 16.

*Quadrinēta tibi non sunt, Callistrate, surge.
alia Scriptorum loca prætero.*

Legebantur ex singulis curiis, ex instituto Romuli, & aliqui equo publico donabantur, alii equo privato merebant. At gravis est quæstio inter doctos antiquitatum, num omnibus Equitibus publicus equus fuerit assignatus, an verò aliqui privato equo militarent. Sigonius de jure antiquo Civium Rom. lib. 2. cap. 3. Rosinus, & in eum Dempsterus antiqu. Rom. lib. 1. cap. 17. putant Equites solos, qui Romæ in

equestrem Ordinem adlecti erant, opponebanturque Senatoribus, equo publico meruisse: illos verò qui in exercitu peditibus respondebant, equo privato. Salmasius loco indicato, tantum ab hac sententia abest, ut existimet, nullum. Equitem fuisse, nisi cui equus esset publicus assignatus: ex eo verò numero lectos, qui legionibus adscriberentur, legionarios milites. Nullus ideo erat, qui non equo publico mereret, etiam ex equitibus legionariis. Quid in hoc opinio-
num dissidio sit statuendum, non vacat ad examen vocare. Sanè passim in veteribus inscriptionibus equi publici men-
tio, idque inter ceteros honores accensebatur. Quod argu-
mento esse videtur privato equo alias meruisse. Pueris etiam
id honoris aliquandò tributum: ut de Marco Antonino ad-
huc *sexenni* narrat Capitolinus in vita cap.4. quem locun-
ita emendarunt Casaubonus, & Salmasius.

Censores itaque Equites legebant, qui militiæ nomen darent. Hinc Volusium *Censoriā potestate legendis Equitum decuriis* functum ait Tacitus, loco semel iterumque lauda-
to. Decuria Equitum tertia pars turmæ erat, quarum decem cohoretur seu alam in unaquaque legione constabant. La-
pis Reatinus 1028. 2. exsculptus est L. Petronio equo publico
ex quintā decuriā, Norimbergensis 45.4. Veteranum præfett
ex decuriā alae Tami; alter 548. 10. *ex decuriā alae prime*. Et decuriati Equites apud Livium lib.22. quòd in decurias essent distributi. Hinc *decuriones*, qui decuriam regebant Tacito An. 13. cap.40. & hist. 2. cap.29. & aliis passim. Quòd itaque ipse Tacitus Volusium decurias Equitum legisse dicat, idem est ac *delectum Equitum* habuisse, ut in decurias legio-
num adscriberentur. Ita epigramma apud Panvinium de Ci-
vitate Rom. pag. 63. nuncupatur cuiquam, cuius nomen de-
tritum, PRAEF. IVVEN. EQVO. PVBLICO. ADLECTO
IN. V. DECVR. Obiter noto titulum *Præfecti juventutis*, nam Princeps juventutis ubique vocatur, qui equestris Or-
dinis primus. Novus hic titulus fugit diligentissimum Spa-
nheimium, qui plura de hoc Princepe juventutis refert in
differ-

dissert. 6. de usu Num. pag. 664. Non moror Lipsium , qui in hunc Taciti locum dubitat, an potius Volusius *decurias Judicium* legerit, quod censorium olim munus erat . Quamvis enim judices ex Ordine equestri sumerentur, in quo etiam variatum , nusquam tamen Equitum nomine sunt appellati. Id ex Plinio lib. 33. cap. 3. mihi aperte constat . *Divo Augusto* , inquit, *decurias ordinante*, major pars *Judicium in ferreō anulo* fuit: iique non Equites, sed Judices vocabantur. Tacitus qui rem proximam ad Augusti tempora narrat, & Plinio fuit æqualis , Volusium dixisset perfunctum potestate legendi *Judicium* decurias, non *Equitum* . Ità intelligo, invitatis licet Interpretibus, locum Suetonii in Tiberio cap. 41. ubi ait, eum regressum insulam Capream adeò Reipublicæ curam abjecisse, ut postea non decurias *Equitum* unquam supplerit, sequitur enim, non *Tribunos militum* , *Praefectosque*: quo patet utробique de re militari , non forensi , sermonem esse. Nec censorium hoc munus erat : testante Tullio in Cluventianâ, Judices à Prætore Urbano selectos fuisse, in qua quidem selectione tantum abest , ut Censores quidquam juris haberent , ut nunquam sibi Prætores Censoriam ignominiam impedimento esse duxerunt , quin ipsos Judices feligere possent . Idem Cicero in 3. de legibus singulatim recitat munera Censorum, quæ inter hoc legendi Judices nusquam repe ries . De his largius loqui oportuit , quod Taciti locus de Volusio assertus & explicatus lectio[n]i nostræ de **AQUILII** munere lucem mutuam & fulcimentum præbeat .

Alterum Censoris munus, quo Aquilium functum fuisse putamus, auctoritate & dignitate præcipuum , *Transuictio* , & *Probatio* Equitum erat. Idibus Quintilis ab Æde Honoris Equites equis insidentes, prætextati & oleâ coronati, in Capitolium transibant ; quam pompam describit Dionysius lib. 6. Id instituta Q. Fabii , teste Livio lib. 9. Valerio Max. lib. 11. cap. 11. Adsidebant in foro Censores, & Equites per Nomenclatorem citatos , equo adducto de stipendiis confectis interrogabant , addebantque examen morum , & vitæ.

Si quem non probatum invenissent, equo dempto, censoria notā mactabant. Insignis locus est ejusdem Valerii lib.4.cap.1.num.10. ubi Scipio Africanus Censor, centurias Equitum recognoscens, cùm nemo, qui accusaret C. Licinum, inventiretur, & ipse sciret, illum verbis conceptis peierasse, ne Judicis & accusatoris partes ageret, traduc, inquit; *equum, & lucrifac censoriam notam.* Vides quam vitæ, morumque innocentiam Censores quæsierint. Equum porrò traducebat Eques & transibat, cùm nullius flagitii compertus, & intactis moribus esset, & inde probatus dicebatur. Ovidius veniam exilii ab Augusto deprecatus, nullo se notatum probro ab eo in transvectione gloriatur, lib. 11.de Trist. el. 1.

*At memini vitamque meam, moresque probabas,
Ilo quem dederas prætereuntis equo.*

Et mox

*Carminaque edideram, cùm te delicta notantem
Præterii toties irrequietus Eques.*

Sanè Augustus Equitum turmas frequenter recognovit, post longam intercapelinem reducto more trasfectionis, inquit Suetonius cap.38. At Caligula, qui criminibus ipse & scelerum infamia vitam maculaverat, id in Equitibus Romanis non sustinuit, nam eos severè curiosèque, nec sine moderatione recognovit, palam adempto equo quibus aut probri aliquid, aut ignominiae inesset, apud eumdem Tranquillum cap.16. Narrat hic ipse diligentissimus Auctor Cæsarem nudatos opere censorio restituisse, in vita cap.41. Quod de equo adempto ob Equitum crimina commode potest intelligi. Nam & Cicero lib. 1.ad Attic. ep. 13. nudos equites probri plenos vocat. Et quisquis re aliqua caret, nudus, & nudatus dicitur: Sicut idem Tullius ad Quirites post redditū se nudum à proprinquis queritur; & Rempublicam interitu Consulum nudatam, lib. 10. famil. ep. 17. quæ est Planci. Nisi notatos reponere velimus, quod proprium est in re censoria vocabulum, complectiturque tām Equites quām ceteros Cives in quos nota censoria fuisset inusta. Eum vero etiam Equitem, qui habebat

ret equum gracilem, aut parum nitidum, impolitiae scù incuria notasse Censores, memorat Agellius lib. 13. noct. Attic. cap. 12.

Porrò tranvectionis, & recognitionis Equitum illustre monumentum nobis exhibet nummus Claudi apud Oise- lium loco jam indicato. Cernitur Imperator prò tribunali Sellæ Curuli insidens, & ante eum Eques equum adducens cum subscriptâ epigraphe CENSOR. ad designandum mo- rem illum, quo Equites in publicâ recensione ad Censorum Sellas venire solebant, equumque vel traducere, si innoxii, vel notam subire, si culpæ rei inventi fuissent. Hanc verò Equitum recognitionem, & recensionem privatis etiam de- mandatam supra ostendimus. Quare eam egisse & nostrum AQUILIUM, qui à censibus Equitum Romanorum fuit, ipsis scilicet censordis prefectus, non omnino à verisimili alienum puto.



C A P U T IV.

Nummi ad Urbem Ravennatē pertinentes explicantur.
Ejus Portus antiquis celebris. Suetonius defensus adver-
sus Cluverium. Classes toto imperio dispersæ sub Augusto
ad Ravennam, & Misenum collocatae. An Liburnæ, vel
Trieres in Classe Ravennate. Vegetius assertus. Num mili-
tes Legionarii Classibus impositi. Livius defensus. Iterum
Vegetius à Lipsio reprehensus vindicatur. Ravennæ rei Na-
valis studium, Neptuni Templum, Neptunalia festa, &
Pharus in ejus Portu. Cur Classis Rav. Prætoria dicta. De
Præfecto Classis. Nummi Sexti Pompeji novi explicatione
illustrati. An Cleopatra Præfecta Classis appellata. Præ-
fecti Classis ex ordine equestris, cui AQUILUS denuò ac-
censetur.

PRAEF. CL. PR. RAVENNAT.

Præfecto Classis Prætoriae Ravennatis.

 ONGO itinere, quo Accensos in foro, in acie, in Palatio, equites in Urbe, & in Castris prosequunti sumus, fatigati, Portum Ravennatē teneamus, quo mare superum in sinū nobilissimā Urbis influit, & classis Prætoria Romanorum, tutissimā statione collocatur. Huiç Præfectum cum summā potestate nostrum AQUILIUM convenimus, qui nos ideo, ut ejus dignitatem, Portum ipsum, classeisque studiosā antiquitatis investigatione contempleremus, aliquandiu moratos cupit. Urbis sanè ipsius vetustatem, splendorem, & decora prætermittam, cum ea prolixè Scriptoribus celebrata, aliorum curam & solitudinem liberent. Philippus Cluverius in Italiam antiquā lib. i. pag. 301. & Hieronymus Rubeus hist. Ravenn. lib. i. quidquid in hoc argumentum dici possit, penè exhauserunt. Attamen nummos aliquot, quos recens in

in lucem prolatos ipsi videre non poterant, colligere, & levi explicatione illustrare non pigebit. Eos delineatos exhibit doctissimus Cangius de famil. Byzantinis in Mauritio, Heraclio, & Constantino. Insignior inter ceteros sculptum præfert caput mulieris turritum, vel ut ipse ait, cum coronâ murali additâ epigraphe: FELIX. RAVENNA. In parte posticâ Aquilam habet alis expansis cum Stellâ. Ejus typum eti incisum exhibeo in tab. num. 5. ut præclarum hoc nobilissimæ Urbis monumentum nostris quoque scriptis præfulgeat. Alii produnt in latere averso Urbis monogramma RE: ceteri in parte inferiori hos characteres RAV. Percussos meritò suspicatur Cangius ab Exarchis dum Ravennæ Græcorum Imperatorum nomine res Italas moderabantur. Ex quo diognoscimus in ea Urbe tunc monetariam fuisse institutam officinam; id enim ejus nomen ubique insertum indicat. Caput mulieris turritum, Genium Urbis designat apud omnes rei monetariæ peritos. Felicis epitheton claræ Urbes sibi usurparunt. Felix Roma, Kartago, Berytus, & aliæ passim occurunt. Id in adulationem aliquandò excogitatum: cùm enim Civitates se ab Imperatore beneficio aliquo affectas testari vellent, percusso ære publico, Felices se ab eo redditas fatebantur. Is mos restauratarum potissimum fuit; ut cùm Carthaginienses vocat Tertullianus de Pallio, vetustate nobiles, novitate Felices, & nuper subiectarum Provinciarum, ut Felix Dacia, hoc est secundum antiquam Trajani inscriptiōnem apud Grut. 249. 4. Cujus virtute Dacia imperio addita FELIX est; Felices etiam Urbes dictæ magnitudine, & opibus florētes. Quæ ex Spanhemio de numism. dissert. 8. p. 757. sunt deprompta. Ravenna itaque se, uti opinor, FELICEM prædicavit, quod ceteris Italiae Urbibus direptis, & barbarorum jugo oppressis (tunc enim Longobardi totam pene eam provinciam subegerant) sola Imperatorum præsidio servata fuisset. Aquila Imperium Romanum, sub quo eâ felicitate fruebatur, effingit, & quidem adiecta Stella, quæ Phosphorus, seu Lucifer, Orientis indicium, esse videtur, ipsum

Orien-

Orientale Imperium figurat, quod solum tunc Imperatores obtinebant. Ita numisma Leonis Imp. in quo *Stella* scalpta est, interpretatur Jacobus Chiffletius in *Anastasi Childerici* cap. 17. P. Harduin in nummis antiquis populor. & urb. pag. 417. monetam Ravennatem ejusdem stemmatis describit, nisi quod *Aquila* adstant dux *Stellæ*, non unica. Si eumdem Chiffletium sequamur, ea percussa est sub aliquo Imperatore, cui utrumque Imperium suberat, & geminæ *Stellæ* Phosphorum, & Hesperum, Orientem scilicet, & Occidentem designant.

Ut verò rem nostram ingrediamur, situm Urbis Portumque Ravennatem præ cetèris graphicè describit Procopius rer. Gothic. lib. 1. cap. 1. cujus verba profero ex postremā versione Maltreti. *Est Ravenna plana in Campo posita ad extreum sinum Fionum: à quo stadiis duobus distat. Neque enim maritima est, nec videtur adiri Classibus facile posse, immo nec pedestribus copiis. Quippe naves ad littus illud appellati nequeunt, prohibitæ brevibus, quæ in mare ad xxx. saltum procurrunt stadia, ac circuitu suo longissimè eos ipsos à littore submovent qui illud habent in conspectu proxime navigantes. Pedestrem verò excludunt aquæ, quibus Padus amnis, quem & Eridanum vocant è montibus Gallicis eò decurrens, aliique fluvii navigabiles, & lacus, Urbem illam undique ambient. Inde narrat æstus marini reciprocationem, qua naves ad Urbem vebantur, & revehebantur. At Lectori prolixam fortè descriptionem pertæso, amoëniorem elegantiissimi Poëtæ Claudiiani de 6. Consul. Honorii subjicio.*

*Dixit, & antiquæ muros egressa Ravenna
Signa movet: jamque ora Padi, portusque relinquit
Flumineos, certis ubi legibus advena Nereus
Æstuat, & pronas puppis nunc amne secundo,
Nunc redeunte vebit, nudataque littora fluctu
Deserit, Oceani Lunaribus æmula damnis.*

Lusit facetè, Urbem portumque ipsum describens, Sidonius lib. 1. epist. 8. ad Candidianum. Horum tamen scriptorum





ævo plurimū ab antiquā amplitudine defecisse Ravennam portum haud dubito . Nam illuvie fluminum , & maris arenam protundentis impetu , sensim ea loca opplebantur . Quo circā Jornandes de rebus Get. cap. 29. ætate suā , quæ Procopio par fuit, testatur, Ravennam , quò aliquando *Portus fuerat , spatioſſimos Hortos ostendisse* . Utinam hodie adhuc Hortos , non potius stagna & paludes infecundas ostenderet . Manet tamen nominis umbra , dum locus , ubi Portum novum servandæ Classi struxerat Augustus , eādem *Classis* appellatione adhuc vocatur , nobilissimo Mōnasterio insignis . Quo eodem *Classis* nomine Procopio lib. 2. de Bell. Goth. & Paul. Diacono lib. 6. cap. 4. indigitatur .

Ergò situs opportunitatem , & commodam navibus stationem nactus , *Populus Rōmanus* , ait Vegetius lib. 5. de re milit. cap. 1. aliàs lib. 4. cap. 31. *Classem semper habuit præparatam , nam apud Misenum , & Ravennam singulæ legiones cum Classibus stabant , ne longius à tutelâ Urbis abscederent , & cum ratio postulasset , sene mora , sine circuitu ad omnes mundi partes navigio pervenirent* . Tacitus lib. 4. Annal. cap. 5. recensens , quas Tiberius copias in armis retineret , *Italiām præsedisse narrat utroque mari duas Classes , Misenum apud & RAVENNAM* . At Cluverius pag. 305. carpit Suetonium , quasi dixisset , hoc fuisse inventum Augusti , cùm ante ipsum , teste Cicerone in orat. pro lege Manil. Pompejus *Italiæ duo maria maximis Classibus , firmisque prædiis adornasset* : & Vegetius jam recitatus non equidem Augustum , sed populum Romanum id fecisse tradat , Tacitusque nullam ipsius Augusti faciat mentionem . Poterat laudare & Appianum , qui lib. 5. de Bell. Civi li pag. 717. editionis Græcolat. Henrici Stephani 1592. refert Augustum ante Actiacum prælium Naves Ravennæ longas quamplures adduci curasse , ut eas adversus Sex. Pompejum Magni filium sisteret , & pag. 718. Cornuficium à Ravennæ Tarentum eisdem traducere jussisse . Verūm Cluverius vel Tranquilli sensum non est assequutus , vel consultò

ei dicam impingit, ut conficti erroris triumphum canat. Ejus hæc sunt verba in Augusto C. 49. Ex militaribus co-piis legiones & auxilia provinciatim distribuit (Augustus) Classem Miseni. & alteram RAVENNÆ ad tutelam superi, & inferi maris collocavit. Ante Augustum & Aetiacum prælium vase erant Romanorum classes, eò occurrere jussæ, quò bellorum vices exposcerent: & toto Imperio distributæ, ut nationes nondum pace firmatas compescerent. Ità Polybius lib. 2. circa Dyrrachium habitam classem memorat: alias in Siciliâ, & Sardiniâ locat Livius lib. 23. easque Provinciarum præsides vocat. Et omnes Provincias, non tantum Siciliam, classes alere consueisse, tradit Cicero in Verinâ quintâ. At Augustus post Aetiacam victoriâ, toto Orbe pacato, Classes sic antea dispersas & vagas in duas maximas veluti coëgit, & apud Ravennam & Misenum ad Imperii securitatem & præsidium disposuit, ut inter se connexæ, uti ait Tacitus, utrumque mare clauderent, & inde ob statonis opportunitatem sine mora ad omnes mundi partes pervenirent; Nam Classis Misenatium, prosequitur Vegetius de hac Augusti distributione dubiò procùl loquens, Galliam, Hispanias, Mauritaniam, Africam, Ægyptum, Sardiniam, atque Siciliam habebat in proximo. Classis autem Ravennatum Epyrum, Macedoniam, Achaiam, Propontidem, Pontum, Orientem, Cretam, & Cyprum petere directâ navigatione consueverat. Ex quibus verbis etiam liquet, nullas ad eas Provincias, ut anteâ, Classes relictas fuisse. Itaque Augustus primus quidé Classes, ex toto Romano Orbe collectas, Miseni & Ravennæ consistere jussit; fixasque & stabiles ordinavit: idque voluit Svetonius, nec aliter intellegendus est Tacitus, quem planum est, Augusti ordinatiōnem respexisse; sub Tiberio enim nil immutatum, ut docent ejus verba sequentia: Porro Vegetius non nominat Augustum, sed populum Romanum, quia etiam eo cuncta ad se munia trahente, adhuc tamen majestas & nomen populi Romani prætendebatur. Et Cicero in oratione prò le-

ge

ge Manil. Pompejum duo maria maximis Classibus adornasse ait, nullâ stationum, quibus essent infixæ, mentione habita. Imò eas ex variis Imperii locis collectas, opportune ita ordinaverat Pompejus contra piratas maria omnia directionibus infestantes, ipsique Italæ imminuentes. Unde num. 35. ait orator: *tria frumentaria subsidia reipublicæ, videlicet Siciliam, Africam, atque Sardiniam, firmissimis præsidij, classibusque munivit, & paullò post num. sequenti: Missis item in oram Illyrici maris, in Achaiam, omnemque Græciam navibus, Italæ duo maria maximis classibus, firmissimisque præsidij, adornavit.* Ita Pompejus tumultuario & subito ad piraticum bellum apparatu, non certis & manus suis sedibus, Classes circa Italiam statuerat.

Porrò eâ ratione, qua maritimas Classes opportunè locavit Augustus, *ex militaribus etiam copiis legiones, & auxilia provinciatim distribuit.* Cùm enim prius quò bellorum pericula vocarent, eò exercitus traducerentur, compositâ pace, legiones suis quæque provinciis designate sunt, ad limites tuendos, & reipublicæ robur & tutelam. Quod sanè consilium inter principatus arcana retulit Tacitus Annal. I. cap. 9. *Dum mari Oceano, aut amnibus longinquis septum Imperium: legiones; provinciæ, Classes, cuncta inter se connexa essent.*

Imperatores post Augustum, optimum ejus consilium sequuti, Classem Ravennæ habuere. Meminit Tacitus bello Vitelliano histór. lib. 2. cap. 10. lib. 3. cap. 6. & 40. Spartianus sub Didio Juliano cap. 6. & Notitia Imperii, quam sub Honorio conscriptam eruditii censem. Conventum Navium ad Urbem Ravennatem fieri, nautasque traduci iussit Théodericus ex Cassiodori epist. 16. & tribus sequentibus lib. 5. Nec lapidum testimonii destituimus, quorum unicum ex Grutero pag. 359. 3. adscribam instar exempli: ceteros in ejus indice uno conspectu reperies.

T. APPEIO. T.F. VEL
 ALFINIO. SECUND. &c.
 PRAEF. VEHICVL. SVB. PRAEF.
 CLASS. PRAET. RAVEN. &c.

Si quæras quo navium numero Classis Ravennas constaret, frustra auctores antiquiores solicitaveris. Unus Jornandes sexti seculi scriptor, testimonium Dionis, quod nusquam hodie occurrit, nobis servavit. Ejus sunt verba de rebus Getic. cap. 29. ex recognitione Vulcanii: *Classem CCL. navium Dionē referente tutissima dudum credebatur recipere statione.* Post Actiacum prælium cum experimento tanti certaminis patuisset, Liburnorum naves, quibus præcipue vicitus fuit Antonius ceteris aptiores, similitudine & nomine usurpato ad earum instar Classem Romani Principes texerunt. Ita Vegetius lib. 4. cap. 33. qui & Classem Misnatem, & Ravennatem eodem genere navium fuisse instruam in superiori cap. 32. dixerat.

At epigrammata antiqua apud Cl. Fabrettum eas non Liburnas, sed Trieres, seu Triremes vocant. Tria Ravennensia exscribo ex cap. 5. pag. 365. Inscription. domesticar. alia Misnatem Classem spectantia prætermitto.

T: FLAVIO. CANDIDIO
 MILITI. CLAS. PR. RA
 BEN. III. HERCULEIS
 NATIONE. SIRVS

Secunda inscriptio exhibet militem CL: PR. RAV. III.
 AVG. tercia denique alium militem C: P: R. III. PACE.
 Quippe notam illam III. Trierem significare eruditus Auctor hic indicat, & in Syntagm. de Colum. Trajana cap. 4. pag. 113. latius probat. Quo videtur Vegetius deceptus, cum Classem ex Liburnis constructam memorie tradidit. At diligenter

ligentissimus hic scriptor mihi est defendendus.

Quodcumque genus navis militaris sequioribus temporibus, cùm fortè nostræ inscriptiones incisæ sunt, *Trieris*, seu *Triremis* nomine appellabatur. Livius lib. 33. cap. 16. Romanos ait cum Philippo convenisse, *ut naves omnes tectas* (scilicet militares) traderet. Has Zonaras, rem eandem narrans *Triques*, *Tieres*, seu *Triremes* vocat, unde Hesychio *Triques*, *Triremis militare navigium quodcumque* dicitur. Scalptores igitur lapidum Rauennatum vulgato ejus temporis vocabulo usi, *Trierem* usurparunt pro omni genere navis militaris. Non tamen adeò obsoletum Liburnarum nomen, ut protsus memoriae hominum excederit. Exstat inscriptio Rauennatensis apud euindem Fabretum in Syntagmate Columnæ Trajan. pag. 115., quo memoratur SVAVIS. DE. LIBVRNA. DIANA. Alias profert inscription. domesticar. lib. 5. pag. 366. quas inter eam quæ numer. 122. signatur ex Reinesio Caprulis existare, à proximâ Aquilejâ illuc translatam fuisse oportet, nam ibidem olim positam in meis schedis reperio. De Liburnicis Classis Rauennatis mentio est apud Tacitum hist. 3. cap. 14. 42. & alibi. In Terracina expugnatione, quam idem Auctor describit cap. 77. Vitellianis Classem invadentibus sex Liburnicæ, inquit, *inter primum tumultum evasere, in quib[us] Praefectus Classis Apollinaris, reliquæ in litore captæ*. Tota ergo hæc Classis, quæ Misenati pars erat, Liburnis constabat. Hinc apparent *Trieris*, & *Liburnæ* nomen promiscuè fuisse acceptum. Sane utrumque rem eamdem designare tradit Svidas: *Triques*, *triremes*, *bellica navigia*, *quæ liburnæ* vocantur. At Vegetius licet scriptor posterioris ævi, cùm tamen tempora Augusti respiceret, maluit eam appellationem, quam tunc usurpatam noverat, retinere, navesque Classiaris & militares, *Liburnas* vocavit. Et quidem Plutarchus quoque in Antonio, naves, quibus usus est Augustus bello Actiaco, *Liburnas* appellavit. At Vegetum ita vindicatum dimittamus. Porro III. *Herculis*

*lis, Augusti, Pacis, Providentiae, & cetera vocabula ; nomen
navis , seu insigne indicant, de quibus eo loco Frabrettus,
Schefferus de militiâ naual. lib. 3. cap. 1. & Seldenus de
DIS Syris , Syntagm. 2. cap. 16.*

Militum Classiariorum mentio ingesta quæstionem
excitat, num ii legionarii essent , vel deterioris in militiâ
gradus? Vegetius loco jam recitato disertis verbis ait, *apud
Misenum, & Ravennam singulas legiones cum Classibus
stetisse*. Hunc acerbius fugillat Lipsius de magnitud. Röm.
lib. 1. cap. 5. & classibus non legiones , quæ Civibus consta-
bant , sed Cohortes exterorum militum impositas contem-
dit . Tacitus enim non semel refert , Clasiarios militiam
legionarium , ut honestiorem, petuisse , & aliquando impe-
trasse . Et de Classe Ravennate loquens, *ambiguos, ait, mili-
tum animos, quod magna pars Dalmatae, Pannoniique erant.*
Locus est lib. 3. hist. cap. 12. In Lipsii suffragium convolant
Fabrettianæ inscriptiones , quibus milites duo natione Ci-
lices, unus Syrus , alter Ægyptius , tres Pannones , alter Bes-
sus, & postremus Delmata Classibus Misenensi , & Raven-
nati adscripti memorantur . At variatum , ut pleraque in
militiâ Romanâ, in delectu quoque Classiariorum mili-
tum , mihi certum videtur , vel ob rerum difficultatem &
opportunitatem, vel pro libitu Principum . Nec ea propter
notandus Vegetius , qui ex more sui ævi , vel potius Au-
gustæi, ad quod ejus verba referri debent , loquutus fuit .
Nam hac ipsâ ætate Augusti certo testimonio discimus Le-
gionem XVII. Classi adscriptam . Inter nummos M. Anto-
niï, quibus legionum nomina scalpta sunt , unum conspicim-
mus cū hac inscriptione : LEG.XVII. CLASSICAE. apud
Ursinum Patinianæ editionis pag. 31. Quæ eadem fortasse
septima decima legio est , quam , tradente Tacito histor. 1.
cap. 80. è Coloniâ Ostiensî in Urbem acciri Otho jussérat , ibi
detenta ut Classi instruendæ præstò esset . Nam Ostiæ Clas-
sem habitam hoc ævo, satis est notum . Præterea Legio Clas-
sica est apud eundem lib. 1. hist. cap. 31. & prima Clas-
sicorum

rūm Legio lib. 2. cap. 62. memoratur. Ut verò saxa Fabretti, quæ milites externos signant, alio lapide collideremus, opportūnè ante paucos dies in Portu Romano Trajani effossum est præclarum epigramma sepulcrale, quod manu CL. D. Bernardi Montfauconii, cuius alibi erit mentio, de- scriptum hic profero.

C. DOMITIUS. POLLIO
 PATER. VETER. AVGVSTI. EX
 CLASSE PRAETORIA. MISENAT
 FECIT. SIBI. ET
 DOMITIAE. C. F. PIAE. ET
 DOMITIAE SPEI. LIB. ET. CONIVG
 LIBERTIS. LIBERTABVS. POSTERIS
 EORVM
 HVIVS MONVMENTI. INTROEVNTIB
^{fic}
 PARS. SINSTERIOR. AD. FAMILIAM. LSS.--
 PERTIN
 IN. FR. PED. XVI. IN. AGRO. PED.XXXVIII.

Domitius Pollio (quod cognomen genti Domitiæ usurpatum fortasse alibi non reperies) Pater vocatur, qui ejusdem nominis filius tunc vivebat. Ergò hic miles erat *veteranus ex Classe Prætoriâ Misenate*, Legionarius utique, cùm notas omnes Civis Romani præferat. De statu monovi nequit quæstio, indicio conjugis quæ etiam ejus liberta dicitur. Frequentissimum enim erat, ut herilis affectus in matrimoniale societatem coalesceret, ideoque passim iudein *patroni & conjuges* in marmoribus inscribuntur. Octo ejusmodi exempla producit idem Fabrettus cap. 4. p. 289. In antiqua quoque militiâ legionarii milites ad maritimæ expeditiones cogebantur. Refert Polybius lib. 1. Claudium bello Punico primo, *remiges è vestibulo navibus imposuisse*, cum *selectis epibatis*, qui ex universis Legionibus sese offerebant. Et Livius lib. 36. cap. 3. ait Senatum decreuisse, *Colonis maritimis*

Ante quam pedem è Classe efferam , idem Livius ab injuriâ est vindicandus . Hæc ille scripserat lib.4. cap.33. Classibus quoque ad Fidenas pugnatum cum Vejentibus , quidam in Annales retulere : rem æque difficultem ac incredibilem: ne nunc lato satis ad hoc amne , & tum aliquando , ut à veteribus accepimus , arctiore . Tanaquillus Faber lib.1.epist. crit.47. oscitantiae aut inscitiae insimulat nobilissimum historiæ Romanæ conditorem . Si enim , inquit , scivisset , veteres Classem numero singulare vocasse , non modo exercitum navalem , sed terrestrem etiam ; in plurium verò numero Classes usurpasse pro Equitibus , seu Equestribus copiis , testantibus Virgilio , Festo , Agellio , Isidoro , & aliis , mirari tantopere desisisset , Classibus ad Fidenas pugnatum . Ejusmodi lapsum hinc fluxisse ait Carolus Datus in præfat. libri inscripti Prose Fiorentine , quod Livius , peregrinus homo cū esset , vim & sensum Romanę locutionis perfectè callere non poterat . Eoque tam grandi exemplo suos docere putat , nil hodiè quoque , nisi ex Arno cum lacte haustum , illime & purum fluere . At docti viri non animadverterunt ad integrum narrationem prælii , in quo cùm fuisse certatum tam pedestribus quam equestribus copiis , scriptores illi qui retulerant , pugnatum quoque classibus , non poterant eo vocabulo denuò equites significare , sed re verà de navali prælio intellexerunt . Quod cum vidisset Livius , rem difficultem credidit , nisi forte id gestum diceretur , ut subdit , in trajectu fluminis , prohibendo aliquarum navium concursum .

Tanta porrò rei navalis Ravennæ cura & nautarum frequentia fuit , ut Armamentarium extruendis navibus amplissimum in eâ esset , teste Appiano lib. 5. bell. civil. pag. 718. quod tempore Theoderici adhuc manebat . Juhet enim Rex epist. 18. lib. 5. Cassiodori , convenire ad Urbem Ravennatum navigandi artifices , ut adventus eorum constructioni navium opportune videatur offerri . Prætereà &

Tem-

Templum Neptuno dicatum , & Neptunalia festa instituta fuere. Exstat Ravennæ , testante Rubeo lib. 1. hist. insigne antiquitatis exemplum, quo significatur , L. Publicium Italicum largitiones populo fieri jussisse IN AEDE NEPTV. QVAM IPSE EXTRVXIT. DIE. NEPTVNALIO-RVM . Illud recitat etiam Gruterus pag. 460. num.3. Neptunum maris Deum præsidem omnes norunt. Neptunalia in ejus honorem Romæ celerabantur x. Kal. Augusti, ut notatur in veteri Kalendario . Festa hæc navigiis agebantur , teste Ausonio in Ecloga de feriis, & eo die ferias institutas docet Varro de ling. Lat.lib.5. Immo ludis Neptunaliis varia spectacula edita intelligo ex Laetantio lib.6. divin. instit. cap.20. quo loci Circenses Neptuno dicatos memorat . Eo ergo die , quo Romæ , etiam Ravennæ Neptunalia, de quibus in inscriptione L. Publicii , celebrata suspicari possumus, & simili, si non pari, spectaculorum genere & pompâ .

At hæc inania nautis præsidia , & vana falsi numinis religio . Portum Ravennatem brevia & syrtes ad triginta stadia, ut refert Procopius jam adductus, rer. Gothic. lib. 1. cap. 1, obsidebant. Quare Turris ædificata ad ejus ostium , quæ Pharus, ut celebris illa Alexandrina, vocabatur , teste Plin. lib.36. cap.12, ut perpetuo lumine inter cæcos viarum anfractus nocturnos navium cursus indicio opportuno dirigeret.

Cur vero Classis Ravennas PRAETORIAE illustri vocabulo in nostrâ inscriptione ornata? Nomen illud in Gruterianis quoque sese offert. Videas pag. 359. 3. pag. 383. 7. pag. 62.5. & pag. 1031. 8. & Misenensis Classis Prætoria identidem dicta pag.521.5. pag. 67.4. & 1030.3. Lipsius de magnitud. Rom.lib. 1.c.5. ita vocatas putat Clas ses Ravennatem, & Misenensem, dignitatis causa, & quia inter minores alias, ut prætoria aliqua navis , eminerent. Vel exemplo Prætorianarum cohortium sic appellatas, quia ad Italæ , & Principis tutelam excubabant : quod ex locis

Taciti, & Svetonii superius adductis colligitur. Schefferus de militâ naval.lib.3.cap.7. addit, Græcis postea Imperatorias appellatas, ex Leone Imp. & Constantino novell.3. Quorum conjecturis oppidò acquiesco . Observat Fabrettus cap.5. inter domestic. pag.365. Castra Misenatum Classiariorum , & fortasse etiam Ravennatum, Romæ Castris Prætorianorum militum admota conspici ; nam legitur in inscriptione, Turri angulari eorumdem Castrorum inhærente C. MISENATIVM. ET Huic conjecturæ nostra accedat , quod scilicet Prætorianis Castris ideò Castra Misenatum & Ravennatum adposita fuerint, quia pari nominis dignitate fulgebant: sicuti enim illi milites è Castris Prætorianis , ità hi milites è Classe Prætria. At dum hæc sub manu Typograhi sunt, ipse clarissimus Fabrettus , hac die vii. idus Februar. MDCC. fato non sibi jam octuagenario , sed literis immaturo , mortalitatem exclexit . Post præclara volumina satis Orbi erudito nota , spem præcidit alterius operis , cui adornando vegetam & validam ad extremum usque senectutem impendebat. Descriptionem Agri Romani antiqui moliebatur, cuius non locus, non situs , & penè dixerim saxum nullum est , quod ingenti plurium annorum labore non perlustraverit, & eruditâ meditatione ad vetustatis exempla non comparaverit. Non pauca jam ordine suo digesserat , mappam Chorographicam , & nonnullas Iconographicas tabulas adumbraverat ; at pleraque adhuc informia & indigesta in adversariis jacent, præter ea , quæ autopsiâ quæsita animo & mente complectebatur . Mihi verò inter publica damna luctuosis amicissimi viri jactura est, qui me nunquam à congresu suo nisi cum fœnore dimittebat, addebatque animos in vetustatis amorem, & meam hanc lucubrationem proniori judicio exornaverat .

Ad dignitatem seu officium Prefectoræ, quod in Classe Ravennate noster AQUILIUS agebat , gradum faciamus . Florente Republica , vel unus ex Consulibus , vel

Duum-

Duumviri , vel Prætor , rei navalis imperium tenuisse satis ex Livio , & Polybio constat . Prima *Præfecti Classis* appellatio , ni fallor, apud eumdem Livium occurrit lib. 26. cap.40. Sub Augusto primum hoc imperium peculiare ac perpetuum cœpisse , cùm scilicet duas Misenatium , & Ravennatium Classes ordinasset , putat idem Schefferus lib.4. cap.5. additque nihilominus eum titulum Pompejo antea donatum , cùm ipsius potestati à S.P.Q.R. cuncta maria committereatur , idque dignosci ex nummo , in cuius uno latere insculptum est MAG. PIVS. IMP. ITER. in altero PRAEF. CLAS. ET. ORAE. MARIT. At nummus hic , & alter apud Fulvium Ursinum in secundâ tab. familiæ Pompejæ , non pertinent ad An. Pompejum Magnum , cujus tamen imaginem referunt , sed Sex. Pompejum ejus filium , qui Magni cognomine porrò usus est , ut idem Ursinus & Spanhemius differ. 6. p.558. ostendunt. Hæret aqua eidem Ursino in explicandis duobus aliis nummis , quinto nempe & quarto ejusdem tabulæ , quorum Epigraphe talis est: SEX. MAGN. PIVS. IMP. SAL. & alterius MAGNVS. SAL.IMP. ait enim in illis p̄t̄ter Pietatis signum nihil quod notatu dignum videatur, impressum esse ; nec enim de Salute dea quæ fortasse notâ illâ SAL. significatur; quicquam se legisse quod ad Sextum aliquo modo pertineat, addit Patinus , nisi quod profugos exceptit & servavit . At ego aliquid notatu maximè dignum in illis reperio , quodque Sexto mirum quantum conveniat . Ita enim eos interpres: *Sextus Magnus Pius Imperator SALacius* . Narrat Appianus lib.5.de bell.civil. pag.729. Sex. Pompejum eò dementiè venisse, ut se Neptuni & Salaciæ filiū appellari sustinuerit. *Salaciam* antiqui Neptuni uxori à Salo dicebant, teste Varrone lib.4.de lin.Lat.& Festus in verbo *Salacia*, ita vocataam, ait, *deam Aquæ, quam putabant Salum ciere, hoc est mare mouere.* Cum verò Sex. Pompejus in nūmro Q.Nafidii apud eumdem Ursinum pag. 187. & in familia Pomp. nūm.2. se *Neptunum* appellari passus sit , quocirca & ab


Horatio Epodon od. 9: per derisum *Neptunius* dictus, quid mirum, quòd, cùm & *Salaciæ* filium sese jactaverit, ipsum se quoque *Salacium* in nummis vocari voluerit? Primi nummi ecotypum exhibui in tab. numismatum num. 10. pag. 6.

Sextus ergò Pompejus ex Senatus Consulto *Præfecti Classis* titulo ornatus fuit. Sub idem temporis, adversus eumdem Pompejum, *Præfectum Classis Calvisium* constituerat Octavius, testante Appiano lib. 5. pag. 718. At non multò post eamdem appellationem usurpavit M. Antonius, quamvis in supremo Imperii fastigio positus. Unum & alterum numinum exhibit Ursinus in duobus postremis tabulis familiæ Antoniæ pag. 32. quibus signatur caput ipsius Antonii & Cleopatræ, in aversâ verò facie navis cum inscriptione: P R A E F. CL A S S. Licet obvia sit interpretatio, *Præfectus Classis*; ad M. Antonium referenda, attamen Patinus aliam obtrudit, & *Præfecta Classis*, legendum censet, ut ad Cleopâtram sit titulus pertineat. Novum sane vocabulum quod nonnisi mulier impotens comminisci, & amot vesanus pati possit: & audax conjectura, ut ipsemet fatetur, sed ita ut eam adoptare videatur, in Plutarchio rationem appellationis sibi singens. Potius alia ejusdem explicatio arrideret; ut M. Antonius se *Præfectum Classis* dici voluerit, quasi à Reginâ *Classi suæ præfectum*. Cuique conjectandi fas esto: nobis titulum, & dignitatem *Præfeti Classis* ante Augustum, ut proposueramus, in more positam fatis fuit ostendisse. Ceterum ad ejusdem Imperatoris ordinationem, quod Scheffero placuit, & nostrum argumentum attinet, videntur referenda verbâ Vegetii lib. 4. cap. 32. ubi ait: *Liburnis quæ in Campania stabant Præfectus Classis Misénatium præerat, et vero, quæ Jonio in mari locatae fuerant, ad Præfectum Classis Ravennatium pertinebant*. Et mansit nomen dignitatis in utraque Classe, Tacito non semel attestante locis inferius recitandis, & inscriptionibus quæ sunt incerti temporis. Has, ne paginam in re certâ lapidibus obruam, petere poteris ex Scaligeriano indice apud

apud Gruterum, & nonnullas dabit Fabrettus. Porrò *Præfectus Classis* propriè in milites *Classarios* imperium exercebat, ne quis eum cum *Præfecto remigum*, cuius meminit Tacitus An. 13. cap. 30. confundat. Hunc tamen, ut & alios variis in Classe muneribus admotos, illius dicto & supremo nutui parvisse, non ægrè credendum est.

Tandem, ut propius ad nostrum **AQUILIU M** oratio accedat, quæramus cuius ordinis & dignitatis *Præfecti Classium* haberentur. Tacitus nobis toties laudatus lib. 2. hist. cap. 100. Lucilium Bassum, Ravennati simul, & Misenati *Classibus* à Vitellio *præpositum*, ideo moliri defecctionem Ravennatis aggressum fuisse narrat, quod non statim à Vitellio *præfecturam Prætorii* adeptus foret. *Præfecti Prætorio* ab ordine Equestris sumebantur ex Mæcenatis consilio, quod Augusto dedit, teste Dione lib. 52. pag. 480. nec nisi sub Severo Alexandro id mutatum, qui *Prefectis Prætorio suis senatoriam addidit dignitatem*, uti refert Lampridius in vita cap. 21. & ut rem præter morem narrat noster Cornelius lib. 4. hist. cap. 68. Mucianum, qui ante adventum Vespasiani vim & potestatem principatus Romæ complectebatur, Aretinum Clementem *Prætorianis præposuisse*, quamquam *senatorii Ordinis*. At disertis verbis Svetonius de Tito ait cap. 6. *Præfecturam quoque Prætorii suscepit, nunquam ad id tempus nisi ab Equite Romano administratam*. Quod videtur contrarium testimonio Taciti nunc relato de Aretino, qui ante Titum *Præfectus* fuit. Cùm itaque Bassus ex *Præfecto Classis Ravennatis* ad *Præfecturam Prætorii* evehi ambiret, tunc equestris *Ordinis* fuisse oportet. Ad id etiam ostendendum prælucet ipsemet Tacitus hist. 3. cap. 12. quo loci Cornelium Fuscum *Classi Ravennensi Præfectum* destinatum refert. Is vero Fuscus teste eodem historico lib. 2. cap. 86. claris natalibus primâ juveniâ, quietis cupidine, *senatorium Ordinem exuerat*. Ergo inter Equites mansit, & Eques ad *Præfecturam Classis* evectus est. Rem verò mihi nullam facessit exemplum An-

ceti Liberti, qui Classis apud Misenum Præfctus fuit, eodem Tacito auctore lib. 14. Ann. cap. 3. Nam Neronem qui Rem publicam pessundare, & cuncta susque deque versare inter Imperii jura recensebat, hoc etiam præter morem induisse non est mirum. Non ita Augustus, qui bello civili Pompejano non sustinuit Menodorum Libertum, non Præfectum modò Classis, sed Præfecti Legatum constituere, nisi prius ingenuum declarasset, teste Appiano lib. 5. bell. civil. pag. 718. Stetit ergo Præfectura Classium Ravennatis, & Misenatis apud Equites Romanos, & quidem illustiores, & summis in Republica dignitatibus proximos. Hinc nem o dubitet, clarum natalibus, & inter Equites Romanos splendidissimum AQUILUM affirmare, quem PRAEFECTVM CLASSIS PRAETORIAE RAVENNATIS inscriptio nostra pronunciat.



C A P U T V.

Procuratorum Cæsaris varia genera. Patrimonium privatum, & publicum, quibus distinctus Procurator impositus, & quando id cœptum. Spartianus male à Salmasio habitus explicatur & illustratur. Aquilius patrimonium publicum administravit. Quid sit bona in formam patrimonii redigere, & publicare. Aquilius Procurator patrimonii in Urbe. Ejus officium, & auctoritas. Quo tempore illud finiretur.

PROC. PATRIM. BIS.

Procuratori Patrimonii bis.

ROCURATORES per provincias ab Imperatoribus constituti sunt, vel ut eas regerent cum potestate gladij, (quod dictum intelligas de provinciis minoribus, ut duæ Mauritanicæ, Rhætia, Noricum, & aliæ, quæ procuratoribus cohidentur, inquit Tacitus lib. i. hist. cap. ii. qui etiam Præsides dicti, vnde in inscriptionibus *Procurator*, & *Præses Alpium*, *Proc.* & *Præses Sardinicæ*) vel ut tributa exigerent, quos idem Tacitus in vitâ Agricolæ cap. 15. perstrinxisse ait Britannos, qui querebantur, singulos olim sibi Reges fuisse, nunc binos imponi, è quibus Legatus in sanguinem, *Procurator* in bona sæviret. quam apud Provinciales invidiam ut declinaret Antoninus Pius, procuratores suos modestè suscipere tributa iussit, teste Capitolino in vita cap. 6. Caveas Sponium, ut hic obiter cum P. Harduino moneam, qui libro Gallicè inscripto *Recherches de l'Antiquité* pag. 143. in hunc locum Capitolini intrusit, addiditque ducentesima, quasi auctor de tributis ducentesimis mentionem faciat, cum ne vestigium quidem ejus vocis sit, nec eam diligentissimi Casaubonus, & Sal-

Salmasius, qui infinitos prope manuscriptos Codices excusserunt, usquam invenerint. Alij deum Procuratores impositi, ut possessiones & res Cæsaris in Provincia procurarent & hi *Procuratores patrimonii*, seu *rei priuatae* vocabantur, de quibus sermo nobis est. At patrimonii Cæsar is nomen duplici subinde significatione acceptum fuit. Aliud enim erat patrimonium, quod propriam substantiam, & bona patrimonialia Principis complectebatur, aliud bona fiscalia: & utraque propria Principis erant. Hac tamen differentiâ, ut primi generis ea essent, quæ Princeps, uti privatus, nullo dignitatis respectu possidebat, & in eius heredes transibat, etiam si non successissent in Imperio. Huiusmodi erant agri, quos *raro*s per *Italiam* tenuisse Tiberium, ait Tacitus Annal. 4. cap. 7. qui alibi *privatam Principis fortunam* vocat, cum Senecam criminatioibus petitum Neroni opes suas offerentem inducit, Annal. 14. cap. 54. Augustus plurima bona propria Agrippæ donaverat, quæ ejus morte ad ipsum redierunt, uti refert Dio lib. 54. pag. 542., qui in fine libri pag. 495. eumdem à Neapolitanis Capreas permutatione agri redemisse ait. Huc quoque referri debet *privatum patrimonium*, quod fratres suos, non regnum, sibi vindicare posse, ajebat Darius Pessarum Rex apud Justinum lib. 2. cap. 10. Et rursus *patrimonium privatum*, quod Antoninus Pius in filiam contulit, qui etiam in suis propriis fundis vixit, variè, & pro temporibus, utrumque attestante Capitolino cap. 7. ejus vita. Hos sanè fundos passim *patrimoniales* appellant Imperatores lib. xi. Codicis Justinianæ tit. 61. 62. & 63. quos etiam *rei priuatae* vocabulo designatos ibidem invenies, licet ejusdem vocis notio varia & inconstans sit, ut non semel adnotabimus.

Sub alio genere bonorum patrimonialium censebantur *fiscalia*, quæ quidem Patrimonium Principis erant, sed non propriè, quia cum dignitate, vel ejus ratione, Principi accedebant. Res enim Fiscales quasi propriæ & priuatæ Principis sunt, ut definit Ulpianus in l. 2. §. 4. digest. ne quid in

in locis publ. His adnumerabantur, præter vestigalia & tributa, bona damnatorum, vacantia, comissa, thesauri, quorum explicationem non vacat hoc loco aggredi. Reste quidem diximus, distinctum fuisse patrimonium *principis*, & *fiscale*, & rursus utraque in Principis potestate & arbitrio. Nam & Dio lib. 53. pag. 511. in fin. licet agnoscat distinctam fuisse pecuniam Principis & publicam, fatetur tamen satis se non videre inter hujus *Principis*, & publicum ararium quid interfuerit. In hunc sensum intelligendus est Seneca, ubi ait: *Cæsar omnia habet, fiscus ejus privata tantum ac sua: & universa in imperio ejus sunt, in patrimonio propria,* lib. 7. de benef. cap. 6.

Utrumque patrimonium *Procurator Cæsaris* administrabat. Quod pertinet ad bona privata, extat tit. 19. lib. 1. digest. *inscriptus de officio Procuratoris Cæsaris, vel Rationalis*, sub quo in l. 2. & 3. fit mentio bonorum Principi obvenientium ex hereditate, in quâ proprio & privato nomine institutum fuisse nemo dubitaverit. Eundem Cæsaris *Procuratorem* bona fisci curasse patet ex l. 5. dig. de jure fisci; nec aliis exemplis immoror. Porro patrimonium Principis tam privatum quam *fiscale*, sed illud magis propriè, sicut diximus, *privata res*, & *privata ratio* appellabatur; & hinc *Procurator privata rei* passim occurrit, qui posteriori Imperatorum ævo titulum *Comitis privataram*, & *Comitis patrimonii* induit. Nos primam appellationem, quæ tempora nostræ inscriptionis respicit, prosequamur. *Procuratoris patrimonii* meminit Ulpianus in l. cum servus §. 10. D. de leg. 1. & Lampridius in *Commodo* cap. 20. *Privata rei* *Procuratorem* ante adeptum Imperium fuisse Macrinum, testatur *Capitolinus* in vit. cap. 7. & *Procuratores rei privatae suffragij abstinere* jubet *Constantinus Imp.* in leg. 2. Cod. de murileg. Quod est, uti explicat Cujacius in hanc legem par. 2. tom. 2. ope. pag. 165. *Procuratores pretio, vel patrocinio non esse creandos*. Ceterum ejusdem notionis esse rem *privatam*, & *patrimonium*, constat ex leg. 3. C. de

fundis rei priv. tit. 66. & toto tit. 68. Cod. de agric. & mancip. Ævo sequiori, quo, ut supra monuimus, Procurator patrimonii vocabatur *Comes*, præter curam rei & substantiæ privatæ, sollicitudinem quoque parandi mensam Principis gerebat. Utruinque liquet ex Cassiodoro lib. 6. ep. 9. ubi formulam Comitis patrimonii recitat. Moremque notatu dignum addit, hunc scilicet, finitis epulis, privato Principis colloquio fuisse donatum: *Tempora nostra latitiae, loquitur Rex, secretaria tua sunt, cum pectus redditur curis alienum: & tunc tribuitur suggestendi locus, quando cunctis adimitur.* Merito, ut qui es *Judex tanti apparatus & epularum, delinitus cibis tibi animus concedatur.*

Hæc procuratio privataram rerum primùm sub Severo constituta est, ut narrat Spartanus in ejus vitâ cap. 12. invito Salmasio, qui in notis ad eum locum censoriam virgam in gravissimum historicum perstringit. Ait enim, jam ab Augusti temporibus, & rem & nomen ipsum fuisse cognitum cum à Strabone lib. 17. munus hoc appelletur *l*o*y*;***; hoc est ad verbum *privata ratio*, vel *rationis privata procurator*, qui *bona caduca, & vacantia, ut fisco Cæsaris adne^terentur, curabat.* Quod idem officium fuit ejus, qui procurator rei privatæ dictus est, etiam posteriorum Imperatorum ævo: & plura in hanc sententiam congerit. At Pancirolus in *Commentar. ad Notitiam Imperii Orient.* cap. 87. putat, ita intellegendum locum Spartanii, ut cum antea Cæsares distinctos procuratores ad vicesimam hereditatum, & ad bona caduca haberent, tunc demùm Severus unicum procuratorem, qui non tantum hæc administraret, sed etiam bona damnatorum, de quibus est sermo apud Spartianum, invenerit.*

Mihi aliter evolvendus hic nodus videtur, & historici famæ consulendum ex ipso contextu narrationis, qui talis est: *Interfectis innumeris Albini partium viris, inter quos multi principes Civitatis, multæque feminæ illustres fuerunt, omnium bona publicata sunt, ærariumque auxerunt. In fiscum*

fiscum ergo relata hæc bona ; vel tamquam damnatorum , vel tamquam vacantia , & per Procuratorem Cæsar is , seu Fisci , qui pridem constitutus erat , administrata . Sequitur mox Spartianus : *Filijs etiam suis ex hac proscriptione tantum reliquit , quantum nullus Imperatorum , quum magnam partem auri per Gallias , per Hispanias , per Italiam Imperator jam fecisset , tuncque primum privatarum rerum procuratio constituta est .* Jam intelligis , Severum bona alia resque proscriptorum publicasse , & fisco addidisse , alia verò additis iis , quæ jam fecerat , in patrimonium suum privatum , & propriam substantiam reculisse . quod patet ex quo ea filii reliquit , ut supra notavimus . Nova ergo procuratio respicit hæc propriæ substantiæ bona adjecta , & relictæ filiis . Statim enim subjicit , tuncque primum privatarum rerum procuratio constituta est ; atque ita cum antea tam patrimonium fiscale , quam proprium , uno eodemque procuratore regeretur , ea officia & munia distinxit Severus , & antiquum procuratorem administrando fiscali patrimonio , novum verò à se institutum privato suo patrimonio , jam immensum aucto , non tam ex bonis proscriptorum , ut voluit Pancirolus , sed ex auro per Gallias , per Hispanias , & per Italiam ante conflato , constituit .

Nec reprehendendus Spartianus , quod privatarum rerum nomine privatum patrimonium , & proprium principis tantummodo designavit . Nam reverè , & propriâ vocabuli significatione , res privata & privatum patrimonium differt à patrimonio fiscali , quod impropriè , & quasi privata principis res dicitur Ulpiano in recitatâ lege secundâ . Hinc Corippus de laudibus Justini minoris , eadem vocis notione usus , ait :

— Nos quæ tua sunt privata vocamus .
quæ distinctio suffragio imperatorio munitur . Theodosius enim , & Valentinianus patrimonium fisco adiectum *sacrum* appellant in l. ult. Cod. de vestigal . cum iidem Imperatores privati patrimonii nomine designent agros , qui ad pri-

priami, & privatam substantiam pertinent in l. ultim. Cod. de agricol. & mancip. Ad quem eundem sensum nostram quoque inscriptionem revocamus: quæ cum AQUILUM Procuratorem patrimonii præferat, & deinde Procuratorem hereditatum patrimonii privati, inter utrumque patrimonium discretam significationem ostendit.

Jam verò ex hac patrimoniorum distinctione ad ipsam nostræ ejusdem inscriptionis explicationem dilabiuntur. Et primum, quod ea Patrimonium solitariè prolatum, & Patrimonium privatum rem diversam & distinctum munus & officium designet, eo tempore incisam jure & meritò suspicor, quo Procurator unus patrimonium seu sacrum, sive fiscale, vel denique publicum appelles, aliis vero patrimonium privatum, & substantiam propriam Principis administrabat. Præterea id constare arbitror, eo ævo patrimonii nomen simpliciter dictum, non hoc privatum Principis, sed publicum, & sacrum significasse; atque inde cum noster AQUILIUS patrimonii Procurator dicatur, hoc ipsum publicum rexisse & administrasse. Testimonium nostrorum in Jure consultorum, quo non majus ac illustrius, appello. Ulpianus in l. cum servus in fine d. de legat. i. hæc ait: Sed ea prædia Cæsaris, quæ in formam patrimonii redacta sub Procuratore patrimonii sunt &c. Prædia & bona, quæ in formam patrimonii rediguntur, publica fiunt, & regali patrimonio, non privato, accrescunt. Hujusmodi sunt bona damnatorum, vacantia, caduca, & similia, quæ fisco accedere docent tituli in jure, de jure fisci, ubi cause Fiscales, de Advocato fisci, & similes. Et tunc Bona incorporari dicebantur ex l. i. Cod. Theodos. de incorporat. Eaque fisco addici jubet Imp. Honorius in l. 23. ejusdem Cod. de bonis proscript. seu vindicari, & adneeti, ut in l. 4. & 12. ejusdem tituli. Hinc Hadrianus damnatorum bona in fiscum privatum (intelligo patrimonium privatum) redigi vetuit, omni summi in arario publico recepti, apud Spartianum in vitâ cap. 7. Scio scriptores, præsertim mediæ ætatis, abuti his voci-

vocibus *fiscus*, & *ærarium*, & privatum *ærarium* aliquando privatum *fiscum* appellare. Sed magis proprie *fiscus* de principis *ærario* dicitur, ut notavit Salmasius ad hunc Spartiani locum, & nonnulla habet Fabrettus *in script.* cap. 3. pag. 196. Porrò, quod bona redacta in patrimonium, publici iuris fierent, *publicata* dicebantur. Tacitus Imperator *patrimonium suum publicavit, quod habuit in redditibus HS. bis millies octingentes*, ut narrat Vopiscus cap. x. Hoc est bona propria imperii dominio consecrare, & quod privatum erat, publicum & sacrum patrimonium facere, uti explicat Gutherius de offic. domus Aug. lib. 3. cap. 27. id vero Plinius, ut opinor, *ex patrimonio referre in Imperium* vocat, in Panegyr. cap. 50.

Igitur ex relato Ulpiani testimonio duo elicimus; primum, quod bona in patrimonium redacta, publica sunt & fiscalia; alterum quod Procurator patrimonii is esse intelligitur, qui eadem bona curat & administrat. Constantius Imp. in l. 3. Cod. Theod. de bonis proscript. jubet, ut super occupandis rebus ob criminis damnati, officium *Procuratoris patrimonij* conveniatur. Sanè etiam posteriori ævo constare videtur, Curatorem alium constitutum privatæ & propriæ principis substantiæ, alium vero publicæ & fiscali. Existat constitutio Justiniani l. 3. C. de quadrienn. præscript. in quâ Imperator aperte meminit Curatorum, per quos, inquit, *solemus substantiam nostram gubernare & mox nostros Curatores per quos res divinarum domum aguntur*. Comitem privatæ substantiæ clarius explicant verba lib. 6. Basilic. id est eum qui curat res, in privatos principis usus assignatas. Idem ille est apud Zosimum lib. 3. *Præpositus eorum, quæ ad Principem propriæ, & privatim pertinent, & apud Procopium in Anecdot.* Procurator private Principis substantia. Ab hoc ergo aliis est Procurator, vel Comes publicæ, seu fiscalis substantiæ. Quæ sententia summo viro Jacobo Cujacio arrisit, qui in Paratitl. Codicis Justin. lib. 1. tit. 33. pag. 37. tom. 2. ex bonorum diuersitate duos factos esse

Comites ait, unum qui præcesset fiscali substantiæ, alterū, qui propriæ; hunc Comitem rerum privatârum frequentius dictum, illum Comitem sacrarum largitionum. Èâ quidem notione sumitur officium priui apud Theodoretum hist. Eccles. lib. 3. cap. 12. *Elpidius*, inquit, *Præpositus privatis Principis pecuniis & possessionibus, Comitem privatârum vocant.* At, quod pertinet ad secundum, ejus munus aliquantò diversimodè explicat *Gutherius* lib. 3. cap. 16.

Nec ea distinctio perpetua & constans, sed utrumque patrimonium Procuratori privatæ rei, vel Comiti privatârum, ut loquuta est inferior ætas, aliquandò suberat. Id ultrò fatetur, ut tamen nemo inficias eam, alternis hoc usurpatum: adeoque rectè explicari nostra inscriptio possit, & ad ea tempora referri, quibus distincta patrimonia, & diversa Procuratorum munia erant.

An verò noster AQUILIUS Procurator patrimonii Cæsaris in Urbe, vel in provinciis fuerit, meritò quis dubitaverit. Tâm enim si tempora priorum Imperatorum spectamus, Procuratores in provinciis cōstituti sunt, quos Capitolinus in Maximini cap. 14. *Procuratores, & Rationales* vocat, passimque eorum mentio in libris juris habetur; tûm etiam in ævum posterius Procurator Gildoniaci patrimonii, aliisque lib. xi. cod. Justinianæ, & in Theodosiano memorantur. At in Urbe Procuratorem fuisse AQUILUM, res ipsa mihi videtur ostendere. Cùm enim quis in provincijs hoc munere fungebatur, nomen ejus provinciæ adnecti sollempne erat. Exempla ex ipsis inscriptionibus petamus. Apud Gruterum (non referam Procuratores provinciarum priui generis) pag. 774. 4. positus est lapis *Theopraepon. Proc. ad prædia Gallicana*, pag. 575. 5. *Fortunato Proc. fisci Asiatic.* pag. 411. 1. *Flavio Proc. xx. heredit. Umbriae Tusciae, Piceni, & similis* 493. 1. Undè in Notitiâ Imperii occid. apud Panciroli. pag. 73. *comes Gildoniaci patrimonii, & Procuratores rei privatæ per Italiam, per Apuliam, per Dalmatiam, & ceteras provincias, occurrunt.* Porrò

Pro-

Prœcuratoris, qui in Urbe rationes Patrimonii agebat, major auctoritas, & dignitas illustrior erat. Si enim idem ejus officium ac posteriori ævo Comitis privatuarum, quod cruditis omnibus placet, Procuratores omnes & Rationales per prouincias sub se habebat, appellationes ad ipsum deferebantur, caduca, vacantiaque bona rei principis, seu fisco incorporabat, causas incæstuum, sepulcrorum cognoscet, quæ & alia plura eius munia videoas apud Panciroli. in Notit. Imperii Orient. cap. 87. & Guther. de offic. Dom. August. lib. 3. cap. 25. nos enim ad aliud Procuratorum genus properamus.

Attamen ne adhuc hinc abeamus, una nos vocula parumper detinet. Quod AQUILIUS dicatur fuisse Procurator patrimonii BIS, queret aliquis, quo tempore hoc officium finiretur? Annale fuisse puto, saltem post Severum Alexandrum, qui rationales cito mutavit, ita ut nemo nisi annum compleret, teste Lampridio in vit. cap. 46, addebatque arcanum Principatus pessimí exempli, nam eos, si boni essent, oderat, malum necessarium vocans. Rationalis idem est ac Procurator eidem scriptori paullò antè c. 45. Sanè & inferiori Imperatorum ævo, cum nomen & munus Procuratoris patrimonii in Comitem rerum privatuarum abierat, non ultrà annum producendum eius officium haud modicâ perquisitione assequutus sum. Nam Eulogius Comes rerum privatuarum fuit anno 395. ut apparet in leg. 10. Cod. Theod. de infirm. sequenti verò anno 396. idem munus exercuit Apollodorus, ex eiusdem Codicis l. 32. quorum appellation. Rursus ad ann. 397. Cæsario, & Attico Coss. Hyperechius Comes R. P. signatur in leg. 14. Cod. Justin. de Iur. fisc. & leg. 12. de tiron. at iisdem Coss. lex 14. eod. inscribuntur Minervio Com. R. P. In hujus locum succedit Firminus ann. 398. ut desumitur ex leg. ult. de domib. ad rem priv. & leg. ult. de conlat. fund. patrim. & perseverabat anno 399. ex leg. 25. de susceptor. quem demùm exceptit sequenti anno 400.

Sal-

Salvinus cui inscribitur lex 27. de Annon. & Tribut. ejusdem Cod. Theod. Quibus testimonii satis claret, Comitivam rerum privatarum annum non excessisse: quod ad hanc procuracyem patrimonii, & ad aliam hereditatum, de quo nunc dicere aggredior, facile traduci poterit.



C A P U T V I

*Qui Procuratores hereditatum. Malè cum Procuratoribus
 Viceſimæ hereditatum confunduntur. Quid hæc Viceſima,
 & quando ſublata. Hereditates, de quibus in lapide An-
 tiati, Imperatoribus ex privatorum testamentis obve-
 niebant. Boni & mali Principes, diverſo tamen judicio
 & cauſâ, olim ad hereditates vocati, ex quo magna iis
 diuitiarum accessio. In patrimonio privato computata, &
 peculiariſ Procurator impositus. Differentia inter here-
 ditates privati, & publici patrimonii ex noſtrâ inscriptio-
 ne. Cujuſnam conditionis Procuratores iis dati. Vulga-
 ris error de Cornelio Tacito, detectus. Reinesius minus re-
 Etè Procuratores ſemper libertos fuiffe arbitratur; nam
 variatum arbitrio Principis. Tacitus in referendis Con-
 cionibus nimium ſibi indulſit. Humphridus Prideaux
 notatus.*

PROC. HERED. PATRIM. PRIVAT.

Procuratori Hereditatum Patrimonii privati .

POSTQUAM ſemel & iterum Patrimonium Cæ-
 faris administravit AQUILIUS, procuracyon
 hereditatum patrimonii privati admotus est.
 Hic aliquid novi mihi deprehendere videor,
 nec aliis haec tenus explicatum. Procuratores hereditatum
 ſepiuſ ſanè offendimus in antiquis inscriptionibus, at nuſ-
 quam inveni hoc additamentum patrimonii privati. Quæ-
 rendum ergo eſt, quænam fuerint hereditates patrimonii
 privati. Primū repetenda ſunt, quæ diximus superiori ca-
 pite de principis patrimonio privato, atque hinc heredita-
 tes, quæ Procuratoribus regebantur, in examen vocandæ.
 Procuratores hereditatum, ſeū hereditatum (utroque enim

modo eam vocem usurpatam invenies in Pandectis , & in veterum lapidibus , uti Vossius quoque adnotavit de Analog.lib. 2. cap. 14.) apud Gruterum reperire est hoc modo designatos: pag. 590. 12. Lemno Procuratori Patrimonii , & heredit. eadem pag. num. 7. T. Flavio Aug. lib. adiutori tabulariorum rationis hered Cas. N . pag. 346. 1. Q. AEl. Januario Proc. hereditat. pag. 426. n. 5. C. Junio Proc. hereditat . Hos procuratores hereditatum eosdem cum procuratoribus xx. hereditatum ; remque vnam eandemque esse, putant Cujacius ad tit. 33. lib. 6. Cod. pag. 826. tom. 9. Pancirol. in notit. Imp. Orient. cap. 74. pag. 122. Reinesius Class. vi. num. 57. & Fabrettus inscriptionum cap. 1. pag. 37: Praesignatorem hereditatum lapidis Ciampiniani ad vicesimam pertinere arbitratur. At mihi à doctissimis viris liceat , et si cum verecundiâ recedere , & ostendere hereditates Cæsaris , si ita simpliciter proferantur, toto cœlo distare à vicesimâ hereditatum .

Hæc quidem vestigal erat ab Augusto institutum ad alendas legiones , quo quisque heres, qui defuncto valde propinquus non fuisset, vel hereditas nimis tenuis non esset, vicesimam solvere cogebatur, ut tradit Dio lib. 55. pag. 565. Fallitur Gutherius de offic. Dom. Aug. lib. 3. cap. 35.. altius repetens ejus institutionem, ad P. Manlium scilicet , ex Livo lib. 7. nam vicesima à Manlio inventa , non hereditatum , sed libertatum fuit , ut optimè animadvertis Cl. Fabrettus pag. 35. Vicesimam , de qua loquimur , Nerva , & Trajanus in quibusdam aristarunt , quod Plinius in Paneg. cap. 37. & seq. pluribus commendat, & alias de ea leges tulit M. Antoninus ex Capitolino cap. 11. tandemque Gratianus penitus sustulit, laudatore ejus Ausonio testante. Huic vestigali Procuratorem constitutum tum in Urbe , tum in Provinciis, docent lapides apud Gruterum pag. 411. 1. pag. 589. 6. apud Reinesium Class. 6. 126, quem integrum exhibet Fabrettus pag. 37. num. 180, ubi alios videas. Hæc porrò vicesima hereditatum ab hereditatibus longè alia , &

Pro-

Procurator utrisque diversus impositus. In lapide Romano
 426. 5. C. Junius dicitur *Procurator hereditat.* & subinde
 etiam *Pro magister xx. hereditatum.* ergò res, & officium
 distinctum. *Pro magister* hoc loco vicem magistri, seu Pro-
 curatoris gerens intelligendus est. Ita *magister*, scilicet pro-
 curator, *rei privatae Africae* appellatur Dracontius in l. 4.
 de jure fisci Cod. Theod.

Ergò hereditates, quas noster lapis Antiatinus &
 similes proferunt, ex sunt, mē quidem sententiā, quæ Imperato-
 ribus ex privatorum Testamentis obveniebant, qui-
 bus administrandis Procurator peculiaris dabatur, ideo
Procurator hereditatum patrimonii privati dictus. Ex Ci-
 vibus enim plerique, qui amicitiā principum florebant,
 grati animi significationem extremis tabulis testati, vel ex
 asse, vel ex parte heredes eos nuncupabant. Vellius Pollio
 inter Equites divitiarum nomine celeberrimus, *magnam*
hereditatis partem, & Pausylipum villam inter Neapolim,
 & Puteolos jacentem Augusto legavit, uti refert Dio lib. 54.
 pag. 537. & Horatius Poëta decelit, ex Svetonio in ejus
 vitā, *here de eodem Augusto palam nuncupato.* Qui Imperator
 hanc ab amicis mutuam benevolentiam exigere solitus fuit,
 & eorum *suprema iudicia morosissimè penitavat*, neque dolo-
 re dissimulato, si parcus aut citrā honorem verborum, neque
 gaudio, si grātē piēque quis se prosequutus fuisset. Verba
 sunt eiusdem Tranquilli in Aug. cap. 66. *Quod honoris te-*
stimoniū etiam mali Principes expetivere. Idei cō Domi-
 tianum, quōd eum Agricola coheredem uxori & filiæ scri-
 psisset, refert Tacitus cap. 43. in fin. *letatum velut honore,*
iudicioque. At pessimum Imperatorem non ideo, ut amici-
 tiam profiteretur, in partem hereditatis vocavit Agricola,
 sed quia eum metuērat, filiis ac propinquis hac specie ho-
 noris consulturus; unde acutissimus historicus subdit: *tam*
cēca & corrupta mens assiduis adulatio-ibus erat, ut nesciret
à bono patre non scribi heredem nisi malum Principem. Eo
 consilio Annæus Mella frater Senecæ, mortem iussu Nero-

nis sibi consciscens, grandem pecuniam in Tigellinum, generumque eius Cossutianum Capitonem Codicibus scriptis erogavit, quo cetera manerent, inquit idem Cornelius Annal. 16. cap. 17. delimitum quippe hoc honoris testimonio Tigellinum, penes quem vis principatus tunc manebat, ceteris suis facultatibus diripiendis abstenturum sperabat Mella.

Frequens vero adeo erat principem testamento nuncupandi consuetudo, ut mali id in tyrannidem detorquentes etiam alienissimas hereditates confiscarent, vel existente uno qui diceret, audisse se ex defuncto, cum vivaret, heredem sibi Cæsarem esse, ut de Domitiano prodidit Suetonius cap. 12. Cui præluserat exemplo Caligula, qui eodem teste cap. 38. Testamenta primipilarium, qui ab initio principatus Tiberii neque se heredem reliquissent, ut ingrata rescidit. Item ceterorum, ut irrita & vana, quoscumque quis diceret herede Cæsare mori destinasse. Quod paullò secus narrans Dio lib. 59. p. 65 1. id etiam Senatus Consulto edictum fuisse scribit. Quo metu injecto, prosequitur Tranquillus, cum iam & ab ignotis inter familiares; & à parentibus inter liberos palam heres nuncuparetur, derisores vocabat, quod post nuncupationem vivere perseverarent, & multis venenatas matreas misit. At boni Principes se nunquam ab ignotis heredes vocari passi sunt, benevolentia & affectu honorem pensantes, neque si quis instituto Principe filios præterisset, ut de Augusto Suetonius indicato cap. 66. de Hadriano Spartanus in vita cap. 18. & de Antonino Pio Capitolinus cap. 8. tradiderunt. Ipseque Tiberius quamvis audiisse omnium hereditates, qui eum heredem dixissent, arriperebat, ut ait Dio lib. 58. pag. 63 1. atcamen eam moderatione semper usus est, ut nunquam easdem adiret, nisi cum amicitia meruisset, ignotos & aliis infensos, eoque principem nuncupantes, procul arcebat, teste Tacito Ann. 4. cap. 48. Quæ tamen modestia Dioni ignorata, qui omnium indifferenter hereditates, qui eum heredem dixissent adiisse scripsit, loco nunc

nunc relato; *Nuncupatus autem, ut statim subdit, fuit heres à plurimis etiam iis fere, qui se ipsos interfecissent, eo forte consilio ita ab his vocatus, ne in filios & propinquos sèviret.* Verba Taciti superius recitata eum pravissimum morem indicant, quo aliqui suis, & proximis legitimisque heredibus infesti & irati, principem testamento appellabant, ne ad eos, quæsito ad litem validiori adversario, hereditas perveniret. Quæ testamenta improbarunt jura nostra in l.91.dig. de hered. instituen. & l.22. de jure fisci, & cuncta hæc, quæ perditæ superiorum temporum mores induxerant, summâ moderatione complexus Pertinax Imperator, professus est, nullius se aditum hereditatem, quæ aut adulatio alicuius delata esset, aut lite perplexa, aut legitimi heredes & necessarii privarentur, ut scriptum reliquit Capitolinus in vitâ cap.7.

Itaque hereditates, seu à malis per flagitium quæsitæ, seu à bonis principibus amiciâ & Civium amore promeritæ, eorum patrimonio ingentem divitiarum & bonorum accessionem confabant. Augustus, uti narrat Suetonius cap. 101. Viginti proximis ante obitum annis quatuordecies milles ex testamentis percepit, quod penè omne cum duobus paternis patrimonii, ceterisque hereditatibus in Rempublicam absumpsi. Ingens ea summa triginta quinque, ut cum vulgo loquar, milliones peræquans. Aliorum Principum nemo dubitaverit auctum & locupletatum fuisse patrimonium: quamvis enim quod noverim, quid quisque ex testamentis privatorum ceperit, nullo Scriptore memoriae proditum fuerit; attamen palam est nunquam defuisse, qui eis hereditates deferrent, quod usque ad Justinianum invaluisse superiorius vidimus. Deterioris conditionis Deos ipsos fecere, quos Senatus Consulto, & constitutionibus Principum institui heredes vetitum fuit, ait Ulpianus tit. 22. qui hered. instit. possunt, *præter Jovem Tarpejum, Apollinem Didymæum, Martem in Gallia, Minervam Iliensem, Herculem Gaditanum, Dianam Ephesinam, Matrem Deorum Cybelem,* quæ Smyr-

Smyrna colitur, & Cœlestem Salinensem Carthaginis. Hereditates ergò ex defunctorum supremo iudicio Imperatori acquisitæ patrimonio eius priuato & proprio accedebant, quod vel exemplo Augusti, paullò ante relato, pater, qui eas unâ cum paterno, certe proprio, patrimonio pro suo arbitrio liberaliter absumpsit. Iis vero curandis peculiaris administrator constitutus, ideo *Procurator hereditatium* dictus in nostrâ inscriptione ceterisque, quæ procuratoris hereditatum, nullâ aliâ adjectâ notâ, meminerunt. & fortassè lex 1. Cod. de Usur. inscripta *Procuratoribus hereditatum*, de his intelligenda est, non de hereditatibus *Fisci*, ut communiter interpretes; nulla eniim in corpore legis *Fisci* mentione est. Eo ipso munere functum fuisse Antherū Tiberii Libertum super hereditates, Marcello Empyrico memoratum arbitror. Huc etiam spectant inscriptiones pag. 589. 2. & 3. EXACTORI HEREDITATUM LEGATORUM, & PECVLIO-RUM. Imperator enim legata, & hereditates, & peculia ex testamentis privatorum capiebat, quibus exigendis Servus præpositus, qui Procuratori hereditatum, ut conjicio, suberat. Alii etiam ministri huic officio, ut ceteris, dati. *Tabularios*, & *Adiutores* reperies in lapide pag. 590. 10. T. FLAVIO. AVG. LIB. CHRYSOGONO ADIVTORI TABVLARIO-RUM R A T I O N U M HEREDITATIUM CAESaris N. nostri in septimâ verò p. 589, quæ signari debuerat 590, habes RATIONALEM. HEREDITATIVM. Hoc loco *Tabularii rationum* sunt, qui rationes scribunt, alias *Calculatores* dicti, de quibus Ulpianus in l. ult. in fin. D. si mensor fals. & in l. 1. §. 6. D. de varijs, & extraord. cogn. *Adiutorum* meminit Julianus Imp. in l. 8. Cod. Th. de numer. act. &c. Vide Pancirol. in notit. Imp. Orient. cap. 77.

Non pigeat scrupulosius investigare cur hereditates patrimonii privati appellatae in nostra inscriptione, tamquam si alia essent hereditates publici patrimonii? Ita sane: Hereditates enim *Caducæ fisco, seù ærario publico* lege

Papiā deferebātur, necnon vacantes, lege Juliā. Hereditates seu Bona Caduca ea sunt, quæ jure relicta capaci, aliquā ex causā post mortem testatoris cadunt in Fiscum; quæ olim Augusto inventa, à Justiniano sublata sunt l. i. Cod. de caduc. toll. Vacantia dicuntur intestatorum res, qui sine legitimo herede deceperunt, de quibus agitur in l. i. Cod. de bon. vacant. Aliquando tamen hæc bona fisco privato principis accessere, quod intelligendum ante incorporacionem. *Procurator* pecularis his caducis datus: quod discimus testimonio lapidum apud Fabrettum cap. 3. inscript. 471. 473. & 475. Prima inscribitur ARRIÖ. PROC. AVGG. N N IN BETIC. HEREDIT.CADVC. secunda L.FLAVIO PROC.PATRIMONI DOMITIANI AVG. PROC. CADVC. BIS. in tertiam denique distin-
cte Laberius dicitur PROCVR. CADVCORVM. si ad hos lapides funiculum adhibeas, primū mirari desines, *Procuratorem* peculiarem hereditatibus patrimonii privati, quas amplissimas ostendimus, datum, cùm etiam caducis fuerit impositus: deinde in secundo notabis, *Patrimonium*, *Domitianum* dici, ut scilicet hoc esse privatum & proprium eius Imperatoris appareret, ad differentiam Patrimonii si-
scalis & publici: & tandem Arrium in primo signari *Pro-
curatorem* hereditatum in Betichā, ut constet, quod supra dicebamus, in more positum, Procuratores in provinciis ipsius provinciæ nomine distinguere, secus ac Procurato-
res in Urbe qui solitariè efferebātur. Alia fortè caussa, cur ea nota patrimonii privati fuit adiecta. Heres aliquando etiam Respublica nuncupabatur, & tunc hereditas publico æterio addicebatur. Illustrē exemplum exhibet Capitolinus in Gordiano III. cap. 28. Misitheus sacer huius Imperatoris doctissimus, Praefectus Prætorio, & Parenz Principum dictus, heredem Romanam Rempublicam eā conditione instituit, ut quidquid eius fuerat, vettigalibus Urbis accede-
ret. De hoc Misitheo insigne extat testimonium in lapide Gruteriano pag. 439. 3. quo verba Capitolini illustrantur.

MISITHEO. PARENTI. PRINCIPVM. P.R. TVTO-
RI. REIP. S.P.Q.R. Igitur hereditates patrimonii Reipu-
blicæ alia ab hereditatibus patrimonii privati Principis.
Sanè & fiscum proprium habuisse Populum Urbis Romæ
putat Jacobus Gothofredus in Commentar. Cod. Theod.
ad l. i. de Decur. pag. 141. tom. 5.

Jam verò cùm nostrum AQUILIU M Procuratorem
patrimonii fiscalis seu publici, capite antecedenti, hic autē
Procuratorem hereditatum ostenderim, remanet inquirendū,
cujusnam conditionis homines hisce officiis præponeren-
tur, ut AQVILIO suū genus & fortunæ gradū inscribamus.
Procuratorum Cæsaris conditionem disertis verbis tradit
Tacitus in vitâ Agricolæ cap. 4. Julius, inquit, *Agricola*
veteri & Illustri Foroiuliensium Coloniâ (ea est Galliæ)
ortus utrumque avum Procuratorem Cæsarum habuit, quæ
Equestris nobilitas est. Ipsum quoque Tacitum, qui sanè ex
eodem Equestri ordine fuit, plerique omnes Procuratorem
rationum in Galliâ Belgicâ faciunt, ex Plinio loco statim
recitando. Et Reinesius præ ceteris inscript. 53. Class. 1, in
quâ profertur CORNELIVS. VERVS. TACITVS.
RATIONATORIS. HONORE. VSVRVS. SECVN-
DVM, sibi impotentiū plaudit, quod *historicorum Latini-*
norum nobilissimi memoriam, & verum eius nomen, quod
per tot secula nos latuit, integrum nunc ediderit. At de-
mus, Tacitum, de quo Plinius, eum esse, qui hic Ratioci-
nator in Galliâ, nunquam tamen idem ipse est nobilissimus
historicus. Verba sunt Plinii lib. 7. cap. 16. *Ipsi nos pridem*
vidimus eadem fere omnia, (puerum nempe in tria cubita-
triennio adolevisse) præter pubertatem, in filio Cornelii Taciti
Equitis Romani, Belgicæ Galliæ rationes procurantis. Ta-
citus historicus in consulatu Agricolæ, dum ferè septimum
decimum ætatis annum ageret, ut ex suppuratione Lipsi in
eius vitâ colligo, illius filiam in matrimonium accepit,
quod ipse testatur in Agricol. cap. 9. Consul egregia tunc
spei filiam juveni mihi despondet, & statim Britannæ præpo-
situs

situs est. Consulatus Agricolæ , qui fuit ex suffectis , incidit in annum Ch. 77. ex Panvinio in fastis ad A. V. 830. & Britannica præfectura in sequentem 78. Atqui Plinius decessit in desflagratione Vesuvii , quæ peritioribus Chronologis consignatur ad annum primum Titi , scilicet Christi 79. Ergo non potuit pridem vidisse filium triennem Taciti historici , qui tantum ante biennium , hoc est anno 77. uxorem duxerat , & sanè primam , ut ejus ætas jam indicata suadet. Si dicas , historici patrem illum Cornelium Verum Tacitum fuisse , non repugnabo .

At verò , ad rem ut redeam , hi Procuratores ex primo , vel secundo jam recensito genere , & proinde à nostris alii , fuere . Quæramus itaque *Procuratores privatæ rei , & patrimonio* , seu publico , seu principum proprio , quod nostri argumenti est , præpositos . Reinesius Clas.9. num.45. *procurationes rei privatæ tam in Urbe quam in provinciis semper commissas liberis autumat* . In hoc sanè fallitur , quod semper id usurpatum putet , ut mox ostendam , & ipse haud sibi constans fateri videtur Classe eadem num.18. Profectò Antheros , quem supra hereditates fuisse meminimus , Libertus Tiberii fuit . Apud Cl. Fabrettus cap.3. inscript.482. occurrit P. AELIVS PROCVRATOR. ALEXANDRIÆ. AD RATIONEM PATRIMONII num. 481. LEMNVS. PROCurator PATIMONI ET HEREDITATUM , & VLPIVS PROCVRATOR PROVINCIARVM PANNONiae , & AFRICAE , omnes Liberti . Alios fuisse ingenuos ceteræ inscriptiones , quas eodem loco adducit , produnt ; & pag.37. Stelenius PROC. XX. aliis illustrioribus officiis , quæ ingenuos decent , ornatus reperitur . At Procuratorum dignitatem evehit Opilius Macrinus , qui *privatæ rei præpositus* , mox Præfecturam Prætorii , & demum Imperium adeptus est . In Gruterianis pag.411. Flavius Germanus Proc. XX. HER. ET. PROC. PATRIMON. filios equo publico ornatos habuisse dicitur , quo sit ut ipse quoque Equestris Ordinis sit censendum .

Pag. 451.3. L. Petronius Sabinus PROC. AVGG. STATIONIS HEREDITATVM. etiam Procurator Provincie Narbonensis signatur, quam dignitatem equestrem fuisse jam indicavimus. An hic ipse Petronius Vicarius Hispaniarum, ad quem extant rescripta Arcadii, & Honorii I. unica tit. 21. & l.5. tit. 22. lib. 4. Cod. Theodosiani? Certè Vicario in provinciis tributariæ rei cura incubuit, cui cum affinis sit procuratio, ex uno ad aliud officium tradutum Petronium non est inverisimile. Concinit & tempus, quo duo Augusti imperabant. Statio erat locus, in quo officiales susceptores tributorum consistebant, l. 19. tit. 6. de suscept. Cod. Th. Hic de loco officialium ad hereditates suscipiendas intelligendum, seu de ipso officio, cui præerat Petronius. In memoratâ inscriptione 5. pag. 426. C. Junius Procurator hereditatiū plura alia exercuit munera, quæ tantum Equitibus demandabantur. Præterea Claudius Imp. in oratione ad Senatum de Civitate Gallis dandâ *L. Vestinum*, ait, *Equeſtris ordinis ornamentiū in rebus meis detineo.* Interpretor, quod eum Imperator rei privatae familiari procurandæ imposuerit. Eam orationem tabulis æreis Lugdunenses consignarunt, quas demum superiori seculo in eâ Urbe repertas, exhibet Gruterus pag. 502. Tacitus Annal. 11. cap. 24. hanc ipsam orationem Claudii expressit, sed quantum à verâ, quam Imperator récitavit, deflectat, quisquis utramque inter se componat, facilè animadverteret. Longè diversus verborum contextus, sensus aliquot & sententiæ retentæ, plures prætermisæ vel de tortæ. Et si mihi fas sit dicere, illa Imperatorem, quem *non infacundum, neque indoctum* tradidit Svetonius cap. 40, hæc Oratorem loquentem statim prodit. Quod obiter addnotavi, ut hoc exemplo deprchendas, quantum in Concionibus nobilissimus hic scriptor vera confitit commiscens ingenio suo indulserit.

Itaque hinc ingenui & Equites, inde Liberti prociationibus adhibiti. Quid ergo? Pro lubitu & ex ingenio
Impe-

Imperatorum id factum arbitror. Si quæras testimonium, dabit idem Tacitus initio lib. 13. Annal. Ministri fuere, inquit, *P. Celer Eques Romanus, & Älius Libertus rei familiari Principis (Neronis) in Asia impositi*. In eâdem provinciâ eandem procurationem simul agunt Eques, & Libertus. Claudius Imp. quem rei privatæ admovisse Vestinum Equitem Rom. diximus, non mirum si Libertos quoque rei familiari præfecerit, *cum eos sibi, & legibus ad aquaverit*, ait Tacitus An. 12. cap 60. At pejus acceptum hoc munus ab Heliogabalo, qui *Mulionem*, quo non aliud genus hominum abjectius, *viceſimam hereditatium curare jussit*, teste Lampridio in vita cap. 12. Sanè Augustus apud Dionem lib. 53. pag. 506. Procuratores, qui publicos reddi-
tus colligunt, alios ex Equitibus, alios è Libertis elegit. Id etiam in hoc nostro procuratorum genere usurpatum. *Quod malè in suam sententiam detorsit Humphridius Prideaux*, qui in notis ad marīor Tingitanum inter Oxoniensia LXXXII. pag. 137. ex eo Dionis loco putat Procuratores publici Fisci ex Equitibus, privati verò Imperatorum patrimonii, ex Libertis delectos fuisse; nulla enim ibi distinc-
tio, nec verbum de procuratore patrimonii. Imò idem historicus lib. 52. pag. 480. recitat orationem Mæcenatis, quā inter plura reipublicæ administrandæ consilia, illud etiam Augustum monet, *ut ærarii publici ac Fisci, præterea negotiorum aliorum Romæ & per Italiam administratio Equitibus mandetur*. A quo tamen aliqua ex parte discessisse Augustum appareat. Promiscuè igitur Procuratores rei privatæ, & patrimonii Principis ex Equitibus, & Libertis accepti: quod nobis satis est, ne quis in dubium vertat, procurationes, de quibus loquimur, Equitibus Romanis fre-
quenter impositas, quo nostri AQUILII Equestris dignitas, pluribus jam titulis asserta, hujus quoque accessione firme-
tur: ne si in Libertos semper collata appareret, ut placuit Reinesio, è gradu splendidissimi ordinis ipsum dejicere co-
geremur.

C A P U T VII.

AQUILIO, ob curam Operum publicorum actam, illustre genus denuò afferitur. Vespasianus Capitolium restituit. Pugna inter Tacitum & Suetonium conciliatur. Tabulæ marmoreæ Fratrum Arvalium nuper repertæ. Memorata his Capitolii restitutio an eadem cum Vespasianæa. Titus Capitolium denuò concrematum restituere aggreditur, de quo silent scriptores; Domitianus absolvit. Aliqua hactenus ignota, qua iisdem Tabulis continentur, expicata. Fasti emendati. Plures Consules suffecti proferuntur. Dea Dia quæ fuerit, hucusque ignoratum. Famulae Deæ, & Virgines Deæ. Loca in Amphiteatro adsignata post dedicationem. Arvales situ nobiliori, eorum Ministri inferiori spectabant. Quot ii numero fuerint, degit. Ante diem, num diem ipsum significet? Nummi, male ab Antiquariis explicati, Arvalibus afferuntur.

PROC. OPER. PVB.

Procuratori Operum Publicorum.

AT fortè nutantem adhuc, incertumque ex his, quæ diximus, de **AQUILII** conditione, præscriptus titulus inter aumi ambigua versari amplius vetat. Operum quippe publicorum curam clarissimis viris, genere & gradu commendatis, impositam, testimonio lapidum, & fide historiarum comperimus. Aulus Vitellius filius Consulis, & Censoris, qui postea Imperator, defunctus Proconsulatu Africæ, curam operum publicorum administravit, ex Suetonio in vita cap. 5. Flavium Sabinum, sive is frater fuerit Vespasiani Cæsar, qui Urbis præfecturam gessit, sive hujus filius, qui Consul anno primo Domitiani consignatur,

ope-

operum publicorum Curatorem nobis indicat lapis Romanus
2.pag.128. Inde, ut temporum seriem sequamur, apud Cl.
Fabretum inscriptio 470.cap.3. nuncupatur *P. Metilio Pro-
curatori operum, locorumque publicorum Imp. Cæsaris Tra-
jani Hadriani Aug. Legionis III. Aug. & exercitus Africani
Legato.* Sub Antonino Pio C. Popilius Carus Pædo Curator
operum publ. scribitur in 6. pag. 457. Gruteri, & simul *Le-
gatus ejusdem Imp., & legionis X. aliisque gestis muneri-
bus clarus.* Septimii Severi ævo lapis Romanus pag. 171.
7.exhibit *T. Arrium Bassianum C.V. CVRatorem OPErum
PVBLICORVM.* Literæ singulariæ C.V. designant *clarissi-
mum Virum*, quo titulo Senatores honestatos, testis est
Lampridius in *Severo Alex.* cap.21. & in *Elagabalo* cap.4.
Imò hunc T. Arrium Antoninis adscribendum jure arbit-
tror, quod cognomen familiam Artiorum gestasse, ex Spar-
tiano infert doctissimus Casaubonus in notis ad eumdem
in *Hadriano* cap.24. Poterat nominare & *Capitolinum*, qui
initio vitæ Antonini Pii Arrium Antoninum huic Auum
maternum fuisse scribit. Bassiani verò cognomen eidem
quoque genti insertum reperio apud eumdem *Spartianum*
in *Severo* cap.10. quo loci ait, hunc Imperatorem filium
suum majorem Bassianum apposito Aurelii Antonini nomi-
ne Cæsatem appellasse. Nostro demum **AQUILIO** digni-
tatem splendoremque accersunt duo illustria patriciarum
gentium nomina quæ præfert lapis Romanus incerti ævi
pag.93.1.M.SVLPITIVS LEPIDVS. CN.OCTAVIVS
CELSVS CVRAtores OPErum PVBLICORVM.

Et sanè decebat illustres viros iis operibus curandis
præfici, quæ augustis Deorum, aut Cæsarum nominibus
consecrabatur. Vespasianus initio Imperii *Curam restituendi
Capitolii in L. Vestinum* (quem superius à Claudio fami-
liarissime habitum vidimus) *equestris Ordinis*, sed auctoritate
famæque inter Proceres, contulit, ait Tacit. hist.4.c.53.addit-
que sollemnia dedicationis pro restitutione templi peracta
fuisse à *Vestino XI.Kal.Julias*. Tunc aberat Vespasianus,
uti

uti conjicit Savilius ad hunc Cornelii locum. At Suetonius in vitâ cap. 8. tradit, Vespasianum ruderibus purgandis manus primum admovisse, ac suo collo quedam extulisse. Quod mirè torquet Lipsum, qui nil nisi pugnam manifestam videt, & lubens conciliantem se auditurum profitetur, in notis ad eum librum Taciti num. 83. Nescio, an post doctissimos viros eam pugnam liceat mihi levi manu dissolvere. Tacitus præter loci & areæ dedicationem nil nisi jacta fundamenta memorat; at cum *Haruspices*, ut ipse ait, monuissent, ut reliquiæ prioris delubri in paludes aveherentur, non ante id factum fuit quam præsens Vespasianus esset, & reliquias ipsas, sèù, ut vocat Suetonius, ruderæ primus efferret. Atque itâ intelligendus est etiâ Dio, sèù Xiphilinus qui lib. 66. pag. 749. ait: *Templum in Capitolio statim ædificare cœpit* (Vespasianus) *primusque inde terram extulit.* Utrumque verò gestum primo Vespasiani anno: unde Eusebius in Chron. malè id ad quartum refert, ingenti triennii metachronismo, ut notat Scaliger num. 2088. Quod indicavimus ex eodem Tacito sollempnia restitutionis Capitolii absoluta fuisse undecimo Kal. Julias, non convenit cum alio monumento, quo vota nuncupata ad ejusdem *Capitolii restitutionem & dedicationem VII. Idus Decembris consignata sunt.*

Nuper viâ Ostiensi quarto ab urbe milliario aliquot marmororum fragmenta defossa sunt, quibus sacrificia & acta fratribus Arvalium continentur, qualia videre est apud Gruterum à pag. 117. Sponium in Miscellan. erudit. pag. 5. & Fabrettum cap. 6. à pag. 442. At sanè hæc nostra non pauca eruditæ antiquitatis argumenta recondunt, quæ in illis frustra quæsieris. Ea iussù Eminentissimi Cardinalis Petri Ottoboni, in quo dignitatem intuemur, amorem literarum, magnificentiam, ceteraque animi præclara ornamenta suspicimus, in ædes Cancellariæ translata, doctis omnibus, copiam faciente Illustrissimo D. Ludovico Sergardio non minus ornatù morum, quam eruditionis, bonarumque artium

artium famâ commendato , patent . In alterâ igitur earum tabularum hæc incisa leguntur : M. TILLIO. FRVGL. T. VINICIO. IVLIANO. COS. VII. IDVS. DECEMBER. IN. CAPITOLIO. IN. AEDEM. OPIS. SACERDOTES. CONVENERVNT. AD. VOTA. NVNCVPANDA. AD. RESTITUTIONEM. ET. DEDICATIONEM. CAPITOLI. AB. IMP. T. CAESARE. VESPASIANO. AVG. In Collegio adfuerunt &c. Quod hæc votorum nuncupatio ad Vespasianæam , in quâ versamur, Capitolii restitutionem pertineat, nomen ipsum ejusdem Imperatoris, quem etiam Titi prænomine usum aliqui putant, quos inter Panvinius de nominib. antiq. pag. 71. & Rupertus observation. ad Synopsin Besoldianam in Vespasiano, suadere videbatur . Consules præscripti indicium nullum facere possunt , cùm sint ex suffectis , nec quo anno magistratum gesserint , uspiam constat . At eam nuncupationem filio ejus Tito adscribendam omnino arbitror. Mos enim Arvalibus fuit , filium solum , non patrem , Titi prænomine indigitare . Quod patet ex tabulâ apud Fabrettum cap.6. pag.442. ubi primùm vota nuncupantur pro salute Imp. Vespasiani Caesaris Aug. & paullò post , pro T. Imp. Vespasiano Caesare Aug. F. Ex nostrâ verò sic deducimus: Capitolium quod bello Vitelliano conflagraverat , restitui coeptum fuisse à Vespasiano , Tacitus & Svetonius meminerunt, ut vidimus . Solus Plutarchus in vitâ Publicolæ ab eo etiam absolutum tradidit . Denuò inde nobilissima arx Imperii, simul atque decepsit Vespasianus , hausta incendio est , teste eodem Plutarcho , qui consentiente Svetonio cap.5. Capitolium à Domitiano expletum & dedicatum fuisse scribit . Puto ergo, quod nemo unquam Scriptorum memoravit , Titum , statim ab hac ultimâ post excessum patris conflagratione, Capitolii restitutionem fuisse adgredsum , fatis verò subito abreptum , fratri Domitiano perficiendum reliquisse . Hinc hujus tantum apud auctores mentio . Igitur ipse Titus manum operi admoturus , dē-

more vota prius nuncupari Diis Imperii præfidibus jussit, quæ expleta ad diem viij. Idus Decembris per Sacerdotes Arvales docet nostra Tabula, & forte ab aliis quoque Sacerdotum Collegiis. Vota certè nuncupabantur initio rei gerendæ, ut benè cederet, ipsâ verò perfectâ solvebantur. Ejus nuncupationis, ne à Capitolio discedamus, formulam refert Tacitus in priori Vespasianæ: *Jovem, Junonem, Minervam, presidesque Imperii Deos precatus, uti copta prosperarent, & desque suas pietate hominum inchoatas divinâ ope attollerent.* Quod verò nostra hæc Arvalium nuncupatio ad Titum sit referenda, licet satis ostendat hoc ipsum prænomen, quod in lapidibus & nummis, ipsi, non patri, dabatur, ut monuit Pagius in Critic. Baron. ad annum 77. attamen cum hæc Titi Capitolina restitutio nulli veterum scriptorum tradatur, eam ex ipsa quoque auctorū, quæ in nostrâ tabulâ consignantur, serie demonstrare juvat. Quo etiam obiter rara quædam & non prius nota, in eruditorum gratiam adnotabimus: veniam interim deprecantes si pa-rum ab instituto recesserimus.

Vespasianæ votorum nuncupatio Tacito affigitur; uti vidimus, undecimo Kal. Julias, nostra verò VII. Idus Dec., quod diversam arguit. Hanc eamdem nostram sequitur statim piaculum factum in luco *Deę Die per calatorem, & publicos XVIII. K. Februarii.* L. FLAVIO. SILVA. NONIO. BASSO. ASINIO. POLLIONE. VERRUCOSO. COS. Hi Consules ordinatii processerunt Kal. Januarii anno V.C. 832. Christi Domini 81. & postremo Titi, ut inferius patebit. Eos excipiunt alii Consules L. VETTIVS. PAVLLVS. ET. T. IVNIVS. MONTANVS ad Kal. Majas, & inde L. AELIVS. PLAVTIVS. LAMIA, & Q. PACTVMEIVS. FRONTO; quos suffectos fuisse silentium fastorum evincit. Primus horum is fuit Ælius Lamia, quem, abductâ pridem uxore, Domitianus interfecit, ex Svetonio in vitâ cap. i. & 10. & minuit Juvenalis Sat.4. Ejus hic habes prænomen, & alterum

rum cognomen, quæ alibi non repieres. Sub posterioribus iisdem Consulibus adnotatur in tabulâ, Fratribus Arvalibus *loca adsignata* fuisse in Amphiteatro ab *Laberio Maximo Procuratore Praefecto Annonæ*. Fuit hic procurator Vespasiani in Judæa ex Plinio lib. 10. ep. 16. & initio Hadriani *suspensus Imperio*, in insula exulabat, teste Lampridio in Hadrian. cap. 5. Porrò hanc *adsignationem* Arvalibus fuisse factâ statim ac Titus Amphiteatrum dedicavit, nullus dubito. Ea dedicatio, cuius meminit Svetonius in vit. cap. 7. incidit in annum postremum Titi, ut notat Eusebius in Chronico. Quamvis verè ex contextu Dionis lib. 66. pag. 757. aliqua dubitatio suboriri possit, id factum anno antecedenti. At series temporum nostræ tabulæ secus suadet. Et quidem Dio ipse satis obscure loquitur; nam *in sequenti anno, dedicatis, inquit, iis quæ suprà dicta sunt, mortuus est*. Narraverat ludos in Amphiteatro, aliosque alibi exhibitos. Ergò videtur dedicatio facta anno ejus emortuali. At prosequamur nostram Tabulam, in qua post *adsignationem* locorum recensentur vota nuncupata prò salute Imp. Titi his verbis:

L. FLAVIO. SILVA. NONIO. BASSO COS
ASINIO. POLLIONE. VERRVCOSO

III. Nonas Ian.

Magister. C. Iunius. Tadius. Mefitanus. Collegi. fratum. Arualium. nomine. vota. nuncupauit. prò. salute. Imp. Titi. Caesaris. Diui. F. Vespasiani. Aug. Pontif. Max. Tribunic. potest. Cos. VIII. et. Caesaris. Diui. F. Do-

mitiani. Cos. VII. et. Iuliae. Aug. Liberorumque. eorum. Victumis. immolatis. &c. Deinde vota concepta recitantur: Iuppiter. O. M. Si. Imperator. Titus. Caesar. Vespasianus. Aug. &c. Similem formulam aliae tabulae exhibent, meminitque Tertull. de Coronâ c. 12. Vota nuncupabantur annuatim statu hoc die, ut est in veteri Kal. Titus divi filius hic expressè appellatur, & consignantur iidem Consules anni eius postremi, ne ambigere possis acta omnia, quæ in hac tabulâ recitantur, ad eiusdem Titi Imperium esse revocanda: nuncupationem quidem votorum prò restitutione Capitolii ad annum Christi 80. labentem, VII. Idus Decembris, cetera verò continenter ad sequentem, quo Titus ipse idibus Spetemberis fato cessit. Habes ergo, restitutionem Capitolii ultimo incendio absumpti à Tito cœptam fuisse, quam historiæ partem à Scriptoribus prætermissam, nostris Arvalium tabulis debemus.

Ut vero promissi fidem liberem, singularia quædam ex hisce tabulis decerpta, Eruditis hic seposui. In primis Fasti hujus anni, hucusque corrupti, vel supplentur vel restituuntur. Græci & Cuspinianæ apud Panvinium Consules exhibit *Silvanum*, & *Pollionem*. At Panuinius ipse, dum prænomina, & gentes addere attentat, omnia fædus depravata obtrudit. Reposuit enim *M. Plautium Silvanum*, & *M. Annium Pollionem*, eosdemque ad ipso mutuatus Leunclavius præfixit lib. 66. Dionis. Eminentissimus Cardinalis Norisius, in quo, singulos laudum titulos, & summum locum doctrinæ sibi vindicante, amplissima dignitas accessio est, in Epistolâ Consulari pag. 50., eos restituit ex arâ apud Gruterum pag. 1040. i. à Canulejo dicatâ Kal. Novembris SEX. ANNIO SILVANO, & T. ANNIO. VERO POLLIONE. COS. Fidem lapidi Gruteriano non abnue-

abnuerim : at certè , postquam nostræ tabulæ emerserunt ; fatendum est , aut exscriptorem nomina depravata tradiisse , vel hoc par Consulum ad fastos hujus anni non pertinere , eosque inter suffectos incerti ævi alegandos esse . Quod sane magis arridet , cùm vix credi possit , exscriptorem adeò rudem & imperitum fuisse , ut nomina toto asse discrepantia præbuerit .

At nostros Consules fuisse ordinarios patet . Nam sub ipso exordio anni , quem Consules ordinarii aperiebant , ad diem nempe tertium , & decimum quintum Januarii , notantur . Quare ad annum postremum Titi , Urbis 834 . Christi 81. qui Baronio est 83. Consules restituendi sunt : **L. Flauius Silua Nonius Bassus , & Asi-
nius Pollio Verrucosus .** Quæ eadem nomina reperies apud Dionem , seu ejus exceptorem Xiphilinum , qui lib. 66. pag. 757. hoc ipso anno Titi emortuali reponit Consules Flavium & Pollionem . Unde frustrà est Leun- clavius , qui in notis pro primo reposuit *Plautium* , verum hoc esse ejus Consulis nomen autumnans . Hunc ipsum non ambigo fuisse *Flauium Siluam* , qui apud Josephum lib. 7. de bello Judaico cap. 28. defuncto Basso administravit Ju- dæam , & reliquias belli capto munitissimo Castello Massa- dâ confecit . Itaut post decem annos Consulatum adeptus fuerit , nam in annum Chr. 71. Massadæ oppugnatio inci- dit . Dubitat Glandorpius in Onomast . Rom . pag . 345 . nūm rectius apud Josephum legendum sit , *Plautius Siluanus* . Scrupulum , illi fortasse ex vulgatis Fastis haustum , nostri emendati depellunt . Hinc etiam corrigendus venit Usse- rius qui ad an. 73. *Publum Siluam* vocat . Sanè in Græco- Frobeniano , & Græcolat . Genevensi 1634. est Φέβλι@ : at Latinis omnibus , quos vidi , *Flavius* dicitur . Dissensus hic inter utriusq; linguæ scripturam impulit , ut Vaticanos MSS. Codices consulerem . Ex Græcis satis antiquus sub n. 984. fol. 337. 2. habet Φέβλι@ Σίλβας . cuiusmodi est alter inter-

Urbinates . Rursus in veteribus , Vaticano num. 148. fol. 203. Palatino 284. & Urbinate 85. scribitur Φλαύιος Σίλβας . Demum recentior Vaticanus habet Φλαεῖος Σίλβας . At omnes Latini constanter præferunt, Flavius Silvius , quos inter duo sunt antiquæ & probatæ notæ nu. 1992. fol. 164. & num. 1997. fol. 324. sex reliqui recentiorem manum sapiunt . Nec dubito ita scripsisse Josephum ejusque Interpretem , qui Rufinus Aquilejensis putatur . Nam vero similius est , imperitos amanuenses potius in Græcis characteribus exscribendis peccasse , quam Latinis . Præsertim cùm non sibi content Græci Codices , Latini ubique eamdem vocem præferant . Quæ omnia ex nostris quoque tabulis firmantur . Habes etiam alterius consulis genuinum nomen , seu dixeris cognomen , in fastis consularibus Anonymi , quos Em. Norisius è Codice ms. Bibliothecæ Caesareae publicavit , additâ eruditissimâ dissertatione . In his enim annus Chr. 81. Coss. Silvius & Pollione notatur.

In nuncupatione votorum prò salute domus Augustæ hoc anno signatur Titi Consulatus VIII, & Domitianus VII, licet eos Consulatus gesserint anno superiori , more Cæsaribus accepto , qui tamen ignoratus etiam doctis antiquatum aliquando imposuit . Rursus inter septem illos Consulatus Domitiano inscriptos numerari etiam suffectos scias , qua de re videas doctissimos viros dissidentes , Card. Norisium in epistolâ mox laudatâ , & Pagium in dissertat. Hypaticâ pag. 64. & Crit. Baron. ad an. 83.

Præter Consules suffectos jam memoratos , alios etiam ejusdem notæ invenies in nostris tabulis . In secundâ nempe imperante M. Aurelio 13 Antonino Aug. signantur L. Tutilius Pontianus , & Gentianus Cos. VI. Id. Febr. & in tertia M. Herenius Secundus M. Egnatius Postumus , III. Id. Maji . Locus inter nomina Aurelii & Antonini detritus , poscit Commodum . Ejus enim nomen post mortem , alienis operibus incisum Senatus erasit , teste Lampridio in vita cap. 17. & cap. ultimo Cingium Severum in Senatu censu-

fuisse, ex Mario Maximo tradit, *nomen eius ex omnibus privatis publicisque monumentis eradendum.* Lollianus Gentianus Consularis, de quo meminit Capitolinus in Pertinace c.7. fortasse ipse est Gentianus, quem Consulem notat sub Commodo nostra tabula. At non is esse potest Gentianus ultimo Severi anno Consul, ut putat Casaubonus in notis, quia sub Pertinace eum non vocasset Consularem Capitolinus.

DEAM DIAM, in cuius loco ab Arvalibus piaculum factum indicavimus, quæque passim in nostris, & aliorum tabulis memoratur, *JUNONEM* esse certò deprehendimus. Nam in tertia semel & iterum immolatæ dicuntur *Junoni Deae Diae oves II.* Quo videas egregie deceptum Sponium, qui in Miscellaneis eruditis pag.6. *Deam Diam Opim*, seu Rheam esse sibi à Basileensi amico suaderi passus est; non alia ratione, quam quia frugibus præsideret. A quâ notâ libens exsolvo amicissimum olim Frabrettum, quamuis *Deam Diam* dixerit Heben Inscript. cap. 6. pag. 481.; Nam sibi auctorem habet Strabonem, qui libro 8. Heben Phliunte, & Sicyone sub *Diae* nomine cultam scriptum reliquit. Evidem $\Delta\tilde{\iota}\tilde{\zeta}$. Græcis pro *divinus* accipitur, scilicet *habens divinum* aliquid, quo excellit. Quare sicut *Dia* antonomasticè dicitur *Juno* quasi excellentior aliis in *divinitate*, & veluti *Dearum Dea & Princeps*; ita Hebes *Dia* poterat appellari ob excellentem *pulchritudinem*, ob quam verè juventuti præpositam, ipsamque juventutem vocatam fabulantur Poetæ. Unde Eustathius $\delta\tilde{\iota}\tilde{\lambda}\tilde{\alpha}\tilde{\lambda}\tilde{\zeta}$. ob pulchritudinem de quibusdam scribi dicit: *Helena* apud Homerum Odyss.lib. 15. v. 106. $\delta\tilde{\iota}\tilde{\zeta} \gamma\mu\alpha\kappa\pi\tau$, appellatur, hoc est *egregia* seu *divina mulierum*, & Calypso Nympha eidem est $\delta\tilde{\iota}\tilde{\zeta} \theta\mu\omega\tau$, *diva dearum*, Odyss. lib. 1. vers. 14. & alibi sæpius. *Dia* etiam dici potuit Hebes, quia filia *Diae* hoc est *Junonis* sicut $\Delta\tilde{\iota}\tilde{\zeta}$ appellatur, qui Jove progenitus est. Immolatum etiam reperies *Famulis Divis Verbeces II.* Nescio, an id intelligendum de *familiaribus Divis*, nam statim sequitur, *Laribus Verbeces II.* Vel in plē-

be ultimâ Deorum etiam *famulos Divos* commenta est superstitiosa Gentilitas. Sanè nusquam id nominis observare licuit. Præterea & *Virginibus Divis oves II.* immolantur, quod vocabulum insolens porrò est.

Verba ipsa, quibus loca in Amphiteatro Arvalibus adsignata jam indicavimus, huc transferre liceat, quoniam quid simile nusquam apud antiquos traditum fuit. Præfigitur hic titulus literis grandioribus. **LOCA ADSIGNATA IN AMPHITEATRO.** Inde statim sequitur:

L. AELIO. Plautio. Lamia. **Q.** Paetumeio. Frontone. **Cos.** Acceptum. ab. Laberio. Maximo. Procuratore. Praef. Annonae. **L.** Vennuleio. Aproniano. Mag. Curatore. Thyrso. **L.** . . . Fratribus. Arualibus. Meniano. **I.** Cun. **XII.** Gradib. marm. **VIII.** Gradui. **P.** **V.** Gradu. **III.** Ped. **V.S.** F. Ped. **XXXIIIS.** Gradu. **I.** vno. **P.** **XXIIS.** Et. Meniano. Summo. **II.** Cun. **VI.** Gradib. marm. **IV.** Gradu. **I.** uno. **P.** **XXIIS.**, & Maeniano. Summo. in. ligneis. tab. **L III.** Gradibus **XI.** Gradu. **I.** Ped. **V.**-- **S.**-- Grad. **XI.** Ped. **V.S.**-- **O.F.** Ped. **LXIIIS.**-- Summa. Ped. **CXXVIIIIS.**-- Colligas igitur, ut quidem opinor, statim in dedicatione Amphiteatri loca singulis Magistratis, Collegiis, Corporibus, ceterisque Ordinibus fuisse destinata, idque per *Praefectum Annonæ*. Nam eo ipso anno, Titi postremo, quo dedicatio peracta, ut diximus, etiam loca

ca Arvalibus tradita leguntur in nostra tabula . Et sanè nobiliora, in Mæniano scilicet primo , quod idem ac Podium, præente Lipsio de Amphith. cap. 11, esse arbitror. Ad Podium enim spectare solebant primi è Senatu , unde enatum adagium . Certè Fratres Arvales è nobilissimis familiis sumebantur , ut videre est in nostris , & aliorum fragmentis . *Mænianum aliud in summo in ligneis tabulis notatur: quo locatos puto calatores, publicos, aliosque ministros Collegii Arvalium . Quippè in summo Amphiteatri sedisse viiores, tritum est. Quòd plures gradus in Mæniano Arvalibus adsignati sint, si ceteri etiam Magistratus illustriores , & primi è Senatu è Mæniano seu Podio spectabant, necesse est, ut omnes caperet, hoc in orbem productum fuisse , & totum inferiorum ordinum spatium occupasse . Hinc lucem mutuam tribuit & accipit lapis Eugubinus pag. 172. 14. in quo Sulpitius theatrum PODIO CIRCVMSCRIPSIT., eo nempè constructo per ambitum ipsius theatri . Præterea ex spatio Arvalibus permisso putare poteris , quot hominum numero eorum Collegium constaret Nam si ex calculo Torelli apud Lipsium de amphit. extra Rom. cap. 3. singulis pes , & dimidiis tribuatur ad sessionem , in spatio pedum 129. sedere poterant 86. homines , quos omnes ad Collegium Arvalium pertinuisse facile judicaveris : non enim vero simile est, loca ultra numerum tributa . Hoc sanè intelligas velim non tantum de ipsis Arvalibus , quos duodecim fuisse non me latet ex Agellio lib. 6. cap. 7. sed de omnibus eorum Collegio ministrantibus .*

Dubitaverant nonnulli viri docti , an eâ loquendi formâ apud veteres frequenti, *Ante Diem*, puta decimum, dies ipse decimus, vel antecedens significaretur. Card. Norisius profusâ cruditionis copiâ , quam ceteris operibus suis doctissimis, tûm sacrîs cùm prophanis , ubique floresentem miramus , ipsum diem notari demonstravit , in Cenotaph. Pis. dissert. 2. cap. 17. à pag. 342. Placet ex nostris tabulis, quibus nec scripturæ error , nec vitium ævi affigi potest ,

hoc

hoc ipsum certo ac luculento testimonio docere. In tertiam fratres Arvales indicunt sacrificium Deę Dię peragendum ante diem XVI. Kal. Junias Romę: ante diem XIIII. Kal. Jun. in Luco. Exinde paullo inferius haec consignata leguntur: XVI. K. Jun. in domum Licini nepotis mag. fratres Arvales praetextati sacrificium deae diae ture, & vino fecerunt &c. Recitantur alii ritus sacrificii & nomina Arvalium, qui interfuerunt; & statim haec habentur: XIIII. Kal. Jun. in Luco deae diae Q. Licinius nepos Mag. ad aram immolauit &c. Ante diem igitur sextum decimum, & quartum decimum ipse est dies sextus decimus, & quartus decimus.

Antequam fratres Arvales deseram, operæ pretium me facturum existimo, si iisdem nummos aliquot, qui hucusque perperam explicati sunt, asseram. Ursinus Patinianus in familiā Mussidiā pag. 182. denarium profert, cui Imago Cereris binis spicis conspicua impressa est, in posticā verò parte *spicea Corona* cum epigraphe in ejus medio: *L. Mussidius Longus*. Hanc profero in tabulā numism. pag. 6. Eum Ursinus ad frumentariam aliquam Mussidii procurationem pertinere arbitratur. Olim monuerat me Io:Franciscus Sibaldus Auximas morum suavitate, & literarum studio, bonorum omnium amorem promeritus, eam effigiem ipsius Mussidii esse, spicemque coronam unum ex fratribus Arvalibus indicare. Gavisus sum cum in nostras tabulas incidi, quarum tertia conjecturam hanc penè demonstrat. Ex ea haec verba describo: *Sacerdotes Arvales in tetraستulo confederunt, & ex Sacrificio epulati sunt, sumtisque praetextis, & coronis spiceis bittatis &c.* Hoc ipsum illustrat Agellius noct. Attic. lib. 6. cap. 7. ubi ex Massurio Sabino ait: *Cujus Sacerdotii (fratrum Arvalium) insigne est spicea corona, & albæ infulæ*. Additque Plinius lib. 17. cap. 2. Spiceam coronam, quæ vittâ albâ colligaretur, & Sacerdotio huic insigni data esset, primam apud Romanos coronam fuisse. Libenter. igitur Ursino consentiam, effigiem scalptam in nummo esse Cereris, de quâ Ovid.lib.4. fastor.

Tum

*Tum demum vultumque Ceres animumque recepit,
Imposuitque suæ spicea ferta coma.*

Nam & imago Mussidii longè ab hac discrepat, ut videre est in sexto nummo. At coronam spicream in parte aver-sâ, non pro-curationem frumentariam, quę duobus tantummodo spicis notatur in sexto nummo familiæ Calpurniæ, & alibi, sed sacerdotium fratrum Arvalium, quo Mussidius fungebatur, significare omnino verum puto. Eodem spectat denarius quintus familiæ Juniæ pag. 144. qui idem ac pri-mus Postumiæ est pag. 231. Vittam eo prorsus modo, quem Plinius describit, coronas colligantem utrobique adver-tas. Sanè passim cernere est scalpta insignia, & instrumenta sa-cre, Sacerdotium ejus, cui nummus impressus est, denotan-tia. Quo non mirum est Mussidium sui sacerdotii insigne, coronam spicream, in nummis descriptum gestasse.



C A P U T . V I I I .

Rursus de Operibus publicis. Horum Procuratores à Cura-
tore Aquæductuum, Viarum, Alvei Tiberis, & statuarum
distincti. Quinam curator operum nitentium, unde Vale-
sus notatus. Curatores opera publica aliquando dedica-
bant; & locum iis ædificandis adsignabant. Epochæ tem-
porum Cæsarianorum, in lapide Ceionii Albini notata, in-
quiritur, & Scaliger ac Pagius corriguntur. Nomen Ope-
ribus publicis inscribere vestitum, nisi extractis propriâ im-
pensâ. Architectis hoc etiam denegatum. Tubi plumbei
Antii, & Puteolis effossi, quorum occasione nonnulla de Acte
Neronis Libertâ.

DE Operibus publicis institutum argumentum,
quod saxa Arvalium interceperant, prosequa-
musr. Procuratoris Operum publicorum no-
men, & Curatoris promiscuè veteres usurpa-
runt. Primum nostra inscriptio, Gruteriana pag. 307. 5. &
Fabrettiana supra indicata 470. retinent; secundum passim
in ceteris inscriptionibus, & in libris Digestorum, & Codic-
is utriusque reperies. Hoc officium ab Augusto institutum
tradit Svetonius in vitâ cap. 37. Quòque plures inquit, par-
tem administranda Reipublicæ caperent, nova officia excogiti-
tavit, curam operum publicorum, viarum, aquarum, alvei
Tiberis &c. Officium, seu magistratus inventus ab Augusto,
non res ipsa, aut munus. Pridem enim hæc omnia ad Cen-
sores pertinebant, vel Ædiles. Augustus singula distinxit,
& pluribus administranda tradidit. At Pancirolus in Com-
mentar. ad Notitiam Imp. Occid. cap. 15., ait, olim Aquæ-
ductus non habuisse distinctos Curatores: vñus enim Cura-
tor Operum publicorum vocabatur, l. i. D. de opere publ.
Fallitur: nam Ulpianus in hac lege aperitè munus Operum
publicorum distinguit à curâ aquæductuum. Tantum in-
nuit, constitutum in uno etiam alterum posse suscipere. Hic

Co-

Comes Formarū inferiori evo dictus, & aliis est à Curatore operum publicorum in eadem Notitiā. Nomen à formis quæsitum, quæ erant conceptacula aquarum, quibus aquæductus distinguebantur. At rursùs dubium instaurat lapis Romanus pag. 93. 1. qui à Curatoribus operum publicorum dedicatur NYMPHIS. LYMPHIŚQVE. AVG. DVLCISSLIMIS. OB. REDITVM. AQVARVM. PLACIDE. PROSILIENTIVM. AB. POPVLO. ROMano DIV. DESIDER.... Cura ergo aquarum deducendarum, quod est aquæduſtum, ad ipsos pertinebat. Observo adjectas in fine epigrammatis literas singularias D. S. I. P. C. nempe de suâ impensâ ponî curarunt. Ex ærario publico impensæ fiebant, quibus in provinciis tertia pars reddituum destinata erat, ex præscripto Arcadii & Honorii in I. ne splendidissimæ 11. Cod. de op. publ. At aliquando privatâ liberalitate opera publica complebantur. Zeno Imp. in I. unicâ Cod. de ratiocin. oper. publ. jubet provinciarum *Rectores*, & *Præsides discutiendas publicis operibus*, vel aquæductibus (notanda distinctio, de qua nunc loquebamur) qui ex Ciuitibus redditibus vel à quolibet sponteâ munificentiâ facti sunt abstinere. Ità in hac inscriptione ideo nomen Curatorum insculptum, quia propriâ impensâ aquas deduxerant. Inscriptionem verò tunc privatis quoque permisam mox ostendam.

Curam viarum, & alvei Tiberis segregat Tranquillus à curâ operum publicorum. Quod servatum sequutis temporibus. Plinius lib. 5. ep. 15. memorat, Cornutum Tertulum accepisse Æmiliæ viæ curam. Hinc in nostris saxis pag. 446. 9. *Curator viæ Flaminiaæ*, pag. 463. 4. *Curatori viæ Salariaæ*, aliarumque viarum, de quo consulas indicem Gruterianum. Hi singularum viarum curam gerebant: at omnium simul Plotius ille apud Statium lib. 4. Silv. 9.

Te Germanicus arbitrum sequenti
Annone dedit, omniumque late
Prefecit regionibus viarum.

Curatoris riparum, & aluei Tiberis, cui annexæ frequenter Cloacæ, sæpius meminerunt Inscriptiones, uti pag. 381. 3. 454. 5. 498. 5. 1028. 5. In Notitiâ Comes riparum, & alvei Tiberis, & Cloacarum nuncupatur. Invenio etiâ distin-ctâ fuisse curam Bibliothecarum, licet hę inter opera publica numerentur à Victore. Apud Fabrettum cap. 3. inscr. 478. T. Ælius eques Romanus dicitur Procurator BIBLIO-THECAR. IVRIS PVPLICI... PRIVATI.

Rursus peculiarem Curatorem statuarum, quæ sane inter opera publ. censebantur, refert Notitia sub dispositio-ne P.V. Ejus munus erat noctu Urbem circumire, manu militum adhibitâ, & prospicere ne statuæ devastarentur, aut furto tollerentur. Romę enim quidam populus copiosissimus statuarum, greges etiam abundantissimi equorum erant, ut phrasι utar Senatoris lib. 7. epist. 13. ubi hoc officium de-scribit sub nomine Comitiuę Romang. Hic videtur deceptus doctissimus Henricus Valesius, qui in annot. ad Marcelli-num lib. 16. cap. 6. hunc Comitem confundit cum Centuri-
one rerum nitentium qui in Notitiâ Tribunus rerum niten-tium vocatur. Evidem eumdem esse Centurionem rerum nitentium Marcellini, ac Tribunum Notitiæ assentior; at hos diversos à Curatore statuarum, seu Comite Cassiodori, ex eadem Notitiâ manifeste apparet. Puto nomen ipsum di-scretum munus & rem designare. Tribuni seu Centurionis rerum nitentium solicitude erat, ut Ædes Sacræ, Basilicæ, Fora, Balnea, Circi, Theatra, Viæ, Bibliothecæ, & omnia denique loca publica nullis fordibus vitiarentur, sed nit-
ercent, ut notavit Pancirolus cap. 19. At Comiti Romano, seu Curatori statuarum, nil, nisi earumdem statuarum cu-stodia, ad furta & damna compescenda, & jurisdictio in-
carum violatores commendata erat, ut patet in memoratâ Cassiodori formulâ. Illam rerum nitentium Panciroli ex-plicationem eâ observatione illistro, quod sæpius, ad splen-dorem & ornatum operum publicorum connotandum,
simi-

similis loquendi forma usurpata fuerit, ævo præsertim quo scribebat Notitiæ auctor. *Venas nitentium saxonum, scilicet marmorum, invenies in l.2.de Metall. Ædificia ad statum pristinum nitoris adducere in l.20. de oper. publ. & publicis nitoribus faciem aspectus deterioris inducere (quod est opera publica deturpare) in l.25.eod.tit.ex Codice omnes Theodos. Denique Cassiodorus lib.3.ep.9. que situ, inquit, fuerant obscura antiqui nitoris possint recipere qualitatem.*

Cetera ergo *Opera publica* Curatori, de quo nobis sermo est, committebantur. Ea passim memorata videas in libris Pandectarum, & utriusque Codicis sub titulo *de operibus publicis*. Inter hæc præcipua sunt *Ædes sacræ*, Tempa, Prætoria, Thermæ, Theatra. At Urbis mænia, & Amphitheatra, & quædam alia, maxima dicebantur, iisque proprius Curator datus in Notitiâ. Officiū nostri *Curatoris* erat incumbere, ea integra servari, collapsa restituī, & nova redemptoribus facienda locare. Verba ex prædictis libris juris, quibus hæc munia indicantur, non exscribo, ut tædio legentium parcam. Alia tamen ipsis intacta ex nostris inscriptionibus delibò, quò etiam constet, quantum ad veterē eruditioñem præclara hæc lapidum monumenta conferant.

Primum inter egregia Curatorum munia fuit *Operum publicorum dedicatio*. In Rom. inscriptione pag. 171.7. hæc habentur: DEDIC. XV. K. FEBR. PER T. ARRIVM BASSIANVM. V.C. CVRatorem OPerum. PVBLICO-RVM. ANVLINO. II. ET. AVFIDIO. FRONTONE COS. Quodnam fuerit hoc opus ab Arrio dedicatum, non satis liquet: licet enim inscriptio exculpa sit in sinistro latere Lapidis, cui alia Vettii Probiani Praefecti Urbi ad statuam in Basiliâ Iuliâ adiectam superscripta legitur; attamen ex prædictis Consulibus prima ad Imperium Septimii Severi, secunda ex charactere, ut ibi notat illustris collector, ad eum Constantinum pertinere dignoscitur. Unde pater, Arrium non dedicasse statuam, quæ imposta antiquo ejus lapidi (ut non semel ævo sequiori factum obser-

vamus) Vettii Probiani dedicatione publicata fuit. Ex hoc marmore fortè restituendum cognomen Probiani Vectio Praefecto Urbi , de quo Panvinius in fastis ad annum V. 1087. Ergò Arrius Curator, nescio quod aliud opus publicum dedicauit. Quod intelligendum de dedicatione in sensu profano, uti *domum Neronis dedicatam* legimus apud Svet. Neron. cap.31. *Patinam Vitelli* apud eundem in eius vita cap.13. & *Pontem Puteolanum* in Calig. cap.32. Non enim sum nescius, Templa & Ædes sacras dedicandi ius apud Pontifices , & Imperatores stetisse ; cuius exempla , præter ea quæ habet Emundus Figrelius de statuis cap.29. videre poteris apud Tacitum Annal.2. cap.49. sub fin. & Ciceronem in orat. pro domo sua, & ad Attic. lib.4. ep.2. Privatis nonnisi decreto Senatus, cui aliquando iussus populi accessit , dedicare fas fuit . Consule Gutherium de vet.iure Pontif.lib.3.cap.12.

Prætereà si cui Templum vel Ædem sacram excitare in animo erat, non id licebat, quin Curator operum publicorum locum ad construendum circumscriberet . Romanus lapis pag. 26. 3. LOCVS ADSIGNATVS. AEDI. OPIS. ET. SATVRNI. L. MVNATIO. VERO. ET. C. TERENTIO. FELICE. CVRAT. OPER. PVBL. Magistratum hunc duobus viris conflatum ex hac , & aliâ proximè referendâ inscriptione appetet . In alio Romano lapide pag.128.2. Negotiatores Frumentarii *Templum extruxerunt ex auctoritate Imp. Caesaris Titi Vespasiani Aug.* in LOCO qui erat DESIGNATVS. per Flavium Sabinum Operum publicorum Curatorem . Sub Tito *Templum extructum:* at locus pridem designatus erat , opere fortassis per bella civilia intermissio. Quo licet conjicere,hunc Sabinum ipsum fratrem Vespasiani fuisse,bello Vitelliano obtruncatum. Et quidem *Templorum curam eos egisse,improbum Vitellii facinus demonstrat* , quem operum publicorum Curatorem, ut superius indicatum est, *dona* , atque *ornamenta Templorum surripuisse & commutasse*, quædam quoque au-

ro & argento stannum, & aurichalcum supposuisse, feren-
te famâ narrat Suetonius in vitâ cap.5.

Quamvis cura collocandi statuas, iussu publico præ-
claris viris decretas, Curatoribus statuarum incumbet,
locus tamen, quo ipsæ ponendæ essent, per Curatorem ope-
rum publicorum designabatur. Utrumque discimus ex illu-
stri inscriptione Ceionii Rufii, quæ cum apud Gruterum
pag.387.3. & Panvinium in Fastis ad A.V. 1087. fœde
corrupta legatur, integrum & emendatum proferimus ex
tom.4. pag.492. Analectorum Clarissimi Mabillonii, qui
eam ex antiquo Einsidlensi membranaceo Codice descri-
psit. Et ne de Germanico exemplari quis dubitare possit,
eandem prorsus similem ex autographo Joannis Marcano-
væ, qui primus omnium veteres inscriptiones colligere
aggressus est, Venetiis exscriptam, mecum communicavit
ornatissimus vir, & in literarum studio optime versatus,
Apostolus Zenus. Ea verò sic se habet: *Ceonium Rufum*
Albinum V.C. Conf. sic Filosophum Rufi Volusiani bis ordinarii
Cons. filiū Senatus ex Consulto suo quod eius liberis post Cae-
sariana tempora, idest post annos CCCLXXX. & I. aucto-
ritatem decreuerit Fl. Magnus Ianuarius V.G. Cur. statua-
rum. Locus adsignatus ab Nigro & Coſciano Cur operum pu-
blicorum. Hæc postrema verba, quæ ad nostrum argumen-
tum attinent, licet apud Mabillonum ab aliâ inscriptione
intercepta legantur, tamen sic coniungenda sunt ex Grute-
ro, qui vitium sanè in scriptione, incorrecto exemplari
usus, admiserit, in hoc fortè deceptus non est, cùm & res
ipsa suadeat, ea verba ita solitariè stare non posse. Hoc Ro-
mæ: at in Coloniis & Municipiis locus ponendæ Statuæ de-
signabatur vel à Decurioribus, quod notant hæc literæ sin-
gulariæ L.D.D.hoc est. Locus datus Decurionum decre-
to, in inscriptionibus frequentes, ut pag.404.1. & alibi; vel
ab ipsis Duumviris ex pag.355.1.

Cum præclaram illam Epochæ Cæsarianæ Chrono-
logicam notam, quâ recitatum saxum Albini Consulis
signa-

signatur, perperam versaverint insignes temporum Magistri, parcat Lector si rursum diverticula persequor. Scaliger in notis Eusebianis num. 1969. explicaturus hanc ipsam inscriptionem, quam mutilam & incorrectam producit, Epocham Monarchiae Julii Cæsaris alligat Æræ Antiochenæ, (scilicet anno V. C. 706. Per. Julianæ 4666.) quam cum præcessisse XLVIII. annis Epocham Christi dixisset, his deductis ab annis CCCLXXX. colligit annum Christi CCCXXXII. quò iste honor Cejonio Rufio Albino habitus est. Labitur vir doctus prochro-nismo trium annorum. Certum enim est lapidem incisum, & eum honorem delatum fuisse Albino, seu ejus liberis, eo anno, quo ipse Consulatum agebat: legitur quippe in nostro emendato statim ab initio: *Cejonium Rufum Albini* V.C. CONSULEM. Qui Consulatus, Collega Constantio, incidit in annum Christi 335. Urbis 1088. Unde ergò illi peccandi caussā? Fortasse Panvinium sequutus est, qui computauit tantummodo annos 380, abiectā unitate. At profectò Scaliger non excusandus, dum in ipso exemplari, quod profert, ea unitas charactere grandiori exaratur. Quā ratione saltem colligere debuerat annum Ch.333. à cuius Autumno inchoabatur annus 381. æræ Cæsarianæ. Ita enim computus ab eo initus per detractiō-nem est intelligendus. Nondum verò assequimur Consulatum Albini, qui decurrebat anno Ch.335. De hoc redibit sermo cum Pagium excutiam. Interim eumdem Scaligerum malè coniunxisse æram Cæsarianam cum Antiochenā est demonstrandum.

Primus errorem invexit Auctor Chronicī vulgò Alexandrini, quod Paschale vocat Cangius in ejus editione paucis ab hinc annis adornatā. Chronologi verba sunt ex translatione Raderi ad annum Olympiadis CLXXXIII. *Incipit Antiochia annus primus . . . à primo anno C. Julii Cæsaris, & quatuor interjectis paginis: A primo anno C. Julii Cæsaris, Lepido & Planco Cos. sive XII. Maii Antiocheni ausplicantur suam Æram.* Pessimè primum annum Cæsaris

saris iis Consulibus signat, ut jam viri docti observarunt. At non melius Æram Antiochenam cum eodem primo anno componit. Quod statim ostendo. Hujus Æra initium, maximis Chronologis vario fato exagitatum, Langio, Scaligero, Ussorio, Hervuarto, aliisque, demum post Petavium Card. Norisius in elaboratissimo opere de Epochis Syromacedonum dissert. 3. cap. 4. innumeris & invictis tum veterum scriptorum, tum Numismatum apud Antiochiam percussorum testimoniiis, statuit in Autumno A.V. Romæ 705, Periodi Julianæ 4665, ante Epocham Christianam vulgarem 49. At certum est, Cæsarem labente æstate A.V. 706 Pompejum Pharsalicâ pugnâ profligasse, unde illi singularis dominatûs fundamenta sunt jacta, & Monarchiae constituendæ magnus dies indictus. Nequit ergo in annum antecedentem, quo nondum Pompejum devicerat Cæsar, initium ejus Imperii conferri, & cum Antiochenorum Epochâ comparari.

Non æram falsam Antiochenam Scaligeri sequitur; sed ad idem tempus exorditur Epocham Cæsaris Antonius Pagi in Crit. Baronianâ ad ann. 314. explicans eosdem hos nostri Lapidis chronologicos characteres. Nimirū eam deducit ab anno Urbis 706. quò pugna Pharsalica fuit habita, atque hinc additis annis 381, provehitur ad annum Christi 335, & annum Urbis 1087, qui in eo, ait, anno Christi inchoatur. Nec pensi habet particulam POST in inscriptione notatam, post annos CCCLXXX. & I. cum modus hic loquendi apud antiquos plerumque aliud non designet quam annum inchoatum. Rectè quidem notam eam numeralem ad annum 335. Consulatus Albini consignauit vir optimè de temporum doctrinâ meritus; at manifestè lapsus est in putandâ annorum ratione. Nam si Epochæ Cæsarianæ initia pugnâ Pharsalicâ, quæ labente æstate, seu initio Autumni A.V. 706. decertata est, additis annis 381, non provehimur ad annum Christi 335, sed 334. complecum in Autumno. Et mirum est profecto, Pagium dixisse

annum Urbis 1087. inchoari anno Christi 335, cum in tabulis Chronologicis, puta Petavii & Brietii, quas nunc ad manus habeo, pateat, eum concurrere cum anno 334, æræ vulgaris Dionysianæ, qua & ipse utitur. Sed dum fugillat Onuphrium, qui malè unitatem ab Inscriptione detraxerat, ut annos Cæsarianos aptaret anno V.C. 1087. Christi 335, ab eo hos eosdem annorum characteres transcripsit; non advertens ideo Onuphrium eos annos Urbis & Christi coniungere, quia æram Christianam auspicatur ab anno V.C. 753, uno scilicet anno ante vulgarem. Sanè ex suis met hypothesis poterat Pagius lapsum antevertere. Nam cùm in Apparatu num. 59. connectat annum V.C. 706. cum anno Periodi Græco Romanæ 5446. si addamus annos 381, emergit annus Per. Græc. Rom. 5827. qui apud ipsum in Criticâ pag. 108, est annus Christi 334. Idem obtinebis ex numeris Periodi Julianæ. Anno Urbis eodem 706. labebatur annus Per. Jul. 4666, cui si addas 381. hujus postremus desinit in Autumno anni 5047. ejusdem Periodi, qui est Christi 334. Cùm ergò in Autumno hujus anni 334, iani exactus esset annus 381 Epochæ Cæsarianæ, sequenti anno 335, quem aperuerat Albinus Consul, decurrebat annus ejusdem Epochæ 382. Hinc Pagius perperam in annum 335 Consulatus Albini contulit annum Cæsarisi 381. Et hinc rursus falsa videtur nostra Inscriptio, quæ eundem annum Cæsarianum Albino Consule notavit.

Ut nodum solvam, & fidem lapidi asseram, revocanda est particula POST, quam Pagius abjecerat. Verba inscriptionis hæc sunt: POST. Cæsariana. tempora. idest. post annos. CCCLXXX. & I. liberis Albini Consulis Auctoritatem decrevit Senatus. Modus hic loquendi, in sensu naturali & proprio, designat tempus jam decurrentis Post annum 381 completum. (Quod non negavit Pagius, cùm dixit plerumque annum inchoatum connotare.) Sola enim consuetudo induxit, ut in hanc significationem denotandi annum inchoatum abiret. Sic ante diem & post diem ex usu diem

diem ipsum designat, non sermonis proprietate. Paulus I.C. in L.anniculus 132. D.de verbor. signif. *Anniculus*, inquit, ammittitur qui extremo anni die moritur. Et *CONVENTU DO* loquendi id ita esse declarat, ante diem decimum Kalendarum, post diem decimum Kalendarum, neque utro enim sermone undecima dies significatur. Hujus Legis malam literam, uti vocat *Accursius*, eruditis concertationibus agitarrunt doctissimi viri Card. Norisius in *Cenotaphi. Pis. dissert.* 2.cap.17. Baluzius, Toinardus, & alii, qui notas ediderunt in aureum libellum *Lactantii de mortibus Persecutorum* cap.2. postremæ edit. Ultraject. an. 1693. Igitur vi consuetudinis factum est, docente Paullo, ut eâ formulâ, *Post diem decimum*, dies ipse decimus, non undecimus, significaretur. Ceterum ex naturâ suâ eadem particula *Post tempus* jam expletum connotat. Non aliud quam alterius *Juris-Consulti* testimonium vocabo. Pomponius in l. si ita fuerit 41. D.de manumiss. testam. multum interesse, ait, *inter hos sermones, duodecimo anno, & post duodecim annos.* Nimirum primo annus duodecimus decurrens, secundo exactus designatur. Quod exemplo sic explicat: *ut si testator dixerit, servus meus triennio POST, quam ego mortuus ero, liber esto. Non potest is servus, nisi triennio præterito liber esse.* Eadem prorsus loquendi formâ usus est Auctor nostræ inscriptionis. *Post Cæsariana tempora, id est post annos 381.* Annos istos numeratos ab initio Epochæ Cæsarianæ, necesse est fuisse completos, cum honor filiis Albini habitus fuit: sicut triennium à morte Testatoris præteritum esse debuit, ut servus libertatem consequeretur. Quod ita necessariò explicandum est, cum ostenderimus, ipsum annum 381. cœptum anno Christi 333, exiisse in Autumno anni 334, atque idcirco nullo modo referri posse ad Consulatum Albini, qui cum sequenti 335. concurrit.

At nondum acquiesco Æræ Cæsarianæ à Pagio, & Scaligero in Autumnum anni Urbis 606. coniectæ. Licet enim à pugnâ Pharsalicâ Monarchiæ fundamenta, ut ante

indicavi, posuerit Cæsar, exinde initum non fuisse cardinem temporum Cæsarianorum existimò, sed à proximis Kalendis Januariis, quò civilem annum exordiebantur Romani. quod exemplis, & ratione ostendo. Cum Octavius Cæsar, firmato sibi à Senatu Imperio, die 17. Januarii fuisse appellatus Augustus, non tamen ab hac die desumptos annos, sed à proximis Kal. Jan. quibus inchoabatur annus civilis, refert Censorinus de die natali cap. 21. his verbis.
Annus Augustorum CCLXV. perinde ex Kal. Januariis, quamvis ex A.D.XVI. Kal. Februarii Imperator Cæsar D. F. sententiâ L. Munatii Planci à Senatu ceterisque Civibus Augustus appellatus est. Quod idem Auctor tradit de Alexandrinis, qui Epocham in honorem ejusdem Cæsaris institutam à primâ die mensis Thoth, unde iis erat initium anni, auspicati sunt. Justinus Junior medio Novembri Imperium accepit; attamen non nisi à Kal. Januariis proximis, quibus novum Consulatum exorditus est, annos Imperii numerari voluit, ex Corippo lib. 4. de ejus laudibus, ubi hæc ait loquens de processu ejusdem Consulatus.

Hinc vester primus feliciter excipit annus,

Votaque plura tuis celebret nova Roma triumphis.

Quod igitur Kal. Januariæ A.V. 707. propinquiores essent victoriæ, quam de Pompejo retulerat Cæsar, ab iis initium Cæsarianæ Monarchiæ desumptum verisimile videtur. Sanè Kal. Jan. ejusdem anni Dictaturam annuam extra exemplum sibi delatam apud Alexandriam iniit, & Consul solus processit: quo rationem & jus Monarchiæ & legitimi Principatus stetisse nemo non videt. Unde tunc verè, ut ait Eusebius in Chronico, *singulare arripuit Imperium & tunc carente Ausonio in Cæsaribns.*

Imperium binis fuerat solemne quod olim

Consulibus, solus Julius arripuit.

Ita etiam cum Octavio, ut mox memoravi, nomen Augusti à Senatu tributum firmatumque Imperium fuisse, *ex ea die, inquit Orosius lib. 6. cap. 20. summa rerum & pote-*

poteſtatum penes unum eſſe cœpit & manſit, quod Graci Mo-
narchiam vocant. Cui ſententiæ de initio Juliani Imperii
prælulerat Joannes Heruvartus cap. 217. novæ Chronolog.
paucis hiſce verbis : *Veriſſimum eſt anno V.C. 705. deſiſente
debellatum fuisse à Cæſare Pompejum Magnum*, ſed tamen
dicendum eſt annum primum Imperii ſeu Monarchiæ C. Ju-
lpii Cæſaris coincidere anno V.C. 706. proximo. Computat
hic Auctor annos Urbis Capitolinos, non Varronianos, qui
vulgò uſurpari ſolent, & ideo unum annum antevertit. Ita-
que ducto primordio temporum Casarianorum à Kal. Jan.
anni V.C. 707, annus qui labebatur post tercentesimum
octogesimum primum ab iisdem Kalendis, ipſe eſt annus
Consulatus Albini, V.C. 1088, Christi 335, quō noſter
lapis fuit inscriptus.

At, dimiſſis hiſce Chronologicis tricis, viam noſtram
jam expediti abeamus. Ubi in Operibus publicis ſignatum
videas Curatoris nomen, id, ut ſupra monuimus, eā tantum
ratione factum intelligas, quod, vel ipſe de pecuniā ſuā illud
excitaverit, vel quod titulum officii preſigneret. Nam cūm
aliquandò ea ambitionis uerſania quorundam ingenia inva-
ſiſſet, ut Operibus publicis tamquam auctores, nullā Impe-
ratorum quibus impensa ſteterat, mentione factā, ſe ipſos
inſcriberent, ſancivit Theodosius, ut ſi qui judices operi
ſuum potius nomen quam Imperatoris ſcriperint, majeſtatis
teneantur obnoxii, in l. 31. Cod. Theod. de oper. publ. Judi-
ces ſive Rectores in provinciis etiam operibus publicis
erant præpoſiti, ut in Urbe Curatores. Hanc vanitatem,
quam indomitam ſubſcribendi licentiam vocavit Horatius
lib. 3. Od. 24. carpit Marcellinus lib. 27. cap. 3. in
Lampadio Præfecto Urbi, qui per omnia Civitatis membra,
quaे diuersorum Principum exornarunt impensæ, nomen pro-
prium inſcribebat, non ut veterum iuſtautor, ſed conditor.
Quod in privato aucupari, foeda ambitione, in Principe re-
ſpuere, ſumma lauſ erat. Hinc magnum illud fuisse in Severo
Spartianus cap. 23. ait, quod Romæ omnes aedes publicas,

quaे

que vitio temporum labebantur, instauravit, nusquam prope suo nomine scripto, servatis tamen ubique titulis conditorum. Immò etiam in conditis à se operibus, prèter aquæductus & Urbes quasdam, quas suo nomine appellavit, titulos non amasse Hadrianum, memorie tradidit idem Historicus in vit. cap. 20. Potiori sane laudis merito, quam Trajanus, quem ideo *herbam parietinam jocando cognominatum* ait Marcellinus loco jam indicato. Ergo ea, quæ augusto Principis titulo consecrari oportebat, indignum erat nomine privatorum, veluti maiestatis dispendio, corrumphi. Nisi tamen, ut innuimus, quisquis operi perficiendo præpositus, officii nomen & curam impensam inscripserit. qua ratione verba memoratæ legis Theodosianæ ita rectè refinxit Tribonianus in l. 10. Cod. Justinian. cod. tit. si qui *Judices perfecto (publicis pecuniis) operi suum nomen, sine nostri nominis mentione, inscripserint*, ut observavit doctiss. Gothofredus in notis ad eam legem trigesimam primam.

Quod sane vetitum, ut vides, in operibus publicâ pecuniâ extractis. Nam si muneris solitudinem liberalitate cumulasset, & in Urbis ornatum & decus Curator, vel alias quispiam impensâ suâ ædificia publica excitasset, tunc nomen inscribere & titulum dicare, nec jura antiqua nec posteriora Imperatorum rescripta intercessere. Hinc adeo frequens in inscriptionibus ejus formulæ mentio, *de pecuniâ suâ, impensâ suâ &c. operibus quoque publicis superpositæ*. Unum non adeò vulgatum exemplum proferam, quod Vesontione tunc repertum Cl. Mabillonius in itinere Germanico an. 1683. tom. 4. Analectorum præfixo, publicavit. DEO MERCVRIO. CISSONIO. DVBTEATIA. CASTVLA. NATIONE. SYRIA. TEMPLVM. CONLABSVM. DENVO. DE. SVO RESTITVIT. Quotidiè nobis sub oculis versatur M. Agrippæ nomen, quo Pantheon, seu ut antiquariis placet, ejus Porticum à se extractam inscrispit.

At non idem juris artificibus & architectis, quibus, liceat

licet opus aliquod publicum impensâ suâ excitassent , no-
men imponere haud permittebatur. Narrat Plinius lib. 36.
cap. 5. in fin. Sauron & Batrachum Lacones Architectos
templa Octaviae porticibus inclusa sui impensâ construxisse ,
inscriptionem spernantes. Quâ negat. hoc tamen alio loco &
modo usurpassé. Nam in columnarum spiris inscalpta nomi-
num eorum argumenta, rana atque lacerta. Hanc quippe
Græci σωῆεγι, illam βατράχον vocant . Hinc Canonicus
Blanchinus in commentario lapidis Antiatis nobis cap. i.
laudato, severitatem ejus moris, quo architectis & artifici-
bus nomen scalpere interdicebatur, eâ observatione confir-
mat , quod à tot millibus earum inscriptionum, quas Gru-
terus, & ab eo proximi descripsérunt , vix aliud reperias
exemplum , quam Puteolanæ pag. 227. 2. & alterius Ve-
ronensis 186.4. in quâ L. Vitruvius L. Cerdò Architectus
locum obtinet nominis incidendi. Notatu prætereà di-
gnum est in Romanâ 330. 7. non ausos architectos nomen
suum proferre, itâ enim literis Græcis exarata est: Sapientem
inter viros Augurem virum maximum Quintum Julium
Miletum Artifices statuerunt. Cui literis latinis subscriptio
adjacet: Q. Julius Faensis Alumnus cum Artificibus posuit.
Basis est prægrandis, cui forte statua Julii Miletii erat su-
perimposita. Quem metum prodit etiam ipse lapis Antias à
Blanchino illustratus in quo nomen Artificis L. Coccei in-
sculptum solo latitans adhærebat.

Suspicatur idem eruditus auctor , hanc nominis oc-
cultationem indicium esse morum ac temporis Hadriani
Imperatoris , à quo architectorum ausus usque ad necem
coerciti , ideoque & dedicationes operum per literarum
compendia obvolutas : permisum verò nomen artificis
lateribus consignari , quorum exempla aliquot promit. At
architectos operibus publicis inscribi pridem ante Hadria-
num interdictum, ut vidimus: ne scilicet publicas ædes ,
magnificentâ & nobilitate conspicuas, titulus vilissimorum
hominum affixus fœdaret. Contrà eorum nomen occulto &
ob-

obscuro loco incidi, haud vetitum, prout nequè operibus
 privatis vulgarisque notæ & estimationis. Ideo non tan-
 tum lateres opificis signaculo insculptos reperimus, sed
 tegulas quoque aqueductuū tubos, figlina, lucernas, aliaq;
 id genus, quorum quædam Gruterus à pag. 182. non pau-
 ca Fabrettus cap. 7. pag. 542. plura Smetius in antiquitat.
 Neomag. pag. 165. suppeditant. Locum hic poscit tubus
 plumbeus Antii, me præsente, in extremitate veteris por-
 tus defossus, qui hos characteres non leviter injuria ævi
 consumptos præferebat L. T. FLAVIUS FORTVNA-
 TVS FECIT. Notabis duobus prænominibus *Lucii & Titi*
 inscriptum hunc Fortunatum, quod non insolens Romanis
 fuit, uti notavit Spanhemius dissertat. 6. pag. 511. Inte-
 grum nomen occurrit apud Gruterum pag. 796. 3. in epi-
 taphio *Juliae Tripbosae* coniugi posito. Exinde alia
 quoque sunt inibi effossa fistularum fragmenta. Unum hæc
 habet: STATIO. VRBANA. AVG. N. Statio officinam
 quæ tubi conflabantur, designat. Apud Gruterum 11. 5.
Stationis marmororum mentio est. Ea tamen in Urbe erat,
 unde tubi Antium delati, ideo *Urbana* vocatur. *Augustus*
noster fortè *Vespasianus*, qui in altero ob-signatur. Alte-
 riūs hæc est inscriptio: M. A. CAIVS. PERITVS. FEC.
 Primæ literæ indicant *M. Aurelium*, ex alio simili. *Cajus*
 nomen Servi, post libertatem in cognomen transiit. Haud
 vulgare porrò est, hujusmodi artifices *Periti* nomine insi-
 gniri. Etiam in alio visitur: SX. *Egnatius Peritus Fec.* Po-
 stremum PROSIAE. CRISPINAE, cuius erat officina,
 nomen prodit. Cum propè vetus Antii portum omnes hi
 tubi fuerint reperti, eò aquam derivasse non dubito. Me-
 morat Capitolinus Antoninum Pium *Antiatum aquedu-*
cus restituisse, in vitâ cap. 8. Hæc quoque laus est SS. D.N.
 INNOCENTII XII, qui nobilissima magnificentiæ argu-
 menta inter ipsas Antii ruinas molitur. Dum enim hæc
 scribimus, acto sub terram ingentis altitudinis ob soli-
 inæ qualitatem cuniculo, plurimam aquæ copiam ex lon-
 gin-

ginquo fonte ad portum Antiatem à se nuper extructum, in
nautarum confluentium commodum, magnis impendiis
perduxit. Utrique operi Eminentiss. Card. Pamphilius
ab optimo Principe præfetus, consilio, solicitudine, & in-
dustriâ munus prolixè complevit; jam morum innocentia,
multiplici literarum & doctrinæ cultu, maximisque virtuti-
bus dignitatem ipsam supergressus.

Dùm tubos aquæductum tractamus, duo non sunt
prætermittendi, paucos ab hinc dies Puteolis prope ma-
re reperti, quorum primus ita inscriptus est: CLAV-
DIÆ AVG. L. ACTES: secundus verò literis inver-
sis CLAVDI·CAES·AVG. IT. Eorum typum vidi, cui
additae erant anonymi, antiquitatum, ut videtur, stu-
diosi, breves notæ. Vir eruditus suspicatur eos tubos per
montis declive, quò plura veterum monumenta spectantur,
impetu decidentium aquarum ad mare delatos. Pertinere
autem ad aliquem aquæductum operis publici nō ambigit,
& obseruatione dignum subdit, quod operibus publicis
nomen Actes Libertæ fuerit impositum. Nil tamen mirum
hanc Libertam, Neronis gratia florentem, vt testantur
Tacitus, Svetonius, & Dio, ausam fuisse publicum aquæ-
ductum olim à Claudio extructum, vt inscriptio alterius
tubi indicat, à se restauratum, titulo nominis inscribere.
Coniecturis manus addo. Attamen opus, illud publicum
fuisse nil nos cogit fateri. Cùm Puteolis, & in proximo Ba-
jano litore nobilissima ædificia, & villæ amœnissimæ Ro-
manis essent, quisque privato sumptu & opere aquarum
copiam ad usum & delicias derivabat. Nec cuiquam ve-
titum operi à se extructo, non tam priuato sed & publico,
titulum insculpere, vt vidimus. Potiori jure id usurpatum
in his tubis, vilioris notæ operibus & in occulto latenti-
bus. Potuit verò nomen Claudii, alteri fistulæ obsignatum;
denotare, eo imperante aquæductum conditum fuisse, ut
moris erat notas Consulum, & Principum ejusmodi operi-

122 DE INSCRIPTIONE
bus, quod superius observatum, conscribere. Hincinde
coniectando ludimus.

At serio auguror, virum illum egregiè falli, cùm cer-
tò se deprehendisse autumat, ex quo Acte Claudiæ nomen
præferat, eam Claudi Imperatoris, non Neronis libertam
fuisse. In id enim non cogimur ex Claudi nomine, cùm
hoc & Nero, in eam familiam à Claudio per adoptionem
insertus, gesserit, ut passim nummi & veterum saxa testan-
tur. Neronem verò libertate donasse Actem planè suadet
profusus in eam amor, quam & paullo absuit quin justo
matrimonio sibi conjungeret, auctore Svetonio in vita
cap. 28. utque improbas nuptias Regiæ originis titulo ho-
nestaret (non tantum amoris violentiâ abductus, quæ Xi-
philino Dionis epitomatori caussa traditur) eam in familiâ
Attali, quippe ex Asia emptam, retulit. At rem extra-
controversiam sînt duæ Inscriptiones apud Fabretum
cap. 3. num. 29. & 38. Prima hos characteres præfert.


DIIS. MANIBVS
HELIO
ACTES. AVG. L
LIBERTO
A CVBICVLO

Alia in hæc verba scribitur.

THELYCO
EVTYCHI
ACTES. AVG. L. L
ALVMNO. A MANV
VIXIT. ANN. XX

Helius, & Thelycus erant Liberti Actes Augusti Liberte.
Alios Libertos Actes ceteri lapides, ibidem Fabretto rela-
ti memorant. Libertos non potuit habuisse Acte, nisi cum
opibus & potentia floreret. Florebat autem sub Nerone, non
sub alio Imperatore. Porro Augusti nomen nonnisi Impe-
rato-

ratori viventi tributum fuit , ut versantes vel leviter pri-
scam eruditionem norunt . Cum ergo Actes *Liberta Augu-*
sti vocetur, non is alius quam Nero tunc vivens, à quo in-
perditi amoris argumentum , divitiis & turbâ servitiorum
auctam par est credere . Hinc horti & villæ apud Puteolos,
in quibus aquæductuum tubi ejus nomine obsignati jace-
bant , vel à Nerone donatæ , vel ab ipsâ emptæ & com-
paratæ sunt . Actes nomine dicatum fuit templum Pisîs,
ubi adhuc hoc lapidis fragmentum yisitur : RERI. SAC.
AVG. LIB. ACTE: *Cereri sacrum Augusti liberta Acte.*
Card. Norisius in Cenot. Pis. diss. 3. cap. 1. dubitat , num
Neronis liberta hic designetur , quod eo nomine diverso-
rum Cæsarum libertæ nuncupatae fuerint . De nostrâ haud
ambigendum puto .



C A P U T I X.

Quid Vexillarii in militiâ Romanâ? Salmasius aduersus Lipsium acerbior emollitus, & inconstantiae notatus. Turnebi sententia de Vexillationibus perstricta. Num hæ penditum, vel equitum? ex milite legionario, vel externo? Deductæ de loco ad locum; cuinam generi Vexillationum AQUILIVS præpositus.

PRAEP. VEXILLAT

Praeposito Vexillationibus:

 Tab Urbe ad Castra nos revocat AQUILIVS, & inter pacis opera versatos, denuò ad bellî militiæque munera tractanda deducit. Has compendio literas incisas prodit noster lapis: PRAEP. VEXILLAT. Quem alias apud Gruterum pag. 407. 1. expressis penè omnibus elementis ita explicat: PRAEPOSITVS VEXILLATION. Aliq quoque inscriptiones, quas in hujus capitî decursu afferam, Vexillationum meminere. Ergò his Præpositus noster AQUILIVS. Quid verò Vexillationes, quodve genus militiæ fuerit non satis veteribus traditum, nec recentioribus explicatum. In id contendam, ubi aliqua de Vexillariis tradidero. Nam res utraque mutuam sibi invicem deposcit opem atque lucem.

Vexillariorum plurima apud Tacitum est mentio. Lib. 2. hist. cap. 100. Vexillarii Legionum Equites sequuntur ad occupandam Cremonam, statimque prima Italica cum Vexillariis trium Britannicarum Legionum incedit. Hos esse putat Lipsius ad hunc locum eosdem milites, qui Annal. 1. cap. 17. queruntur, ne dimissis quidem finem esse militiæ, sed apud Vexillum retenitos, alio vocabulo eosdem labores

*res perferre; traditque duplicitis generis fuisse, prius è veteranis, qui stipendiis peractis, idest vigesimo militiae anno absoluto, sub vexillis habebantur, donec præmium & emerita acciperent; alterum ex electione in necessitate aliquâ, cum certâ manu ex legionibus decerpâ sub vexillo in provinciis mittebantur. Has nugas esse audacter inclamat Salmasius ad Vopiscum in vitâ Probi c.6. & vexillarios legionum pro certo habet eos fuisse, quos triarios vocabant veteres, eosque ferè ex veteranis, qui sub vexillo retinebantur, aliorum omnium munierum immunes præterquam propulsandi hostis: nullam verò fuisse legionem, quæ non haberet hoc veteranorum vexillum. Livius enim lib.8. primum, ait, *vexillum triarios ducebat, veteranum militem spectatæ virtutis*, qui idem paullò post *vexilla* vocat istos triarios. Eadem retexit Salmasius in Firmo c.4. At deinceps nil sibi constans, in opere postumo de re militari Rom. cap. 19. longè diversam sententiam sequutus est. Eos enim apud Tacitum *vexillarios* legionum esse ait, qui in antiquiore militiâ *velites*, postea sub Cæsare *antesignani* appellati sunt. Ergò *vexillarii* ab ipso Salmasio de gradu dejecti, & ex veteranis, quo robur militiae constabat, in levis armaturæ militiam detrusi. Et sanè hæc mihi opinio verior videtur. Nam ipse Tacitus *vexillarios* leviorum & debiliorum legionis partem apertè esse indicat hist. 2. cap. 66. *Præcipua, inquit, quartadecimanorum ferocia, qui se viatos abnuebant, quippe Bedriacensi acie, vexillariis tantum pulsis, vires legionis non affuisse.* Velites verò eo vocabulo appellati, quia cùm olim sine vexillis & ordinibus vagantes passim ac discurrentes, postea sub signa reducti operam eamdem velitarem & procursatoriam præstiterunt. Quæ ulterius confirmo ex eodem Cornelio An. 2. cap. 78. ubi de Pisone loquens ait, *concurrentes desertores per manipulos componit, armat lixas traiectisque in continentem navibus vexillum tironum in Syriam euntium intercipit.* Ergo tirones, qui inter velites computabantur, sub propriis vexillis erant.*

erant. Inde quis dubitet vexillarios dietos? Cùm hìc videas tirones , seu vexillarios in provincias deductos , Salmasio non permittas in Lipsium debacchari , quòd vexillarios certam manum in legionibus in provincias missam dixerit. Cæsarem adhuc appello in Lipsii caussam, cuius sunt verba lib.6. de bell. Gall. Erant inquit , in castris ex legionibus ægri relicti , ex quibus qui hoc spatio dierum convaleverant , circiter trecenti sub vexillo unà mittuntur , En milites sub vexillo missos , atque inde vexillarios . Porrò locus Livii superius à Salmasio laudatus , ad ostendum veteranos vocatos vexillarios, quòd sub vexillo essent, nil probat . Nam ibi historicus aliis etiam infimæ sortis militibus vexilla tradit; statim enim sequitur, secundum rorarios, minus roboris ætate factisque , tertium accensos minimæ fiduciae manum . Hi omnes sub suis vexillis : ergò non tantum triarii seu veterani . Ceterum hi vexillarii legionum, Sunt enim eodem nomine apud Tacitum etiam milites auxiliarii , Antonio, inquit hist. 3. cap.6. vexillarios è cohortibus, & partem equitum ad invadendam Italiam rapienti, comes fuit Arrius Varus. Auxilia in cohortes divisa erant, cohortes in vexilla.

At verò qui Vexillarii, & Vexilla Tacito, Vexillationes aliis, & præsertim sequiori ævo, dictæ sunt. Svetonius in Galba cap. 20. narrat omnes milites opem ferre eidem Imperatori recusasse , exceptâ Germanicorum vexillatione. Turnebus adversar. lib 5. cap. 2. in fin. hanc vexillationem cohortem militum putat, qui confessis & emeritis stipendiis sub vexillis etiamnum habebantur , usque dum commoda & agros acciperent . In hoc falli videtur: quia tantum legionarii milites in commoda, & agrorum distributionem admittebantur , nisi de aliis præmiis intelligat. At Germani inter Auxilia Romanorum fuere, & in Vexilla distribuebantur ; nec opus est, tunc solum , ut commoda expectarent , eos sub vexillis locare . Hæc ipsa Germanica Vexilla , quæ Tranquillus Vexillationes vocat, in eadem sedi-

seditione Galbianâ , diu nutasse ait Tacitus hist. i. cap. 31. in ualidis adhuc corporibus, & placatis animis, quod eos à Nerone Alexandriam præmissos, atque inde rursus longa navigatione agros, impensiore curâ Galba resovebat . Idcirco tandem opem tulerunt: nō verò sub vexillis detenti præmia præstolabantur. Eodem lib. cap. 70. Germanorum vexilla præmittit Cæcina, quæ alia à superioribus erant, nam ab ipsâ Germaniâ in Italiam traducta . Porrò eam Germanicorum vexillationem pedestris militiae fuisse , ex ipsâ Tranquilli & Cornelii narratione coniicio .

Sed posteriori ævo Vexillationes constanter de equitibus sunt acceptæ . Vegetius lib. 2. cap. 1. Equitum alæ dicuntur ab eo quod ob similitudinem alarum ab utrâque parte protegant acies, quæ nunc vexillationes vocantur à velo, quia velis, hoc est flamulis utuntur. In Notitia Imperii plures vexillationes enumerantur . Palatinæ quinque , Comitatentes septem , aliæque . Omnes militiâ equestri constabant , non legionanâ sed externâ . Hoc sensu vexillationum meminit Marcellinus initio lib. 25. & Diocletianus , & Maximianus in l. 2. Cod. de his, qui non implet. stip. leg. 9. quando provoc. est necess. & Constantius l. 2. de heredit. decurion. Jam vexillationes prius promiscuè equites peditesque , deinde solos Equites significare habes , pro variâ temporum consuetudine. Sanè Vegetius loco proximè recitato, alas Equitum vexillationes vocari , novitium ferè institutum apertè indicat . Eodem modo variatum in militum conditione . Nam olim , sicuti de vexillariis diximus , etiam vexillationes tam ex legionariis militibus, quam externis seu auxiliis constabant , donec tempore Notitiæ sola auxilia continebant . Quod spectat superius ævum , in lapide pag. 256. 8. VEXILLATIO. LEGION. XX. Imperatori Hadriano monumentum nuncupat . At in 5. pag. 425. C. Julius inter alia militiæ munera etiam PRAEF. VEXILL. DACOR. PARTHIC. dicitur . Hic vides externum militem, illuc legionarium .

In hac tam variâ *vexillationum* acceptione , quid de-
mum de nostro AQUILIO statuamus ? Eo sane ævo præ-
positum *vexillationibus* crediderim , quo nomen illud pro-
miscue pedestrem & equestrem militiam designabat . Qua-
re utri earum ejus præfecturam affigas , nil morabor . Quòd
verò frequentius *vexillationes* auxiliaribus copiis consta-
rent , his præpositum fuisse libenter annuerem . Profectò
hoc munere functum putat Pertinacem Salmasius , de quo
narrat Capitolinus cap.2. per Claudium Pompejanum *ve-*
xillis regendis ascitum , additque eo munere approbatum ,
inde in Senatum lectum fuisse . Videas quo loco id officii
habitum , & dignitatem AQUILII hinc conjicias . Subdit
Salmasius , *vexillationibus præpositum* in saxis Ducem au-
xiliorum vocatum . Addo , & fortasse *Præfectum Auxilio-*
rūm , ut in tribus inscriptionibus Vario Clementi dicatis
pag. 482. PRAEF. AVXILIORVM. IN. MAVRET.
TINGIT. ET. HISPANIA. MISSORVM. Nam auxi-
lia , & legiones ipsæ ab unâ ad aliam prouinciam , prout
bellorum necessitas exigeret , traducebantur . Et quidem si
legio integra & solida esset , suo Legato regebatur : cùm ve-
rò aliqua ejus pars decerpta aliò mitteretur , quòd sub pro-
priis *vexillis* incederet , ideo *vexillatio* nuncupabatur . Ita-
que , ut opinor , in frequentiori significatione *vexillationes*
dictæ , cùm vel auxilia , vel legionis pars de loco ad aliū lo-
cum transferretur ; tuncque ad eas deducendas peculiaris
Præpositorus , seu *Præfetus* destinabatur . In eam sententiam
ut abeam , suadent frequentia lapidum testimonia , quibus
Præpositum vexillationibus , id muneris in earum deductio-
ne explevisse memoratur . Romanus pag. 407. 1. inscriptus
est CILoni Imper. Aurelii Antonini Aug. PRAEPOSITO
VEXILLATIONIBVS PERINTHI. PERGENTIBVS.
Sæpinatensis pag. 441. 4. L. Neratio Proculo Misso
ab Imp. Antonino Aug. Pio AD DEDVCENDAS VE-
XILLATIONES in Syriam ob bellum Parthicum . In alio
Romano Attius Senecio emissus à Divo Hadriano in expe-
ditio-

ditione *Judaica* AD VEXILLATIONES (ut supplet Reinesius Clasf. VIII. nu. 9.) DEDVCENDAS. Subditque ad cohortes vexillares , seu auxiliarias deducendas Attium fuisse missum , & *Præpositum vexillationum* idem esse ac Auxiliariorum in equitibus , horum enim tantum vexilla . Demum Abelinus 6. pag. 1096. scalptus est Cn. Martio Plaetorio PRÆPOS. NVMERORVM tendentium in Pontum ab Saro. Numeri vocabulo hic intelligendę sunt vexillationes ex legionariis militibus . Numeri enim sunt legiones; qua de re consulas Salmasium ad Vopiscum in vitâ Probi cap. 14. Quamvis alii aliter sentiant . At numeros idem denotasse, ac *vexillationes*, Joannes Voëtius de jure milit. pluribus ostendit ex l. 8. C. de erogat. inilit. annon. Porrò adhuc incertus agor , an AQVILIU M deducendis vexillationibus delectum liceat conjectare, cum id in nostro lapide expressum haud legam . Sive hoc velis plurimo exemplo instructus, seu stato imperio in exercitu eas rexisse dicas, nulla religione in utram partem teneri te scias.



CAPUT X.

Varia sigla P.P. & notæ FR. interpretatio. Præpositus legionis in saxis, & apud Scriptores. Quod munus in undecima exercuit AQUILIVS. Unde Legio XI. Claudia appellata. Dio Cassius falsus. Lazius prolixè refutatus. De Provincia Commageniā, quæ postea Euphratensis, & Euphratesia, addito Augustæ cognomine. Locus Concilii Calchedonensis, & aliis Seleuciensis emendantur. Unde nomen Euphratensis, & Augustæ accessione: Pancirolus & Lupus notati. Plura de Legione decimâ Fretensi, cui appellatio à Freto, fortiè Gaditano. Eadem conjectura de nomine Fretensis nostræ undecimæ attributo, sua dente præsertim Galieni nummo, qui cum aliis illustratur.

PR. LEG. XI. CL. FR.

Praeposito Legionis undecimæ Claudiæ Fretensis.



IV multumque hæsisse me fateor in hoc versiculo, quod sigla P.P. & nota compediaria FR. variis interpretationibus animum in diversa distraherent. Etenim PP. *Præpositum*, *Primipilum*, *Propræfectum*, & denique *Proprætorem* designare posse, eaque nomina in Legionibus usurpari, animadvertebam. Per singula breviter excurram. *Praefectum Legionis X. C. Junium tradit inscriptio pag. 194. 2. & L. Vocontium Leg. VI. pag. 286. 4. Propræfetus ejus locum, & vices in Legione explebat. At Præfetus non simplici P. in saxis expressus fuit, sed hac notâ PRAEF. ut in duabus nunc memoratis, & in 1. pag. 347. necnon 5. pag. 1099. utrumque una inscriptio Romana pag. 487. 6. luculenter ostendit: P. VIBI. PRAEF. LEG. II. ITAL. P. P. LEG. III. GALL. Neque ad Præfectum, nec ad Propræfetum*

Etum legionis ea sigla duplicis P. traduci potest, ob diver-
 sum scripturæ modum. Hoc ipsum de *Prætore* legionis, cu-
 jus meminerunt epigrammata pag. 1102. num. 3. & 4. sta-
 tuendum arbitror. *Proprætor*, aliâ quidem notione, passim
 hac notâ PR.PR. signatur. Adhærebam *Primipilo*, quem
 aliquando duplii P.P. indicatum, observat *Eques Ursat-*
tus in notis Rom. simulque resolutâ ultimâ notâ FR. ita,
 hunc versum, quem solicitamus, legebam: *Primipilo Legio-*
nis XI. Claudiæ frumentario. *Primipilus Centurio* erat di-
 gnior in legione, qui non solum Aquilæ præferat, verum etiam
 quatuor Centurias gubernabat, caputque totius legionis censem-
 batur, uti ait Vegetius lib. 2. cap. 8. *Centurionis Frumenta-*
rui mentionem ingerit lapis Fulginas pag. 347. 1. L. AELIO.
Marcello *Cent. frum.* Expressum vero, quamvis in
 milite, ejusmodi munus legitur in Romano pag. 530. 7. T:
Aurelio Pio milit. Leg. VI. Vicitr. Frumentario. Officium
 frumentariorum fusè explicant Salmasius in Hadriano
 Spartiani cap. 11. & Bulengerus de Imp. Rom. lib. 6. cap. 42.
 At AQVILVM, post exactas amplissimas dignitates Pri-
 mipilatum gessisse, non admodum verisimile mihi est.
 Quamvis enim id muneris dignius in legione dicatur Ve-
 getio, hoc sanè recte, si Primipilum cum aliis Centurioni-
 bus componas: nam Tribunum, Præfectum, Legatum le-
 gionis ei prælatos nemo negaverit. Porro *Frumentarii* of-
 ficium, seu annonæ militari transvehendæ impositum di-
 cas, seu ad res novas, & ea quæ in Provinciis gerebantur,
 Imperatori nuncianda, nunquam nisi infrâ dignitatem &
 gesta ab AQVILIO munera reputabis. Tantum obest allu-
 tus Rom. lapis 6.487. in quo P. Vibium, post illustria mu-
 nera, *Frumentarii* officium exercuisse intuemur. Ita enim
 se habet: *P. Vibius Praef. Leg. II. P.P. Leg. III. 7. Frument.*
 hoc est *Centurio Frumentarius*. Evidem animadvertis in
 inscriptionibus non semel ordinem graduum & dignitatum
 haud servari, sed de nostrâ id mihi adhuc persuasum esse ne-
 quit, nitente contra aliâ lectione, quam modo exponam.

Itaque hunc versum ita legendum arbitror: PRÆPOSITO LEGIONIS VNDECIMAE CLAVDIAE FRE-TENSIS. Non moror, si statim quæras, cur in antece-denti versiculo PRAEP. primis literis distinctis insculptus appareat, hic verò sub ejusmodi Siglæ involucro delite-scat. Singula verba dum expendam & explicabo, quibus argumentis & conjecturis nostra hæc lectio obfirmetur, constabit. Quod literas singularias P. P. attinet, magnum Indicis Gruteriani Compilatorem sequor, qui ubique eas in *Praepositum* resoluit, cùm *legioni* annexuntur, exemplis plus septem, quæ videoas cap. 6. militari, & 20. de abbreviaturis. Et si expressum nomen *Praepositi* cupias, lapis Stri-goniensis pag. 164. 4. votum expediet: FOSCANVS PRAEPOSITVS LEGIONIS. I. MARTIORVM. Nec historicis ignotum nomen ipsum & munus. Suetonius in Tito cap. 4. *ex quaesturæ*, inquit, *honore legioni Praepositus &c.* & Spartianus de Severo hæc ait: *legioni IIII Scythicæ* dein-de *Praepositus est circa Massiliam*, in vit. cap. 3. iam Legationem Proconsularem aliaquæ egregia munera Severus expleverat, quod *Praepositi* legionis dignitatem arguit. Eam legionem Scythicam circa Massiliam stationem ha-buisse, subdubitans Salmasius legit, *circa Syriam*. Prius *Moe-siam* reposuerat Casaubonus: at Gruterus *Massiliam* reti-nuit. Sanè Salmasio favet Dio, qui ad hæc tempora scri-psit, Legionem IV. Scythicam in Syria stetisse lib. 55. pag. 564. Hinc militum *præposituræ* etiam Lampridio memo-ratae in Severo Alex: cap. 46. & *Praepositos militum* vocat Suetonius in Othonem cap. 1. & Marcellinus narrat Petro-nium ex *Praeposito Martensium militum* repente saltu Pa-tricum effectum lib. 26. cap. 6. ubi vide notas Valesii. Hos verò non solidæ legioni, sed certo militum numero vel generi *præfectos* fuisse appetet. Nobis satis hic est de-monstrasse, nomen in militiâ frequenter fuisse usurpatum. Jura etiam nostra *Praepositi* meminerunt, quem à Tribuno distingunt in l. unic. Cod. Theod. de Comit. & Tribun. & in

& in l. i. de erogat. militar. annon. & *Præpositi legionum*, uti legit Gothofredus, non *largitionum*, mentio est in l. 10. de veteranis.

Præpositorum munera passim indicantur in eodem Codice Theodosiano. Loca haud profero, ne crebris citationibus lectorem onerem. Videri poterunt congesta ab eodem doctissimo huius Codicis illustratore Gothofredo in Paratit. lib. 7. pag. 257. tom. 2. Hoc mihi prætermittendum non est, *Præpositos* frequenter *Tribunis* comparari, modò tamen iis præponi, modò postponi, ut idemmet Auctor notavit. Quod indicio est, eorum dignitatem non multum à *Tribunatu* discrepasse. Parum abest, ut credam, *Præpositos legionum* alio etiam vocabulo *Prefectos* vocatos, remque unam eamdemque fuisse. Refert Lampridius in Heliogabalo cap. 6. perditissimum hunc Imperatorem omnes reipublicæ dignitares postituisse, *militaribus* etiam *Præposituris*, & *Tribunatibus*, & *Legationibus*, & *Ducatibus venditis*. Nulla hic mentio de *Præfecturis*, quas primæ notæ in legione Heliogabalum præteriisse, ad pinguis lucrum captandum, non est verisimile. Quare eas sub *Præpositura* nomine latere coniicio. Sanè & eadem utriusque vocabuli vis est & notatio. Tacitus hist. 4. cap. 68. Varum Arrium prætorianis *Præpositum* memorat, quem anteà *Prefectum* Prætorii appellaverat. cap. 2. Nostrum itaque AQVILIVM *Præpositum* legionis XI. Claudiæ si sculptam in saxe notam spectemus, at si rem ipsam *Præfectum* dicere prohibito erit.

Porrò legionem hanc undecimam, sicut & septimam, Claudiam appellari voluit Claudio Imp. quod adversus se in seditione à Camillo Scriboniano Dalmatiæ *Præfecto* concitæ non rebellasset, ut refert Dio lib. 55. pag. 664. & lib 60. pag. 674. Hoc posteriori loco subdit historicus, Scribonianum cum milites dicto non audientes metueret in Issam insulam delatum, ibi mortem voluntariam oppetiisse. At Tacitus hist. 2. cap. 75. in eadem seditione, cuius etiam

etiam meminit lib. I. cap. 89. & Annal. 12. cap. 52. *sub*
Claudio imperfectum scribit, ipsumque percussorem nominat Volaginium. Suetonius in *Claud.* cap. 13. *oppressum ait intra quintum diem, quæ loquendi forma Tacito accedit.* Apertius loquitur epitomator Aurelii Victoris in *Claudio: Hujus tempore, inquit, Scribonianus Camillus intra Delmatias Imperator creatus, continuò occiditur.* Falsus itaque Dio, qui eum sibi ipsi manus intulisse tradidit; nam certè Tacito, qui proximus rei gestæ, amplior fides adhibenda est, in partes ejus Suetonio & Victore euntibus. Nec verò fortasse in Interpretem labem refundas, quod male Græcam vocem reddiderit. Nam hæc verba Dionis: εν Ταῦθαις ιπέταις αὐτοῖς, de morte sibi illatâ intelligenda esse non dubitat à me consultus Bernardus Montfauconius è Congregatione Parisiensi S. Mauri O. B., cuius, præter omnigenam eruditionem, in lingua Græcâ peritiam testantur edita nuper ab eo absolutissima S. Athanasii opera, iterque Italicum suscepimus lustrandis & colligendis Græcis M. SS, sicut quatuordecim ab hinc annis eamdem operam latinis navavit Joannes Mabillonius Socius alter ejusdem celeberrimi Coetus, doctrinâ & editis libris Orbi jam notus. Par hoc doctissimorum hominum libenter nomino, quod primum, plurimâ ab eo familiaritate donatus, nunc Romæ præsentem colam, alterius absens benevolentiam literarum commercio comparaverim.

Legionis undecimæ Claudiæ frequens in Gruterianis inscriptionibus mentio habetur, ubi etiam *Pia, & Fidelis* vocatur, quæ nomina Senatus addidit teste Dione, lis prætermisso, quæ obviæ sunt in indice Gruteriano, Aquilejenses tres, quod nondum sint editæ, in gratiam eruditorum hic proferam.

D. M.

AVREL. DIZO. MILEX
 LEG. XI. CLAVD. VIXIT
 ANN. XXVII. MILIT. ANN
QVINQVE. OBITVS. IN
 MAVRETANIA. BENE
 MERENTI. CIVES. ET
 COMMANIPVLI, DE. SVO
 FECERVNT

In quadam domo Capituli.

2

L. POMPONIVS
 SILVANVS
 MILES. LEG. XI
 H. S. E

3

D. M.
 AVRELIVS. SVDLCEN
 T. CVS. MILEX. LEGIO
 NIS. XI. CALVIE

Utini ex Aquileja apud Nobb. Gurgos. Olim in edibus V. Capitanei.

Postrema hæc ita fædè corrupta, cùm Aquilejæ amplius non extet, cum suis plagiis relinquenda fuit.

Optanda nunc Accii Navii manus, quâ cotem sequitur, ut lapidis nostri difficilem notam F R. in partes explicando dissolvam. Eam in hanc vocem FRETIENSIS traducendam jam indicavi. Sanè ubi Legioni decimæ affixam legimus, semper ita interpretatam observamus. In lapide 2. pag. 442. signatur LEG.X.FR. quæ alibi expresse LEG. X. FRETIENSIS. dicitur, pag. 354. 5. 457. 6. 480. 6. At novum & insolens hoc cognomentum; nec uspiam legio vndecima ea appellatione notata invenitur. Fateor equidem: sed neque sextam decimam nisi in 1. pag. 407. cum appositâ eadem notâ FR., neque duodecimam cum expreso cognomine FRETIENSIS. nisi in 30. Class. VIII. Reinesii legimus. Quare, ut iis ejusmodi denominatio rata manet, frustrâ ipso Reinesio ut solet mendum in numero XII. somniante; ita nostræ non est invidenda. Potuit enim eadem nominis caussa & ratio adfuisse. Quod ut pervertissemus, prius de decima, cui id vocabuli certum, paullo diligentius est agendum.

La-

Lazius lib. 5. de Rep. Rom. cap. 17. appellationem legionis X. *Fretensis* se acceptam referre ait Eutropio in historiâ Vespasiani , ubi hæc verba scripta ipse reperit: *Trachæa, Cilicia, & Commagene, quam hodie Augusto Fretensem nominamus, quæ sub Regibus amicis fuerant, tunc primum rediere in provinciarum formam.* Ita Legio *Fretensis* à Provincia Augusto *Fretensi* nomen sumpsit. Porrò se inventisse autumat, illam usque ad seculum deflorescentis Imperii in Palæstinx stativis mansisse eodem *Fretensis* cognomento, ex Codice Notitarianum. At pluribus peccat hic Auctor, qui aliunde non leviter in antiquitatum Romanarum stadio versatus fuit. Primum eam vocem *Augusto Fretensem*, à qua legionis decimæ denominationē accessit, ex corruptis exemplaribus hausit; non quidem veri Eutropii, & qualem postea edidit Vinetus, à quo eadem vox omnino abest, sed ex historiâ Miscellâ, quam Paullus Diaconus , seu quisquis fuerit, non tam ex ipso Eutropio, sed aliis etiam superiorum temporum historicis consarcinavit. In hac siquidem historiâ lib. 8. genuina lectio habet *Augustopratensem* , quod vocabulum ipsius Miscellæ auctor addidit ex Aurelii Victoris epitome in Vespasiano , cuius sunt verba: *Syria, seu Palæstina necnon Cilicia, Trachea, & Commagene, quam hodie Augustopratensem nominamus, provinciis accessere.* Jacobus Gothofredus ad l.2. Cod. Theod. tit. ne Comit. & Tribun. in victore legit *Augusteupratensem*; eandemque vocem restituit Valesius in notis ad Marcellinum lib. 14. pag. 42. qui hoc loco ait: *Commagena nunc Eupratensis clementer assurgit.* At rectius ad fidem veterum monumentorum illud vocabulum in duo est secundum. Nam in l. ult. Cod. de divers. offic. Leo & Zeno Imp. appellant Comitem *Augustæ Eupratensis*, & in Synodico , quod post Christianum Lupum edidit V.C. Stephanus Baluzius Tomo primo , & adhuc postremo, novæ collectionis Concilior. pag. 699. subscribunt Theodoretus Episcopus Cyri *Augustæ Eupratensis*, & Meletius Episcopus Cæsa-

rex Augustæ Euphratesia. Porrò, ut vides, hæc provincia promiscue *Eupratensis*, & *Euphratesia* appellatur. Primæ nomenclaturæ exempla alia, præter Marcellini mox laudatum, habes in Codice Theodosiano leg. 2. ne Comit. & Tribun. & lege itidem 2. de venat. ferar. ubi limitis *Eupratensis*, & Præsidis *Eupratensis* fit mentio. Provincia *Eupratensis* dicitur in l. 10. Cod. Justinian. de ædific. privat. & in Notitia Provinciarum, quæ extat Tomo secundo postumo Antiquit. illustratæ Emanuelis Schelestrate pag. 712. Secundæ appellationis unum & alterum testimonium ex Synodico supra recitavimus. In eodem Synodico cap. 183. laudatur Flavius Lybianus Præses *Eupratensis* Provinciae, & cap. 81. Alexander *Eupratensis* Provinciae Metropolitanus. Adde etiam cap. 7. ac 13. necnon Notitias apud eumdem Schelestratum pag. 651. & 685. Hæc verò differentia non ex libito Scriptorum, sed à proprietate diversi idiomatis profluxit. Nam quæ *Εὐφρατησίας* Græcis, *Eupratensis* Latinis dicitur, ut observavit Lucas Holstenius utriusque linguae peritissimus in notis ad Stephanum de Urbibus verb. *Germanicia*; addiditque ideò malè apud Nicephorum *Εὐφρατησίας* verti in *Euphratesia*. Hinc allata omnia exempla, quæ ex Græcis monumentis translata sunt, veniunt ritigenda. Sanè eam legem servarunt doctissimi viri Jacobus Gothofredus, & Henricus Valesius, qui in suâ quisque Philostorgii versione, ubi lib. 3. cap. 8. & lib. 11. cap. pariter 8. in Græco est *Εὐφρατησίαν*, ipsi translulerunt *Eupratensem*.

Optimè notavit idem Valesius loco mox allato Marcellini, corruptam esse subscriptionem Concilii Calchedonensis, ubi legitur *Augustus Eupratensis*, quasi Episcopi nomen sit, cum sit provinciae. Corruptius adhuc idem vocabulum exhibet editio Labbeana Conciliorum tom. 4. col. 788. *Augustus Eupratensis*. Reponendum itaque *Augusta Eupratensis*, vel *Augusteupratensis*. Sed quid nomen hoc Provinciae in eo Concilio nudum & solitarium,

absque Urbe, absque Episcopo? Nil ultra Valesius tentavit. Quare mihi castigandus is locus est, & veræ lectioni restituendus. Subscriptiones exhibet Labbeus loco indicato ex apographo Sirmondi, qui eas olim descripserat Romæ ex antiquissimo mille annorum Codice. Distributæ sunt per Provincias, & unusquisque Episcopus post suum Metropolitanum subscriptit. Laterculum, quod rem nostram spectat, oculis subjicimus ex eadem col. 788.

Provincia Arabiæ Episcopi XV.

Constantinus Bostren.

Eulagius Filadelfiensis

Proclus Adraonenensis

Theodosius Canothasensis

Ormisda Philopolitanus

Flaccus Geronosotanus

Augustus Eufrasiensis

Stephanus Hierapolitanus

Sequuntur alij septem, *Samosatenus*, *Cyropolitanus*, *Germaniensis Doliches*, *Zeugmatus*, *Perrensis* & *Neocæsariensis*.

Falsus in primis est titulus: nam post Constantinum Bostrensem, quinque tantum qui sequuntur Episcopi ad Provinciam Arabiæ pertinent. Hos statim excipit *Augustus Eufrasiensis*, & inde subsequitur *Stephanus Hierapolitanus*, aliique septem Antistites. Bostra Metropolis erat Arabiæ, Hieropolis *Euphratesia*, ut cuilibet Geographiam sacram versanti patere potest. Itaque duo hic Metropolitanæ, *Bostrensis*, & *Hieropolitanus*. Quare duæ Provinciæ sunt distinguendæ. Si ergo ubi *Augustus* tamquam Episcopus *Eufrasiensis* collocatur, levi adhibitâ castigatione legas, Provincia *Augusta Euphratensis*, jam habebis secundam Provinciam, sub quâ, ordine non immutato, agnosces rectè consignari *Stephanum Hieropolitanum* Metropolitanam, & ceteros Episcopos, qui re vera omnes eidem suberant. Ita non tam explosus *Augustus* fictitius Episcopus, sed etiam sui Antistites Provinciæ *Euphratensi* & *Metropolitano*

tano restituti , qui antea perperam Arabiae accensebantur.

Discedam hinc , ubi alterius Concilii simili labe depravatum locum emendavero. In Seleucensi anni 359. Episcopi Ariani expositionem fidei emitunt , cui inter alios subscribunt : *Cyrion Episcopus Doliches , Augustus Episcopus Euphratesia* . En Augustus importunè rem iterùm niscet. Quem si Episcopum patimur , jam Euphratesia Urbs est , non Provincia . Arbitror unum tantum hic esse Episcopum *Doliches* , adiectâ Provinciâ , in quâ verè ea Urbs sita est. Quare expunctâ voce illâ *Episcopus* secundo loco positâ , omnino legendum : *Cyrion Episcopus Doliches Augustæ Euphratesia* . Qua eadem subscribendi formulâ usos Theodoretum , & Miletium Episcopos ejusdem Provinciæ , jam vidimus . Miror oculatissimum Baluzium , qui eam expositionem fidei primus edidit in citatâ collectione col.66. hoc mendum non advertisse , cùm profectò doctissimam operam , ut ceteris suis præclaris operibus , in his sacræ antiquitatis monumentis castigandis & illustrandis contulerit .

Ex tot igitur illustribus veterum scriptorum testimoniis planè constat , deceptum Lazio , qui , ut nomenclaturam legioni decimæ assereret , Commagenem *Augustam Fretensem* dictam existimavit . Sanè si ad hujus Provinciæ situm parumper animum intendisset , vel Procopium consulisset , veri nominis caussam edoctus , haud ægrè errorem poterat exuere . Commagena , quæ Syria secunda est , ad Euphratem porrigitur , cujus Urbs olim illustrior Samosata ponte jungebatur , atque exinde appellationem *Euphratensis* , & Græcis *Euphratesia* adepta est . Prof ero verba Procopii lib. 1. de Bello Pers. cap. 17. ex postremâ versione Maltrei . Porro , inquit , plagam quæ à Samosatis trans Euphratem est , vocarunt veteres Commagenen , nunc à Fluvio ductâ appellatione , dicitur *Euphratesia* . *Euphratensis* reddere debuerat interpres . *Augustæ* nomen additum putat Pancirolus in Comment. ad notit. Imp. Orient. cap. 113. ab Au-

gusto Cæsare , quando Armeniam cum signis M. Crasso ademptis recuperavit . In quam sententiam abripi se passus est etiam Christianus Lopus in notis ad cap. 183 . Synodici supra laudati tom. 2 . variar. epistol. pag. 534 . At ea nomenclatura recentior est , quam ut Augusto adscribi possit . Suetonius cap. 8 . *Vespasianus* , ait , *Thraciam, Ciliciam, & Commagenem ditionis Regiae usque ad id tempus in provinciarum formam redegit* . Verba eadem penè descripsit Aurelius Victor , quæ jam retulimus , nisi quod de suo addidit , *quam hodie Augusteuphratensem nominamus* . Ergo post Tranquillum enatum hoc nomen , & non longè a Victoris ævo , qui sub Juliano Apostata scripsit . Quo eodem tempore simili phrasī usus Marcellinus , *Commagena nunc Euphratensis* , indicavit , recentem fuisse hanc quoque Euphratensis appellationem . Quò recidit etiam Procopij loquendi forma . Sanè nusquam apud veteres scriptores Strabonem , Plinium , Tacitum , Ptolemaum , qui *Commagenes* meminerunt , *Euphratensem* vocatam invenies .

Rursus quod in Palæstinâ *Legionem X. Fretensem* collocet *Notitia* , non ideo Lazius in causâ suâ proficit . Nam cum eadem *Notitia* inter provincias sub dispositione Comitis Orientis recenseat *Euphratensem* , dici nequit , *legionem Fretensem* ab hac eadem provincia nomen derivasse . Et præterea Lazius perperam confundit *Fretensem* , quæ in Palæstinâ stativa habuit , cum *Ferratensi* , seu *Ferratâ Iudaicâ* , quia hæc sexta apud Dionem loco non semel relato , & in marmore Capitolino , in quo singulæ legiones prostant pag. 513 . 2. illa decima erat .

At cur vim nomini inferamus , cùm ipsum se statim prodat , originemque suam præferat ? *Fretensis* legio , ait ipsemet Lipsius Analect. de militiâ Rom. lib. 2 . Dial. 5 . quia *Freto* assita : vel à *Freto* aliquo undè extracta est , uti suspicantur Pancirolus in Notit. Orient. de Duce Palæstinæ pag. 217 . & Turnebus adversarior. lib. 18 . cap. 10 . Cum Lipsio , opinor : nam plerumque legiones à loco stationis appellatæ , uti

uti *Macedonica*, *Mœsiaca*, ne alias referam. Et quod proximum ad rem nostrā exemplum est, *Ripuarienses* legiones passim in Notitia, & l. 14. Cod. de re milit. quōd in *ripiſ flu-minū* esſent locatæ, vocantur. Quodnam verò illud *Fretum*, à quo legio decima nomen mutuavit? *Fretanam* legionem in Apuliâ apud Plinium loco non indicato, videre ſibi viſus eſt Pancirolus mox allegatus, eoque à vicino freto Siculo fortè appellatam dixit. Vèrum Plinius nusquam id habet, ut evoluenti magnum indicem Harduini, in quo non res tantū vocabula penè omnia & voceſ digeſſit, apparet. Puto, doctiſſimum virum vel corrupto Codice vſum, vel memoriā lapſum, *Regionem Frentanam* in Apuliâ, cuius quidem meminit ipſe Plinius lib. 3. cap. 11. in *Legionem Fretanam* commutasse. Mihi ad *Gaditanum fretum* eam nominis originationem referre omnino arridet. Nam certum eſt, sub Augusto Legionem X. in Hispaniâ conſtituta, diu in eā provin ciâ excubasse: & illinc tandem à Duci- bus Vespasiani accitam, ut refert Tacitus hist. 4. cap. 68. dum in Italiam iter pararet, in Germaniam divertiſſe, ubi *Cerealis* exercitum ſupplevit, eodem historico teſtante l. 5. cap. 19. Cùm ergo in Hispaniâ manſerit, quid vetat opinari, ſtativa ad iſum *Fretum Gaditanum* traxiſſe, atque inde *Fretensis* nomen fuiſſe adeptam? Certè cùm tres legiones, tertia, ſexta, & decima Hispaniam tenuerint, ſoiam hanc decimam, Lucejo Albino Mauretaniæ Præpoſito hoſtilibus signis, Hispaniæ auguſto freto diremptæ, imminente pro-pinquare litori, ut fretum iſum transmiſſurus juiſſit Cluvius Rufus, uti narrat Tacitus hist. 2. cap. 58. Quod eam haud longè ab ipſo Freto locatam arguit. Cur enim hanc potius, non alias propinquare juiſſiſet Rufus? Ceterum non abnuerim, legionem decimam Hispanicam Geminam, utcumque appellatam, id enim non uno lapidum ſcriptorumque teſtimonio docemur. At *Fretensem* nihilominus etiam dictam, afferere non dubito. Extant exempla vetustatis in Germaniâ, quibus inſculpta eſt **LEGIO X. FRE-**
TEN-

TENSIS; scilicet paginâ 354. 5. pag. 475. 1. pag. 1068. 2. quæ quisque consulere poterit. Ea ergo legio decima, quæ ex Hispaniâ in Germaniam traducta fuit, ut vidimus, *Fretensis* appellabatur. At quæ in Palæstinâ excubabat *Fretensis decima*, aut ex ipsâ Hispanicâ olim divulsa, nomen simul in Judæam transvexit, vel ipsa Germanica inclinante Imperio eò deducta, & veteri decimæ addita fuit. *Decumanos fortenses* memorat Marcellinus sub finem lib. 18. cosque ex legione *Fretensi*, quod nomen in *Fortensem* degeneravit, esse alii putant. Id negare non ausim, cùm non vacet rejicere. At video in Notitiâ, & *Fortensem* legionem, & *Fortensem* memoratam, quod argumento est, discrimen inter ipsis intercessisse.

Ergo ne longè conquisitis etymi argumentis pretium quoque rei pereat, *Fretensis* vocabulum à *Fredo* simpliciori derivatione formaveris. Nec à nomine purioris seculi auctoritas abest. Illud enim ipse Tullius usurpavit lib. 10. Epist. 7. ad Atticum ubi ait, *Adriatico mari Dolabella, Fretensi Curio*. Quam lectionem quibusdam suspectam firmat Turnebus loco superius indicato, amplectitur Bosius, nec Lambinus damnat in notis ad hanc uterque epistolam. Quare ut decimæ legioni ab Augusti ævo, ex Hispanicâ ad fretum statione, id nominis quæsitus; ita sequiori Imperio nostræ undicimæ, quantum conjecturâ assequi possumus, similis appellatio ob eamdem caussam indita fuit. Nam non semel, prout hic illuc, bellorum necessitate poscente, variis stationibus hæc mansit, ita nomen quoque commutavit, sicuti de aliis legionibus legimus. Stante Republicâ adversus Annibalem in Africâ fuit, teste Livio lib. 30. inde dicta *Africana*: Postea *Macedonica* nomen adepta est, quod in hanc Provinciam eam Cæsar deduxerit, ut ipse narrat lib. 3. bell. Civil. Post Pharsalicam pugnam in Dalmatiam proximam Macedoniæ regionem transmissam verosimile est; nam sub Claudio Imperatore, cùm Scribonianum nova molientem deseruit, inibi degisse jam vidimus, appell-

appellationemque Claudiæ suscepisse. Inde in Italiam traducta fuit jussu Othonis adversus Vitellianos, teste Tacito hist. 2. cap. 11. ubi cum è Delmatiâ, & Pannoniâ motas legiones ait, *septimam Galbianam, undecimam, & tertiam decimam*, hæc undecima ad Delmatiam est referenda, quod distinguere neglexit historicus. Unde Lipsio error, qui nunc eam Delmaticam facit, postea Mœscam, perperā intellectis hoc ipso & aliis proxime afferendis Taciti locis, de Repub. Rom. lib. 5. cap. 18. Denuò autem suis hibernis redditæ fuit, ex eodem Cornelio lib. 2. c. 67. quam tamen profecionem non explesse puto, cùm paullò post ceteris Vespasiani copiis adjunctam scribat lib. 3. cap. 50. Tunc cùm ex Delmatiâ in Italiam profecta est, aliquandiu Aquilejæ moratam fuisse non dubito; sicuti non de Mœscis tantum, sed de hac etiam quæ adventantem exercitum confabat, innuere videtur Tacit. lib. 2. cap. 46. unde militibus inibi tunc fato functis lapides emortuales, quos adduximus, positos fuisse suspicor. At tempore Dionis, scilicet sub Severo Alexandro, stativa in Mœsia agebat, ideoque & Mœsica eidem appellatur. Nolo hic miscere quæstionem, an legionum stativa Dioni recensita referenda sint ad tempora Augusti, vel ad ea, quibus ipse scripsit. Hoc mihi verius est: nam præter argumenta Casauboni exercitat. 14. cap. 10. & Reinesii ep. 31. ad Rupertum pag. 163. cur Dio, si ævum Augusti respexisset, nostram undecimam Claudiam appellasset, quod nomen nondum enatum erat? Ad Hispanica stativa, quod in rem nostram est, tandem traductam, omnino evincit Notitia Imperii Occidentalis, penè quam Undecumani sub spectabili Comite Hispaniarum recensentur. Additque Pancirolus cap. 23. hos esse ex legione undecimam Claudiâ in Mœsiâ olim collocatâ. Quod si in Hispaniâ, cur non etiam ad fretum Gaditanum excubasse, indeque nomen Fretensis traxisse divinare nobis non liceat?

Sanè ea à Gallieni ævo maritimæ alicui oræ imposita
fue-

fuerat, adeoque jam à statione Moesiacâ, quæ regio tota mediterranea est, recesserat. Nam Vaillantius tom. 2. numismat. Imp. pag. 168. profert nummum ejusdem Imperatoris, cui in aversâ parte scalptus est *Neptunus dextrâ Tridentem, sinistrâ Delphinum* gestans, cum hac epigraphe: LEG. XI. CL. VI. P. VI. F. scilicet *Legio undecima Claudia sextùm pia, sextùm Felix.* Has ultimas notas numerales ita ab Harduino expositas pag. 298. de Nummis populor. nolo ad eruditorum tribunal vocare. Cum decem & octo alias legiones iisdem signatas apud Vaillantium videam, nescire me fateor, cur omnes in eundem numerum conspiraverint. At hoc extra aleam nostram. Illustrè illud symbolum usurparunt Laodicenses in numero Alexandri Theopatoris, apud eundem Vaillantium, sed alio opere, historiæ scilicet Regum Syriæ pag. 262. inscriptis hisce verbis ex Græco: *Laodicensium qui sunt ad mare.* Alia numismata Urbium maritimarum cum ijsdem insignibus, vel cum Delphino, passim videre est apud rei monetariæ scriptores. Potuit ergo quòd oræ maris, seu fretto accubaret *legio undecima, Neptunum delphino, & tridenti insignem gerere.* Certè inter numismata unius & viginti legionum, quæ inibi exhibet Vaillantius, sola hæc eo symbolo utitur: quod indicio est, illud singulare & proprium undecimè fuisse, & nonnisi à maritimâ statione acceptum. Utique & *mare ipsum, latiori vocabuli significatione*, passim à Poëtis, & non semel ab alijs scriptoribus, *fretum* vocatum scimus. Quare quacumque statione ad maris litora nostram legiōnem locemus, ab eo *Fretensem* dictam suspicari fas erit. Ut verò obiter lucem aliquam ipsis numismatibus afferam, tunc ea à Gallieno percussa crediderim, cum demens Imperator, imperfectis apud Byzantium rebellantibus militibus, quasi magnum aliquid gessisset, vesanâ pompâ, & novo genere ludorum & volutpatum decennia celebravit. Quæ sollemnia Trebellius Pollio in ejus vita cap. 8. fusiū enarrans *vexilla centena*

sub-

subdit, & præter ea quæ collegiorum erant, dracones, & signa Temporum omniumque LEGIONVM ibant. Hæc signa legionum certè non alia quam quæ iisdem nummis, tunc sanè culis, expressa conspicimus; Capricornus videlicet primæ Adiutrici attributus, Mars galeatus primæ Augustæ, Neptunus cum delphino & tridente nostræ undecimæ, ceteraque videnda apud eumdem celeberrimum Antiquarium.

Adhuc per immensa pelagi spatia nos legio undecima traducit, ut aliud cognominis indicium persequamur. Reinesius Class. 8. num. 17. hanc inscriptionem Vicentia, seu rectius Vicetia in Venetis, extantem, sibique à Cl. Bartholino traditam profert.

M. BILLIENVS. M. F
ROM. ACTIACVS
LEGIONE. XI. PRAE
LIO. NAVALI. FACTO
IN. COLONIAM. DE
DVCTVS. AB. ORDI
NE. DECVRION. ALLEC
.... O . . . ERVC. . . .
COSS

Jacobus Marzarius lib. 1. hist. Vicetinę p. 37. legit in secundo versu: Romac. Leg. XI. &c. omittitque ea vestigia Consulum. Sed alius potuit acutiori oculo uti. Reinesio sunt hi Consules: Soffius Falco & Erucius Clarus, qui Consulatum inierunt A. V. 496. Christi 193; quo scilicet Pertinax & Didius Julianus occisi sunt, & Septimius Severus ad Imperium evectus. Prælium navale, cuius in hoc lapide fit mentio, illud esse subdit vir doctus, quo Byzantini obseSSI à Severianis, & fame coacti, se navibus, ut effugerent, crediderant, quibus confractis & submersis ad unum omnes interficti sunt, eamque cladem mox sequuta est deditio Urbis. Si clausis oculis Reinesio manus darem, compendio rem meam agerem. Statim enim Le-

T

gio

gio XI. ideo *Fretensis* esset, quod prælium hoc ad *fretum* Byzantium feliciter gesserit. At magis est, ut veritatis obsequio alacrationem Reipubliæ detegam. Septimius Severus iocunditate anno eodem 193. rerum potitus, bellum aduersus Pescennium Nigrum movit, & subiude Byzantium Urbem, quæ ab ejus partibus stabat, obsidione cingi jetit; quæ tandem oozalii post triennium capta est, dum ipse in Mesopotamia degebat; ut narrat Dio l. 74 p. 847. Hec quidē gehæ esse jam elapsi Consulatu Falconis & Erculi, nemo est qui dubitet. Quomobrem Billieus, qui post prælium navale sedux in patriam, & honore quoque à decurionibus suz coloniz hospitatus, lapidem sculpsit iisdem Consulibus, hanc postrem ad Byzantium pugaz interfuisse non potuit, immo neque initia oblationis vidisse. Præterea idem historicus pag. 846. dissentè ait, Byzantinos eā clade vi tempestatis oblitos fuisse, nullo factō prælio navalī. Ad horum Consulatum tempora, vel paullò ante, aliud pugiam auxilium commissum non reperi. Ercium alterum, forte hujus patrem, ligavit Fasti Consulalem cum Claudio Severo sub Antonino Pio an. 146. cui ætas lapidis alligari posset, si expeditio aliqua maritima simul occurreret. At verò, quocumque velis loco aut tempore, certe discimus ex hac inscriptione, Legionem XI. prælio navalii aliquando decernisse, & sanè victoriam fuisse adpeccata; neque enim, si secus, rei male gestæ memoriam Billieus saxe inscriptiisset. Ob eam igitur caussam *Fretensis* dici potuit, nomine à maritimā expeditione traducto; & simul maritima symbola, quæ scalpta summo Gallieni memoravimus, usurpare. Id quippe in more positum alia ejusmodi armisata ostendunt. Apud Oisellum tab. 36. 10. auramus eū M. Agrippę quo Neptuanus dextrā Tridentem, similiter Delphiam præfert. Ejusdem schematis alter visitat Auguri, ubi quod Neptuanus dexterā, pro Delphino, acrotholium auris detinet. Uterque victorias navales his signis denotare voluit.

Scru-

Scrupulus adhuc remanet dissolvendus . Quid nem-
pe sibi velit interpuñctio illa , seu signum ♂ quod ubi
fractus est noster lapis , ante notam FR. incisum con-
spicitur ? illud esse ex iis , quz pro marmorarii libito
frequenter in inscriptionibus offendimus , nihilque omni-
no significant , arbitror . Plura ejusmodi exempla apud
Gruterum , & Fabrettum reperties . Hic cum in angulo ,
oscitatiā fabrili , spatum vacuum fuisset relictum , signum
illud loco implendo exsculptum divino .

C A P U T XI.

*Mos cooptandi Patronos à Romulo . Formula regest , & sa-
cepti patrocinii . De Municipio Civitatis in Africā .
Vaillantius & Harduinus erroris , quem sibi invicem rege-
runt , ambo restiti . Tabula patrocinii in domo suscipien-
tis affervata . Quodnam Patronorum murus . Hi ali-
quando in tutelam , & mox in fraudem tributorum . Etiam
femine in Patronas Urbium electe . Statua plerumque Pa-
tronis p̄fisa , qui Aquilium ab Antiatibus donatum ce-
risimile est .*

PATRON. COL. OBMER. EIVS. ANTIAT. PVBL

Patrono Colonia ob merita ejus Antiates publice .



RIMA tantum hujus postremi nostræ inscriptionis verticuli pars nobis nunc versanda est , cùm aliam , quæ Coloniæ Antiatem spectat , olim in ipso limice dissertationis abundè fuetius nos prosequuti . Cùm Antiates pridem in Patronum Coloniz M. AQVILIVM adoptassent , isque eos beneficiis , & collatis tutelz præfidiis jugiter deseruerisset , lapidem hunc , eos inscriptis digitatum titulis illustrem , decreto publico posuerunt , quod ultima ejus particula iudicat .

T : 2

Eum

Eum quoque pro ædibus publicis locatum fuisse prouum est credere. Quo arguento publicum aliquod ædificium stetisse eo loci, quo repertus fuit, non malè conjicio. In nobiliori Urbis parte, quæ in subjectum portum aspectus patet, visitur porticus subterranea lunato fornice in orbem à circulari deflectentem, ad modum amphitheatri, producta, in cuius medio satis ampla ejusdem figuræ area supernè expanditur. Substructionem hanc putaverim ad sustinendum ædificium, quod eamdem aream circumplexens, columnis per ambitum dispositis porticus publicas, ubi Aquilii monumentum fuerat positum, efformabat. Etenim stylobatæ, capitella ordinis Corinthiaci eleganter elaborata, epystillia, aliaque columnarum fragmenta inibi jacent, pristinam magnificentiam loquentia. Has fuisse publicas porticos, opinor, quas Neronis *Libertus*, cùm daret Antii munus gladiatorium, investivit picturâ, gladiatorum, ministrorumque omnium veris imaginibus redditis, ut memoriarum prodidit Plinius lib. 35. cap. 7. Antii porrò non tam gladiatorii, sed alia quoque ludorum genera per triduum agebantur. Cicero ad Atticum, se Antium profecturum scribit, *ludi enim, inquit, Antii futuri sunt à IV. ad pridie Non. Maii*, lib. 2. ep. 8. Quamquam eos spectare noluit, ut vitaret omnium deliciarum suspicionem, sequenti ep. 10. Domum quippe Antii secessus causâ possidebat Tullius, cuius sèpè meminit in epistolis ad eundem Atticum: ibique librorum festivam copiam paraverat, eodem libro ep. 6. Quam postea domum Lepido vendidit, ex ep. 47. lib. 13. Hæc quoque auctarii loco accedere velim ad ea quæ capite primo de Romanorum apud Antium secessibus notaveram.

Ejusmodi aliarum Urbium grati animi, quem ergà Aquilium Antiates produxerunt, in Patronos suos monumenta, sub hac eadem verborum formulâ, plurima reperi-re est in magno Gruteri Inscriptionum thesauro, quæ passim occurrentia consulas. Sollemne enim Coloniis, & Municipiis fuit, se in præpotentium Civium Romanorum clientelam

Iam adscribere. Quam consuetudinem Romulus ipse in Rempublicam invexit, teste Halicarnasseo lib.2. pag.85. editionis Francofurtien. an.1586. Nec tantum, inquit, in ipsa Urbe plebs sub patriciorum erat patrocinio, sed & Coloniarum, & sociarum, atque amicarum Civitatum, & bello subactarum, suos quæque habebat tutores, & patronos quoscumque vellet è Romanis; & sepe numero Senatus controversias Civitatum, ac gentium ad earum patronos remisit, eorumque judicia rata habuit. Eminentissimus Norisius in Cenotaph. Pisan. dissert.2. cap.7. in fin. plures Urbium, ac Provinciarum Patronos, Cives Romanos, produxit, quo aliorum diligentiam studiumque occupavit. Formulam etiam, quâ Civitates suos sibi Patronos cooptabant, integrum ex Grutero pag.362. recitat, asiaque id genus decreta apud cumdem indicat, ex quibus demonstrat, Patronos nobilissimorum Civium, immò ipsorum magistratum legatione destinatâ, Civitatum tutelam suscepisse, in quorum etiam Palatiis Cives, si quando Romam venirent, hospitarentur, is enim honor erat tesserae hospitalis.

Purpuræ pannum assuam, si post summum dignitate & doctrinâ virum, aliqua in hoc argumentum addidero. Et primum ne, dum de Patronorum cooptatione agimus, lectoris curiositatem aliò ablegemus, unam ex formulis hîc exsribam, eamque ipsam Gruterianam jam indicatam, tûm quia inter alias fortè illustrior, cùm etiam quòd ejus authographum in fragmēto laminæ æneæ apud Cl. Fabretum viderim, unde ipse correctiorem in opere suo inscriptionum cap.5. pag.364. traduxit, suppletâ ex Grutero ea parte, quæ in eodem authographo confracto desideratur, hîc designatâ minutioribus characteribus.

PRAESIDI. PROVINCIAE. *Val. Byzac.*

DD NN CRISPO. ET. CONSTANTINO iuniore
NOBILISSIMIS. CAES. S. COSS. IIII. Kal. Sep
MVNICIPES. MVNICIPII. AELII. *Hadriani. Aug. Ciuiu*
LITANI. Q. ARADIVM. RVFinum. Valerium. Proculum
V.C. LIBEROS. POSTEROSQue. eius. sibi. liberis. poste
RISQUE. SVIS. PATRONVm. cooptauerunt. tesseram
QVE. HOSPITALEM. CVM. eo. fecerunt
Q. ARADIVS. RVFINVS. VALERIVS. PROCVLus. liberi
POSTERIQVE. EIVS. MVNICIPES. MVNICipi. Aeli. Ha
DRIANI. AVG. CIVILITANI. LIBEROS. posterosq. eorum
IN. FIDEM. CLIENTELAMQ. SVAM. RECEperunt. in. quam
REM. GRATVITAM. LEGATIONEM. SVsceperunt
INSTEIVS. RENATVS. ET. APOLLONIVS. Gallentius &c.

Vaillantius de Coloniis to. 1. edit. 2. p. 169. & to. 2.
p. 31. inscriptionem hanc *municipii Civilitani*, ut malè ex
Gruterio legit, intelligendam esse ait de Opido Plinio *Cullu*
vocato, & *Chulli Antonino*, quæ Urbs est Numidiæ lito-
ralis, & huc etiam revocandum nummum Antonini Imp.
cum epigraphe AEL. MVNICIP. COEL. nempe *Ælium*
Municipiū Coelli. Eum ob id acerbè perstringit Harduinus
in Anthirretico de Nummis antiquis p. 84. & vicem reddit
abeo reprehensus quòd scripsisset in notis Plinianis p. 496.
illud Municipium, nostræ inscriptioni memoratum, ad *Cibili-*
tanos Lusitanæ Populos spectare, quam porrò sententiam
mordicūs defendit. At dum Adversario, in quem integer il-
le libellus calamo plus nimium atrociori conscriptus est,
oculos configere vult, suos ipse confodit. Videre siquidem
poterat in ipsâ Inscriptione Gruterianâ, quam citat, literis
penè uncialibus in fronte hæc verba, quæ jam retulimus,
*exarata: *Valerio Proculo V.C. Praefidi Provinciae Val. Byzac.**
Sed laboris fortè pertulsi in evoluendo grandi illo Inscrip-
tionū volumine, cōtentus est nil ultra scivisse, quām quod
ab aliis didicerat. Ergo ex recitato titulo constat, Muni-
cipium *Civilitanum* (seu verius *Civilitanum* ex authogra-
pho

pho Fabrettiano) in Byzacenâ Provinciâ fuisse, cuius Præsidem Valerium Proculum in patronum adoptabat . Nam, & dūm munus hoc ageret Proculus , aliæ quoque Coloniæ ejusdem provinciæ honorem hunc ei detulerunt, *Adrumentina* scilicet, *Mercurialis Theanites*, & *Zama regia*, ut eadem paginâ, & duabus sequentibus appetat . Quorsum igitur Harduinus , similitudine nominis fretus , Municipium *Civilitanum* ex Africâ in Lusitaniam transplantavit ? Vidie Vaillantius eam epigraphem , & elogium *Præsidi provin- ciae Byzacenæ* dedicatum fassus fuit, sed nihil profecit. Nam *Civilitanum* Municipium ex Byzacenâ in proximam Numidiam traduxit , & in *Coellitanum* , seu *Coellutanum* migrare jussit . Vellem doctos hos viros , & de antiquitate nummariâ plurimùm meritos , manu ducere in celeberrimum conventum Carthagine habitum ab Episcopis Catholicis diversarum provinciarum ad fidei rationem Hunericì regis Vandalorum Ariani jussu reddendam . Ibi digito ostenderem , inter Episcopos Byzacenæ provinciæ, Fortunatianum *Cilitanum*, quam Urbem haud negaverint, opinor, eandem esse *Civilitanam* nostræ laminæ , adeòque ex hac etiam ejus nomen corrigendum . In collatione quoque Carthaginensi cap. 128. memoratur Tertiolus Episcopus plebis *Cilitanae* . Et, si Antoninum in Itinerario sequi non pigeret, eis occurreret *Cilio* inter Suffetulam & Meneggerem, quæ Byzacenæ provinciæ sunt opida , nam & eorum Episcopi Praesidius & Servus in eadem provinciâ locantur proximè ad *Cilitanum*. *Cilio* verò corruptū esse ex *Civilio*, à quo *Civilitani*, facilè mecum consentient . Catalogus ille Episcoporum conventus Carthaginensis prostat apud Labbeum tom.4. Conciliorum pag. 1142 , Ruinartum in historiâ persecutionis Vandalicæ pag. 123, & Schelestratn tom 2. postumo antiquitatis illustratæ pag. 656.

Revertamur unde divertimus . Decretum, quo Urbes & Coloniæ Patronum eligeant , tabulâ æneâ incidi curabant, eamque per Legatos, ut permitteret suis , Ædibus reponi,

poni, Patronum rogabant. In Romano lapide pag. 456. 1. Ferentini Pomponium Bassum in Patronum hac decreti formulâ adoptant : *Placere Conscriptis legatos ex hoc ordine mitti ad T. Pomponium Bassum clarissimum Virum, qui ab eo impetrant in clientelam amplissimæ domus suæ Municipium nostrum recipere dignetur, Patronumque se cooptari tabuli hospitali incissâ in hoc decreto in domo sua posita permittat.* In his postremis verbis Hypallage est pro, *decreto hoc tabulae hospitali inciso.* Hinc ejusmodi tabulæ ferè Romæ repertæ sunt, quò à Legatis deferebantur in domibus Civium clientelas suscipientium. Animadverti omnes jam memoratas Aradii Proculi fuisse eodem loco in Cælio monte inventas, ubi dubio procul domus ejus sita erat. Duas quoque profert æneas idem Collector pag. 470. 1. 2. & quatuor Tomasinus de Tesseris hospital. cap. 2. Brixiaæ effossas in Vico S. Zenonis, quò à totidem Municipiis Africanis fuerant transmissæ ad C. Silium Aviolam ab ipsis in Patronum delestatum. Mos idem Collegiis & Corporibus Artificum fuit usurpatus. Docet decretum pag. 1101. 1. quo Collegæ Fabrūm, & Centoniorum Regiensium Julianum sibi Patronum cooptantes tabulam aerream cum inscriptione hujus decreti nostri domo ejus ponî censuerunt. Scilicet cum Urbes, & Collegia non tam tunc elestatum, sed etiam liberos posterosque ejus Patronos adsumerent, clientæ & hospitalitatis sanctæ perenne testimonium apud ipsis manere volebant. Susceptas in tutelam Civitates & Populos apud Senatum & Magistratus, quò cumque res & negotia eorum postularent, Patroni defendebant fovebantque. Halicarnasseus loco proximè recitato, munera, quibus Patroni ergâ clientes in Urbe adligabantur, & vicissim quid clientes ipsis præstare tenerentur, describit. Quæ etiam Patronis, clientibusque Coloniaram & Urbium, communia fuisse indicat.

Aliud Patronorum genus inclinante Imperio, memoret Valesius in notis ad Marcellinum lib. 19. cap. 11. Cum enim

enim in exigendis tributis susceptores avaritiā & rapaci-
tate cuncta miscerent everterentque , moris erat ut provin-
ciales sese in potentiorum ac militarium maximè ducum ,
patrocinia conferrent , ut sibi adversū susceptores auxi-
lio forent. Verū id sensim in fraudem versum, quod præ-
termisit doctissimus vir adnotare ; nam etiam , ut justas tri-
butorum exactiones declinarent , agricolæ & rustici in po-
tentiorum tutelam confugiebant . Quare severissimis poenis
ejusmodi fraudulentia patrocinia coērcita sunt & vetita, pri-
mò per Constantium , deinde per alios Imperatores . Ad-
eas , si lubet , eorum leges congregatas in Cod. Theod. lib.
11. tit. 24. de Patrociniis vicor . easque eruditè exornatas
à Jacobo Gothofredo in Commentariis . Patrociniis quo-
que , quæ potentiores negotiatoribus in fraudem Fisci , seu
Iustralis collationis præbere consueverunt , occurrunt leges
12. 15. & ult. tit. de Istral. conlat. ejusdem Cod. Theo-
dosiani .

Porrò non tam Civitatibus honor , quòd Optimates
earum tutelam susciperent, sed ipsis etiam Optimatibus hoc
patrocinii munus dignitatis accessio fuit . Curatores enim ,
quos sub Patronorum censù refero , idcirco Marcus An-
toninus Imp. multis Civitatibus è Senatu dedit , ut notat
Capitolinus in ejus vita cap. 11. quòd latius Senatorias ten-
deret dignitates . At mirūm , feminas ipsas & nobilissimas
matronas in Urbium populorumque Patronas adoptatas ,
decreto publico , legatione illustri , ceterisque præclaris
ad dignitatem & honestamentum argumentis . Extat insi-
gne exemplum apud Grut. pag. 443. 6. in quo Peltuinares
in Vestinis Nummiam Variam Sacerdotem Veneris , Patro-
nam fieri decernunt , eique pro splendore dignitatis sue , pa-
tronum offerre , petique ab ejus claritate , & eximia beni-
gnitate , ut honorem oblatum libenti , & prono animo susci-
pere dignetur . Neq; in ejus Clientelam se , remque publicam
eorum nomine tantum , & titulo tenūs commendatam pro-
fitentur , sed ut in quibuscumque ratio exegerit intercedente

auctoritate dignitatis suæ, tutos defensoresque præstet. In alio pag. 322. 2. videas Cantiam Saturninam Patronam Coloniæ Ariminensis, & num. 8. Albinam Balbinam Municipii Pitinatium Pisaurensum Patronam, utrasque Sacerdotes Flaminicas. Quid verò feminæ præsidii & tutelæ clientibus suis præstare poterant, quibus nec caussas agere, nec Senatui publicisque negotiis immisceri permisum? Sanè in potentiam & ambitionem feminarum Severus Cæcina acerbè invehitur apud Tacitum Annal. 3. cap. 33. cùm legem à Senatu ferri censuit, irrito tamen conatu, ne quem magistratum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur. Inter cetera queritur quod, mulieres Oppiis quondam aliisq; legibus constrictæ, nunc vinculis exolutis, domos, fora jam & exercitus regerent. At hæc ad invidiam sexus exagitata. Inter monstra est, quòd Alagabalus matrem in Senatu rogari jussit, teste Lampridio in vita cap. 4. quo imperfecto, ne probrum in posterum exemplo esset, cautum fuit ne unquam mulier Senatum ingredieretur cap. 18. Matronas, in quorum patrocinium memoratæ Coloniæ venerant, Sacerdotes fuisse observo. Quare non tam natalium splendore & familiæ merito, sed etiam, ut ipsum Peltuinatensem decreturn indicat, Sacerdotis dignitatis intercedente auctoritate apud Senatum, magistratus, summosque in republica viros officiis & commendatione Clientibus suis prodesse poterant. Nemo ignorat quanta Vestalibus auctoritas & gratia apud Romanos inesset. At honores, tūm feminis Cæsarum sanguine & affinitate conspicuis, cùm aliis quoque matronis habitos, fusè prosequitur Spanhemius de præst. numism. dissert. 7.

Ceterum Patronis suis Urbes, & Provinciæ plerumque statuas ponere consueverunt. Exempla inscriptionum Grutero debemus pag. 446. 1. & 2. pag. 491. 1. 2. & 3. & alibi. Manlium Theodorum æreco signo Patronum testata est Africæ provincia, quam proconsulari Imperio rexerat.

rat. Claudianus in panegyrico de ejus Consulatu vers. 24.
hæc ait:

*Hic te pars Lybiæ moderantem jura probavit,
Quem nunc tota probat, longi sed pignus amoris
Exiguæ peperere moræ, populumque Clientem
Publica mansuris testantur vocibus ÆRA.*

Postremum enim hoc verbum de æreo simulacro Manlii, potius quam cum interprete ad usum Serenissimi Delphini, de tabulis æreis, quibus inscriptæ res ejus, intelligo. Nam & Virgilius Æneid. 6. *spirantia mollius æra dixit*, & Horatius Epist. 1. *Lysippo duceret æra*, & Claudianus ipse eadem significatione illud non semel usurpavit in Eutrop. v. 71, de primo Consul. Stiliconis v. 177. Appulejum ita adloquuntur magistratus Hypatæ Civitatis, Metamorph. lib. 3. *At tibi Civitas omnis pro ista gratia honores egregios offert*. Nam & Patronum scripsit, & ut in ÆRE stet imago tua decrevit. Auctor est Cicero in Verrem art. 4. Siculos posuisse statuas Marcellis, ut Patronis. Qui Philip. 6. indignatur, statuam L. Antonio tamquam populi Romani Patrono politam fuisse: *Adspicite, inquit, à sinistrâ illam equestrem statuam inauratam, in qua quid inscriptum est?* Quinque & triginta Tribus Patrono Populi Romanî. Igitur est Patronus L. Antonius? malam quidem illi pestem. In id fortè Catonis in censurâ vociferationes erant, Mulieribus Romanis in Provinciis statuas ponî, ut narrat Plinius lib. 34. cap. 6. Nam & ipsas Patronas adscitas jam vidimus.


Ea verò veluti lex & perpetuus mos Urbibus populisque fuisse videtur, ut statim ac Patronum sibi aliquem decrevissent, statuam quoque in tutelæ susceptæ argumentum ipsi publicè ponerent. Indicat hoc Plinius, qui de origine & honore statuarum loquens: *Prius, inquit, bonos Clientium instituit sic colere Patronos* lib. 34. cap. 4. in fin. & ad finem itidem cap. 6. passimque, ait, *Clientes (aptius alii legunt gentes) in Clientelas ita receptæ*. Scilicet dedica-

156 DE INSCRIPTIONE
tione statuarum. Simùl se Patronum à Capuanis appellatum, donatumque statuā innuit Cicero in Pisonem his verbis: *Me inauratā statuā donarunt, me Patronum unum adscriverunt, à me se habere vitam, fortunas, liberos arbitrantur.*

Antiates statuam AQVILIO Patrono suo collocasse, hæc omnia suadent. Nunc marmor tantummodo, quod amplissima dignitatum ejus ornamenta & gesta officia complectetur, inscripserunt. Nempe statuam, delatā statim clientelā in patronatus testimonium, Inscriptionem postea, cum in suscepto munere plurimis magnisque beneficiis Ci-vium animos provocasset, merita ejus, & decora posteritati tradituri, dedicarunt.



PARS





PARS ALTERA DE MITHRA

EJUSQUE TABULIS SYMBOLICIS.

C A P U T I.

Figuræ simulacri Mithriaci in lapide Antiate exculptæ de-scribuntur. Indicatis locis, ubi similes tabulae exstant, notatur symbolorum inter ipsas diversitas. Quid bis repræsentaverint veteres; unde falsa quorundam opinio arguitur.



IMULACRUM MITHRÆ, quod hic spectas æri eleganter incisum, idem est quod in præfatione ex Antii ruderibus effossum dixeram. Eodem fato & tempore, post diutinas ævi intercurrentis tenebras, cum *M. Aquilio* luci traditum, par erat eadem manu & consorti curâ illustratum, utinam non potius fœdatum, in literatorum conspectum prodire. Scio equidem doctos viros de Mithrâ ejusque tabulis jam olim dicere occupasse, sed scio iterum, ex his neminem earum symbola & significaciones per partes singulas explanare fuisse adgressum; ita ut penè integrum hoc argumentum reliquerint, & plura etiam de Mithrâ vel non obseruata, vel secus explicata nobis, qui spicas colligimus, dimiserint. Quare æqui bonique consulant eruditi, quorum manibus, si tanti res erit, meam hanc lucubrationē versari cōtigerit, cùm vel quædam priùs dicta vel alia minus fortasse ad seculi palatum cōposita, offenderint. Nam omnes, qui in hæc studia incumbimus, ex iisdem ve-
terum

terum fontibus nostra haurimus , eademq. omnes refundere cogimur . At sanè , præter novam ferè symbolorum explicationem , in id curam proferre conatus sum , ut Mithram toties ab aliis , ut ita dixerim , recusum , ad gratiam novitatis revocarem , vel superflusâ obscuris luce , vel evolutis plerisque quæstionibus , aut tandem rebus suo ordine digestis , & in integrum & justam de MITHRA commen-tationem compositis . Nam licet suscepti operis occasio intra explanationem tabulæ Antiatis nos cogeret ; attamen non tam ad alios similes lapides stylum produxi , sed etiam universam , quantum ingenii exilitas ferre possit , Mithræ caussam & argumentum complexus sum . In quo nescio an liceat mihi præfati , quod Plinius initio naturalis historiæ usurpavit : *R*es ardua vetustis novitatem dare , novis auctoritatem , obsoletis nitorem , obscuris lucem , fastiditis gratiam , dubiis fidem , omnibus verò naturam , & naturæ suæ omnia . Itaque etiam non assequutis , voluisse , a bunde per pulchrum atque magnificum est .

Itaque quamvis oculos non fallat appositus nostræ Tabulæ typus , ejus nihilominus partes & figuræ describam ; tūm ut fax veluti prælata lucem dicendis ingerat , cùm etiam ut aliorum qui alibi extant , lapidum Mithræ discrimina quædam & varietates facilius internosci & distingui queant . Adstat juvenis , ut vides , fusâ in auras chlamyde , succinctus veste breviori , recurvâ tiarâ seu mitrâ Persicâ , *Tauri* jacentis tergum premens sinistro genu , altero pede ad caudam dejecto . Dexteram manum , cuius partem extremam longa ætas detrivit , ad collum admovet , sinistrâ dexterum cornū apprehendit . Adsilunt ad caput *Tauri Canis* eretus & *Serpens* : sub ventre *Cancer* re-pit . Ab unâ parte caput *Juvenis* radiatum , *Sol* scilicet , sub quo geminæ *Aves* , & inferius *Puer* tunicatus & mitratus facem demittens , quem propè ad pedes *Vas* quoddam informe jacet . Ad sinistram stat *Puer* alter , eodem habitu , facem erectam tenens , supra quem pars lapidis fracta-

Luna

Lunæ effigiem abstulit. Tabula marmorea est, figuræ semientantes, seu operis anaglyphi, satis affabre exculptæ. In longum ad sex palmos protenditur, latera tres & dimidium complent.

Quinque ejusmodi thoreumata, ut vocat Sponius (an satis recte?) describit Gruterus pag. 34. Capaccius in historia Neapol. lib. I. cap. 14. & Summontius lib. I. pag. 77. postremæ editionis, alterum delineatum exhibent. Laurentius Pignorius in auctario ad Cartarium pag. 294. aliud producit, rudibus typis excusum, quod idem antea retulerat Marlianus lib. 7. Topograph. Urbis p. 153. Et quoniam tamen Gruterus, quas exponit, quam alii Scriptores plures *Mithræ* tabulas Romæ extare testati sunt, ita iis conquirendis incubui; ut tandem, amicorum monitu vel propriâ diligentia, octo fuerim nactus, locis tamen diversis omnes quam quæ iisdem Auctoribus notantur. In Palatio Pincianæ nobilissimæ Principis Burghesii Villæ tres adsunt externis parietibus insixæ: prima ad latus septentrionale, in occiduo altera, tertia ad ortum. Rursus alia in palatio Ducis Matthæi, Ducis Sanesi secunda, & in ædibus Burattianis ad S. Angeli Custodis harum postrema. Tandem sub pariete internum viridarium ejusdem Pincianæ Villæ ambiente, duo non operis anaglyphi, ut cetera, sed solida & extantia *Mithræ* simulacra reperies. Has inter tabulas, binas æri incidendas curavi: Burattianam quod detrimenta longioris ævi felicius evaserit, & in figuris quedam à nostrâ diversa ostentet. Nam Mithra stat in rupe excavatâ, seu antro, Tauri humerum parazonio feriens: Canis ac Serpens ad vulnus adfiliunt, manantemque sanguinem lambunt, & pro Cancro Scorpius adest, qui videtur Tauri testes chelis circumplexi, quod in Burghesianis duabus manifestè deprehenditur. Alterius ad latus occiduum, in ipsâ scilicet facie & prospectu Palatii Pinciani, ectypum exhibui, quod singulare aliquid, nusquam in aliis expressum, nec scriptoribus memoratum re-

præ-

præsentet; Mithram nempe puerumque facem gestantem alatos. Cùm hoc simulacrum æri jam mandasse, incidit dubitatio, num verè Mithram exprimat, quòd species oris & mamma exerta mulierem prodere videatur. Cogitabam Victoriae effigiem esse, quæ ubique alata pingitur. Nam & in nummo aureo Augusti, quem vidi in Museo Illustrissimi Leonis Strozzi, variis & pretiosis cimeliis refer-tissimo, Victoria taurum procumbentem calcat, cum epigraphè: *Armenia capta*. Quomodo taurus Armeniam figueret, videas apud Oiselium, tab. 19. num. 2. At sanè in nostro lapide taurus parazonio petitus, & puer facem præfrens, propria sunt Mithræ symbola, cui alæ quoque conveniunt quam maximè, ut alio loco explicabo. Quid ni etiam liceat augurari, quæ parte marmor est mutilum, alium puerum stetisse, & fortasse cetera quoque Mithræ signa. Potuit ergò opifex, ut Mithram juvenculum fingeret, ita lascivienti scalpro induluisse, ut propè in feminam emolliret; detraæto etiam capitinis integumento. Liberum sit eruditis decernendi arbitrium. Ceteris tabulis manet antrum, & Mithra feriens: *Canis* solus in Burghesiana vulnus in-cubit: aliæ *Cancrum* retinent. In Sanesianâ *Tauri* cauda in spicas desinit, ut in Neapolitanâ Capaccii. Burghesiana ad latus septentrionale eadem est quæ apud Gruteruni 4. pag. 34. Adhuc in ventre Tauri exsculpta prostant verba: DEO. SOLI. INVICTO. MITHRAE, & ad collum: NAMA. SEBESIO. *Sol* specie juvenis quadriugès agitat, *Luna* sub formâ mulieris bigâ vehitur: quos inde puer nudus antecedit. *Arbores* tres in summo antri frondescunt, *Corvus* crepidini insidet. Adstantes pueri erectam facem ambo gestitant. Deraserat edax vetustas caput Mithrae partesque nonnullas hujus lapidis, quas recentior manus sarcivit. Iconem hìc profero ex munere egregii viri Dominici Montelatici, qui cùm plurima signa, statuas, aliaque antiqua monumenta, quæ in memoratâ Burghesianâ Villâ magnificè sanè ac splendidè habitant, tabulis æreis incisa

DE MITHRA CAP. I. 161
cisa, dum hæc scribo, evulgaverit, hanc ipsam perhumani-
ter mihi largitus est.

Neminem arbitror non secum statim reputaturum,
tot varia & inter se diversa symbola & simulacra, non casu
aut ex arbitrio facta, sed ad occulta mysteria gentilitatis,
vel ad rerum naturalium caussas significandas, sic in unum
fuisse composita & concinnata. Quare facturum me operæ
premium existimavi, si singula diligenti examine discute-
rem, & ex arcanæ antiquorum philosophiæ penu interpretationem
depromerem. Sanè, ut antea monui, plures viri
docti hisce tabulis *Mithram* seu *Solem* repræsentari recte
animadverterunt, sed neque solliciti de ceteris symbolis,
nec de mysticâ significatione, penè tantum, quæ ad Mi-
thram spectant, veterum testimonia congesserunt. Mar-
lianus tabulam, quam excusam prodidisse diximus, mu-
nus optimi Agricolæ significare arbitratus est, & figuræ
singulas in hanc explicationem aptavit. Ea tunc opinio
viguit: nam Joannes Macarius in libello, cui titulus *Abra-
xas* pag. 14. memorat fuisse editam Romæ imaginem ta-
bellæ fictilis, eique nomen inditum, *Typus Agriculturæ*;
idemq. tradit Joannes Chiffletius, in commentariis ad
eundem Macarium, cap. 3. pag. 71. & Pignorius loco su-
perius indicato. At eam interpretationem explodunt, il-
lumq. esse typum *Mithræ*, seu *Solis* optime censem, cete-
ris figuris pene delibatis. De his neque laboravit, ad alia
properans, Gisbertus Cuperus in eruditissimo Opere de
Harpocrate, contentus pag. 65. Camerarium, non satis
feliciter de Agriculturâ hanc *Mithræ* picturam explican-
tem, notasse. Capaccius denique eundem errorem in-
duens, partes singulas ad Agriculturam refert, sed verbis
tenus & ex ingenio, nullo fultus veterum præsidio, utpo-
te qui omnia ex Marliano hauserat.

C A P U T I I.

Mithra Invictus Deus; quem è petrâ natum tradidit antiquitas. In eam rem versus Commodiani à Hieronymo Aleandro explicati. Mithra boum fur habitus, unde Julius Firmicus à Barthio expostulatus defenditur. Mithra idem ac Sol, primùm Persis, deinde ceteris Gentilibus. Divino cultu acceptus ab iisdem Persis, non tantùm civili, ut Auctor nuperus opinatur. Mithra Sol est in numeros resolutus. Cur Mithra alatus? Diverso nomine appellatus, unde explicantur gemmæ Basiliidianorum. Difficilis locus Herodoti expenditur. Hinc lux Julio Firmico. Vetus Inscriptio explanata. Cur Mithra Invictus?

MIHI igitur singula, quæ in Mithriacis tabellis scalpta sunt simulacula, interpretanti, primùm ea tradenda sunt, quæ fabulosa de Mithrâ prodiderunt veteres, mox mythologica & physica reserabo. Commodianus Poeta Christianus, ævo Constantini Magni, in libro cui titulus est *Instructiones*, primùm à Rigaltio edito an. 1650. in Instruct. 13. hæc ait, *mediocri sermone quasi versu*, plane ut de eo scripsit Gennadius,

*Invictus de petrâ natus, si deus habetur
Nunc ergò retro vos de istis date priorem,
Vicit petra deum, quærendus est petræ creator.*

Idem Rigalius in notis putat, his versibus respexisse Commodianum ad historiam Agdestis, qui fuit Magnæ Matris filius, Agdi petræ in Phrygiæ finibus inauditæ per omnia vastitatis nepos, uti tradit Arnobius lib. 1. adversus Gentes ex Timotheo Theologo, nec aliunde petendam esse hisce versibus lucem; *Invictum tamen deum & Mithram* fuisse appellatum, cùm eo nomine in antiquis in-

iascriptionibus donetur. At Hieronymus Aleander Junior in primâ ex dissertationibus philologicis quæ manu ipsius exaratæ, ut alibi memoravi, extant in Bibliothecâ Barberinâ, *Invictum hunc deum esse Mithram pro certo* habet. In apographo Commodiani, quod ei Jacobus Sirmundus commodaverat, legebatur, *de Patre natus*; at ipse restituendum omnino, *de petra natus*, putavit. Quam correctionem fortassè amico Sirmondo communicatam, ab hoc Rigaltius hausit, & editioni suæ postea inservit.

„ Itaque, ait Aleander, ex petra genitum fuisse Mithram
 „ fabulati sunt veteres. S. Hieronymus lib. 1. adversus
 „ Jovinianum: *Narrant & gentilium fabulae Mithram &*
 „ *Erichthonium, vel in lapide vel in terrâ, de solo æstu li-*
 „ *bidinis esse generatos*. Ideo in Mithræ mysteriis enuncia-
 „ ri solitum erat Θεὸς ἐν τεῖχος, quod profanum ap-
 „ pellat sacramentum Julius Firmicus lib. de errore pro-
 „ phanæ Relig. Signum hoc prophani sacramenti esse pu-
 „ tat Petrus Faber lib. 3. Semestr. cap. 2. pag. 37. lapidem
tetragonum Arabibus cultum, testante Maximo Tyrio
 orat. 38. quem *informem lapidem* vocat Arnobius lib. 6.
 advers. Gentes. Porrò Mithram ortum fuisse è petrâ re-
 tulit quoque Justinus Martyr in Dialogo cum Triphono
 pag. 296. quando illi qui *Mithra initia tradunt*, è *petra-*
eum natum esse memorant &c. Hunc Deum, pergit Ale-
 ander, ex petrâ ortum, si Mithriaca adyta penetrabi-
 mus quem dicemus, nisi ignem è silice excussum? Nam
 & Persarum Mithriaca mysteria nil aliud quam ignem
 respiciebant, testante eodem Firmico: *Sacra ejus ad*
ignis transferunt potestatem. Subdit præterea ex Stabone,
 & Q. Curtio Mithram ignem fuisse interpretatum apud
 Persas, eosque Solem, Mithram, ignemque in invo-
 cationibus annexere solitos. Quæ testimonia alibi affere-
 mus. Sed quoniam fabula fabulam gignit, nil mirum si
 Mithras, qui ex petra ortum traxisse dicebatur, filium
 quoque ex petra progenuit. Id tradidit Plutarchus in-

„ libello de fluminibus , ubi de Araxe loquitur : *Mithras*
 „ *filium habere cupiens , & perosus muliebre genus , cum pe-*
 „ *trâ quadam concubuit , ea vero prægnans effecta , post sta-*
 „ *tutum tempus juvenem progenuit nomine Diorphum.*
 Obiter addo , hunc locum illustrandum ex notis Mussaccii
 quas in calce Operum Plutarchi edit. Parisiens. Græcolat.
 pag. 83. T. 2. reperies . „ Dum vero , prosequitur noster
 „ Auctor , ait Commodianus ,

— vos de istis date priorem .

Vicit petra deum , querendus est petræ creator ,
 „ hoc utique voluisse videtur : Vos Ethnici , qui Mithram
 „ vestrum , sive Invictum ex petra natum fatemini , dicite
 „ per vestram fidem , quisnam prior antiquiorq. fuit , In-
 „ victus an petra ? Certe ipsa petra Invictum vincit . (sic
 „ fortasse legendum) ætate nimirum vincere necesse erat ,
 „ quæ ortum dei dederat . Non equidem ignoro diversa
 „ significatione vincendi verbum usurpari solitum ; quod
 „ docet Servius ad XI. Eneid. *Veteres* , inquit , vivendo
 „ vincere dicebant supervivere : ut multa virum voluens
 „ vincendo sæcula vincit , nam & in Togatis victrices ap-
 „ pellantur , quæ viros extulerunt . At non miror , bellum
 „ hunc poetam novam ejus verbi notionem excudisse ;
 „ cum acrostichidis lege coarctatus non pariendi , non gi-
 „ gnendi verbo , aliove hujusmodi uti posset : nam vincendi
 „ verbo simpliciter uti pro eo quod est ætate antecedere ,
 „ haud ita facile videtur concedendum . Fortassis etiam
 „ elegans illi jocus visus est , *wictum* dicere , qui *Invictus*
 „ audiebat . Postquam verò fateri coegisset deum illum
 „ ætate posteriorem esse petrâ genitrice , nunc (subdit)
 „ quærendum superest , quis petræ ipsius Creator fuerit
 „ atque opifex . perinde atq. vellet per hosce gradus
 „ Ethnicos ducere ad veri Dei cognitionem . Ita Alea-
 „ der : cuius opera inedita licet brevi lucis usuram adeptura
 „ speramus , attamen pauca hæc , quæ nostrum argumentum
 „ spectant , eruditis veluti prægustanda obtulisse , haud
 alienum duximus .

Tra-

Tradidit præterea fabulosa antiquitas, Mithram *boum furem* fuisse, eosque in speluncam raptos abegisse. Sanè in nostris tabulis, quæ Mithram sub antro bovem cornibus per vim torquentem, infiictoque vulnere veluti prædam mactantem, repræsentant, id expressum designatumque videretur, nisi cetera Symbola mysticum aliquid arcanumque denotari suaderent. Quod tamen Gasparem Barthium in animadversione ad Statii versus, quos inferius profaram, induxit, ut calumniam fingeret Julio Firmico, quem, quòd viderit imaginem Mithræ in antris taurum cornibus ducentis, ideo ait commentum fuisse ipsum furrem & *boum abactorem*. Parcerem viro doctissimo, & conjecturam alucinationis utcumque probarem, si Firmicus id dixisset solus. At Commodianus, post versus superius exscriptos, Ethnicos redarguens hoc ipsum tradit.

Insuper & furem adhuc depingitis esse

Cum si deus esset unquam non furto vivebat.

Terrenus utique fuit, & monstrovora natura.

Vertebatque boves alienos semper in antris,

Sicut & Cacus Vulcani filius ille.

Quòd si aliquem ex Gentilibus id fatentem posceret, Porphyrium profero, doctissimum superstitionis religionis æque ac veræ infensissimum, cui Mithras *boum fur deus* diserte dicitur, in libello de Antro Nympharum apud Homerum pag. 262. inter ejus opera ab Holstenio latinitate donata, & impressa Cantabrigiæ an. 1655. Quod moneo, quia sæpius deinceps erit mihi hic auctor appellandus.

Mithra itaque qui in nostris hisce tabulis, ceterisque antiquæ gentilitatis monumentis frequenter memoratur, cujusque ortum & studia mox retulimus, *Sol ipse* fuit habitus, vel sanè epitheton nomenque, quo *Sol* significabatur. Docet in primis lapis Burgesianus, cui sub ipsâ Mithræ imagine sculpta est epigraphe: *Deo Soli Invito Mithrae*. Plura id genus vetustatis exempla describit

Gru-

Gruterus pag. 33. & 34. quorum hic duo apponam, quod mentionem Spelæi præferant.

I

DEO. SOLI. INVICTO. MITHRAE
FL. SEPTIMIVS. ZOSIMVS. V. P
^{f/c}
SACERDVS. DEI. BRONTONTIS
^{f/c}
ET ÆCATE HOC SPELEVVM
CONS TITVIT

2

SOLI INVICTO MITHRAE
TIBERIVS. CLAVDIVS. TIBERI. F. THERMODORVS
^{f/c}
SPELEVVM CVM SIGNIS ... CETERISQ.
VOTI. COMPOS. DEDIT

Vocabulum hoc & significatio primùm à Persis accepta, quibus *Mithras Sol est*, teste Hesychio, Suida, Strabone lib. XV. pag. 732. edit. Paris. 1620. aliisque. Hinc non malè conjicit Salmasius ad Vopiscum in Aureliano cap. 5. Solem pateræ, quam Persæ Aureliano donaverant, eo habitu insculptum, quo colebatur in eo templo, quo mater ejus fuerat Sacerdos, eundem hunc fuisse Mithram, facie leoninâ, cum tiarâ seu mitrâ. Nam Persæ eo Leonis vultu Mithram colebant, apud Luctatium seu Lactantium veterem Commentatorem Statii, & in ejus sacris multa Leonis mentio. Mithram tamen Medium facit Lucianus in dialogo, quod *Deorum concilium* inscripsit, ubi Momum inducit deastrum hunc barbarum facetissimè ita irridet: *Aut etiam Mithres illæ Medus, qui indumento Persico amictus, & tiarâ redimitus est, neque Græcam vocem sonans, adeo ut si quis illi nectar propinet, præbibentem non intelligat.* At gens utraque, uti sub uno imperio, ita eidem religioni addicta, & ut ait Strabo eod. lib. 15. *Persici mores cum Medis iidem sunt.* Quæ verba oscitanter omissa in memoratâ edit. Græcol. extant apud Casaub. in notis, & in aliâ

aliâ Latinâ. Evidem & origo vocis petenda à Persis, si credimus Scaligero, qui lib. 6. de emendat. temp. pag. 588. *Mithri*, *Mithir*, aut *Mether* iisdem esse *Dynastam* ac *Dominum* scribit. Quò referri poterit testimonium Hesychii, qui *Mithren* apud Persas *περσῶν* *deum* vocari tradidit: *primum scilicet, seu majorem ac si dixeris inter deos Dynastam.* Ad hæc appositè observo inscript. 1. pag. 36. *Mithra aram dicatam, cum ornamentis, & tabellas*, ut corrigit Gutherius, *insignia DOMINI*, nempe ipsius Mithræ, *habentes*. Et Solem seu Mithram passim vocat *Dominum*, & *R̄egem* Julianus orat. IV. Si Persicum vocabulum ad Græcam significationem fas esset traducere, plausu exciperem commentum Tristani Santamantii, qui in præclaro opere Gallico ad Historiam Imperator. explicans nummum Aureliani pag. 245. Tom. 3. Persas ait, Solem (qui Mithra est) vocasse *Kύειν*, hoc est *dominum*, indeque Cyro nomen inditum ex Plutarcho, cuius locus, ab eo non citatus, est in vita Artoxersis. Sed Tristanus de suo addidit, apud Persas vocem *Kύειν* esse *dominum*, nisi eo jubente Græcam civitatem aliquando fuerit adepta: nec Plut. id somniavit. Ceterum quod Mithra præcipuus inter deos haberetur, sollempne Persis erat illius numen juramento contestari, ut de Dario idem Plutarchus in Alex. de Cyro Xenophon in cœconom. lib. 5. & de Tyritate Dio lib. 63. memorant. Ejus verò nominis vestigium hodie quoque inesse libris Persarum, quibus Sol dicitur *Mibr*, testatur Spanhemius in notis Gallicè scriptis ad Cæsares Juliani pag. 317.

Cùm huic lucubrationi fastigium imposuisse, animadverti, Mithræ de statu quæstionem moveri, tanquam Deus apud Persas non fuerit, neque divinis honoribus cultus. Cogor itaque vestigia relegere, & pauca raptim adnotata, nam Typographus à tergo instat, in ejus causam hoc loco attexere. Inter Diaria erudita Amstelodamensia, vulgò *Nouvelles de la République des Lettres*, proximè

ximè elapsi Decembris , hic titulus prostat : *Historia Religionis veterum Persarum , eorumque Magorum . Ubi etiam nova Abrahami , & Mithrae , & Vestae &c. historia . Auctore D. Hyde Linguarum Orientalium in Academiâ Oxoniensi Professore . Egregium Operis specimen duorum capitum brevis conspectus præbet ; nam eruditus Auctor se demonstratum promittit , cultum divinum apud veteres Persas datum fuisse Soli Deo : Mithrae & Igni cultum tantum civilem , & falli contrarium affirmantes : atque Sacerdotum eorum ad hoc responsum : Mithram præterea ab ipsis nunquam vocatum Deum , uti neque Ignem , nec necessitatum petitio- nes eis unquam exhibitas . Nescio quid vir doctus sit prolaturus : at scio equidem disertis verbis inter alios Hesychium , loco jam indicato , tradidisse , Mithram Deum habitum apud Persas , & profectò non vulgarem , sed supremum & maximum . idque non apud vulgus tantummodo , & recenti religione , sed ab antiquissimo tempore , quo scilicet Zoroaster , primus Persarum magister , Mithrae cultum induxit . Ille siquidem antrum in Perside in honorem creato- ris patrisqne omnium Mithrae consecravit ; ita ut conditi à Mithra Mundi figuram præberet ; inquit Porphyrius , alibi productus , ex Eubulo , qui luculentissime de cultu & mysteriis Mithrae scripserat . At quomodo fieri possit non vi- deo , ut Mithra Deus non fuerit à Magis Persarum habi- tus , quem omnium creatorem & patrem mundique opifi- cem credebant . Præterea & Deum putasse , ac in necessi- tatis invocasse palam est , nam mediatorem inter Oromaz- zan & Areimanium , bonum malumque deos , statuebant , eique votivas & pro gratiis agendis oblatas victimas im- molabant , ex ejusdem Zoroastris instituto , teste Plutarcho de Iside , & Osiride pag. 396 . quem locum inferius laudavi . Rursus si Mithra Sol est , ut nemo dubitat , utique Persae Solem unum Deum esse credunt , & equos eidem Deo sacratos ferunt , ait Justinus ex Togo lib. I. cap. 10. De Massegetis , quæ natio fuit Persis contermina , id ipsum tra- dit*

dit Herodotus lib. I. cap. 116. & Strabo lib. 11. pag. 513. Obiter notabo, Vossium eorum testimonia perperam de Persis citasse, lib. 2. de Idololatr. cap. 9. Necessitatum quoque petitiones fuisse exhibitas, ostendit Darius Sollem, *Mithrem, sacrumque, & aeternum invocans Ignem,* dum esset cum Alexandro congressurus, ut militibus dignam vetere gloria majorumque monumentis fortitudinem inspirarent, apud Curtium lib. 4. cap. 50. Ex quo loco & Ignem invocatum discimus, & proinde Deum habitum. Accedit vetustissimum Herodoti testimonium. qui libro 3. cap. 16. *Persæ*, ait, *Deum Ignem esse arbitrantur.* Ideoque & cadavera ab ipsis non cremabantur, quia nefas esse Deo dicebant *dепасци cadavere hominis.* Recentior testis est D. Joannes Chrysostomus in homilia 4. de patientia & tolerantiâ: *Deus apud Persas Ignis esse putatur, ipsumque multo cultu venerantur.* Ut etiam Sidonius Appollinaris, qui in Panegyr. Anthem. v. 84. ait: *Magis juratur ab illo-Ignis & unda Deus.* Necnon Theodoretus lib. 5. hist. cap. 39. & Evagrius lib. 5. cap. 14. ubi Persis ignem Deum habitum prodiderunt. At his non immoror, cum antiquioribus exemplis res sit agenda. Originem religionis repetit Clemens à Nemrothe, qui *Persas docuit ignem colere*, lib. 1. Recognitionum in Bibliothecâ P. P. tom. 2. part. 1. pag. 391. Et lib. 4. pag. 423. hæc subdit: *Busti cineres tanquam fulmine ignis reliquias colligentes hi qui erant primitus decepti, deferunt ad Persas, ut ab eis tanquam divinitus e cœlo lapsus ignis, perpetuis consecraretur excubiis, atque ut cœlestis Deus coleretur.* Lapsum hunc ignem, fociisque sempiternis custoditum memorat Ammianus Marcellinus lib. 23. cap. 6. Foculos vocabant *Pyræa & Pirathæa*, de quibus plurima est mentio apud Scriptores. Adeo autem ceteris Diis Ignem præferebant Persæ, ut unicuique Deo sacrificent, primùm Igni preces faciunt, ut emendavit Casaubonus, nam Xylander *imprecationes verterat*; apud Strabonem lib. 15. pag. 733. ubi & sacrificia Igni exhibita, ejus-

que sacra describit. Nam sacrificiis Ignem apud Persas fuisse cultum, docuit etiam Laërtius in procœmio sub initium. Petitum porrò precationibus ostendit insanus & ridens mos Persarum, cùm ignem ad fluvium delatum mersuros se aquâ minarentur, ni voti compotes fierent, ut narrat Plutarchus de primo frigido pag. 970. Quæ fortasse tantummodo in vulgus credita. Nam facilè assentior, Sapientes Persarum & Sacerdotes non aliter Ignem hunc terrenum divinis honoribus coluisse, nisi quia cœlestem Ignem, nempe Solem, repræsentaret, unde originem duxisse putabant, ut vidimus. Autorem habeo Maximum Tyrium, qui in dissertatione 38. quæ est de statuis Diis dicandis, ait Persas Ignem coluisse veluti *imaginem seu statuam Dei*, unde eos increpat, quod *elemento immanissimo omnium violentissimoque adhæsisserent*, cùm Deum aliis signis repræsentare potuerint. Loquitur Philosophus insuum argumentum, quo conatur ostendere, statuas omnes quas veteres Diis dicabant, positas fuisse, ut Dei memoriā mentibus revocarent. Clemens quoque Alexandrinus admonit. ad Gentes pag. 43. ex Dinone refert, Magos Persarum *sacrificare sub dio, sola Deorum simulacra Ignem & aquam putantes*. Itaque Magi cultum ignis ad Deum referebant. Deus verò non aliis ipsis quam Mithra seu Sol, cuius portio Ignis hic terrenus & *quotidianus*, ut vocat Tyrius eodem loco, credebatur. Quodnam fuerit illud *Sacerdotum responsum à viro clarissimo doceri cupio*. Nisi intelligat de responso regi Perosæ à Magis reddito, cùm ab Euthalitis captivus detineretur, quo videntur comparasse adorationem Regis & Solis. Rem narrat Procopius de bello Persico lib. 1. cap. 3. in fin. Sed non is Magorum fuit sensus. Ceterum cùm non ignorem, plerisque Gentilium sapientibus, tam Græcis quam Romanis, imò & Barbaris, ratione magistrâ patuisse, unum esse Deum, rerum principium & moderatorem, neque in divinitatis consortium corpora creata, Solem, Sidera, hominesque, esse

esse adscribenda; eodem modo & Persarum Magos de Deo cogitasse libenter addiscam. Adhuc tamen & demonstrandum est, publicum cultum Mithræ & Soli tributum, fuisse tantummodo civilem. Nam is non congruit rerum mundique Opifici, qualem Magi Mithram putabant; & sacrificia precationesque divini & lateutrici honores sunt. Ea nihilominus de clarissimi viri doctrinâ opinio mihi est, ut non ambigam promissis liberaliter responsorum, meque in ejus sententiam pleno suffragio concessum.

Quod Solis appellationem spectat, Basilidiani superstitione numerorum resolutione Mithram in Sole quærebant, teste D. Hieronymo in cap. 3. Amos: *Basilides*, inquit, *omnipotentem Deum portentoſo nomine appellat Abraxas, & eundem secundum Græcas literas & annui cursus numerum, dicit in Solis circulo contineri; quem Ethnici sub eodem numero literarum vocant MITHRAM*. Abraxas Græcis literis redditus statim producit numerum 365. quot diebus cursus Solis completur. Non ita Mithra, quem Hieronymus Latinis literis & inflexione concludens, negotium curiosis facessivit. Siquidem Joannes Macarius de Abraxis num. 3. ex Græca voce MIΘPHΣ efformans numerum 365, necesse habuit tribuere θ numerum 8. & η numerum 7. contrà rectam numerandi rationem. Kircherus Oedypi Ægyptii part. 2. tom. 2. class. XI. cap. VI. felicius Mithram hisce elementis Græcis extulit, quibus ad amissim respondet numerus 365. simul & Abraxas resolutum in numeros conspicies.

$$\begin{array}{ccccccc} M & E & I & Θ & P & A & \Sigma) \\ 40 & 5 & 10 & 9 & 100 & 1 & 200) \\ & & & & & & 365 \end{array}$$

$$\begin{array}{ccccccc} A & B & P & A & Σ & A & \Sigma) \\ 1 & 2 & 100 & 1 & 60 & 1 & 200) \\ & & & & & & 365 \end{array}$$

Mithra quoque Solem monstrat in gemmâ , quæ contra Solem variè refulgens Mithrax Persis appellabatur , teste Plinio lib. 37. cap. 10. Vulgati codices legunt Mitrax absque aspiratione , quam reponendam rectè censuit Salmasius in exercitat. ad Solinum pag. 712. Ipsi Solino Mithridax mendosè dicitur , uti adnotavit idem celebris Criticus .

Præterea Gentiles per symbola Mithræ physicas Solis affectiones expresserunt . Illustræ exemplum præbet marmor Burghesianum in parte inferiori secundæ nostræ tabulæ delineatum , in quo Mithra ,(si Mithram esse consentias , ut superius monui) vulnus Tauro intentans , alatus repræsentatur . Solis enim simulacra veteres pinnata fingebant , quæ res monstrat ejus velocitatem , inquit Macrobius lib. 1. saturn. c. 19. & Martianus Capella de nuptiis Philolog. pag. 20. pinnata vestigia eidem tribuit . Èodem recidit puer , qui cùm diem figuret face elatâ , merito fugientia tempora alis indicare conjicias . Cuperus in Harpocrate pag. 34. ectypum juvenis alati producit , quem Mithram esse arbitratur . Solem libenter fatear eo symbolo expressum , non Mithram : cum ex ejus signis , præter tiaram capitis , nullum ostenter . Nam sub diversis figuris diei lucisque dispensator pingebatur . Hinc licet Solem dicat numisma Melitense apud Sponium libro Gallicè inscripto Recherches curieus . d' antiq. dissertat. 28. cùm juvenem alas quatuor humeris gestantem præseferat ; non tamen Mithram , ut ipse cum amico , qui sibi ejus copiam fecerat , opinatur , monstrare crediderim . Quippe tiara seu mitra bifida & superne secta in acumen desinens , ad modum prorsus episcopalis phrygii , quâ caput ornat , non convenit Mithræ , qui Persicam mitellam , qualem in nostris tabulis conspicimus , sibi vult . Præterea juvenis ille sinistrâ flagrum , dexterâ baculum seu sceptrum gerit , quibus insignibus Sol quidē , sed sub nomine Abraxas seu Jao depingi solet , ut videre est in quamplurimis gemmis Maca-

Macario & Chiffletio allatis . Nonnulla Imperatorum nūmismata Solem flagello armatum exhibent . *Alis* etiam ea imaginum portenta donantur , ut in gemmā Chifletianā secundā . & Harpocrates , qui Solis significationem assertam eidem doctissimo Cupero debet , in alatam effigiem consurgit . Attamen nemo suspicetur , me communionem significationis & rei velle discindere , cūm Mithram , Abraxam , Harpocratem , & si quæ sunt alia vesanæ superstitionis ejusmodi monstra , inter se difformia & diversa pronunciavi . Nam id intelligendum ratione habitā ad varios gentium popolorumque mores & ritus , quibus Numen unum idemque frequenti nominis & appellationis diffensu colebatur . De Sole accommodè ad rem nostram hæc habet Capella lib. 2. de nupt. Philologiæ pag. 43. edit. Plantin. 1599.

*Te Serapin Nilus , Memphis veneratur Osirim ,
Diffona sacra Mitbram , Ditemque serumq; Typhonē.
Attis pulcher item , curvi & puer almus aratri ,
Ammen & arentis Lybies , ac Biblius Adon.
Sic vario cunctus te nomine convocat Orbis .*

Unde apud Nonnum in Dyonisiac . lib. 40. vers . 405. Mithra , seu Phaëton πολυώνεμος multinominis dicitur . Quod etiam de Iside tradidit Appulejus in Milesiis seu Metam . lib. 11. pag. 241. cuius numen unicum , multiformi specie , rito vario , nomine multijugo totus veneratur orbis . Exempla aliorum deūm passim repieres . Nec ideò tamen minus recte , ni fallor , prædixi , imaginem & effigiem , quā Abraxas , Harpocrates , & similes repræsentantur , eam ipsam Mithræ non esse , licet omnes ad unam Solis significationem revocentur , & ob hanc rursus naturæ communionem etiam inter se conferri , & alter alterius notionem induere possit .

Nimirum hac quoque viâ evolves difficilem locum , qui crucem eruditis imposuit , apud Herodotum lib. 1. cap. 331. ubi ait: *Vocant autem Assyrii Venerem Mylittam , Arabes*

bes eandem Alitam appellant, Persæ Mitram. Ex quo fortasse hausit D. Ambrosius lib. 2. contra Symmachum p. 840. T. 2. Editionis P. P. Benedictinorum: Cum Cœlestem Afri, Mithram Persæ, plerique Venerem colunt, pro diversitate nominis, non pro numinis varietate. At Strabo lib. 15. pag.

132. Mithram apertè vocat solem, deamque ab eo distin-ctam apud Persas Venerem facit; Colunt Solem, quem Mithram vocant, item Lunam, & Venerem. Et veteres penè omnes non alium quam Solem fuisse Mithram apud Persas pronunciant. Petrus Faber Semestr. lib. 3. cap. 2. pag. 35. cùm in textu Græco Herodoti observasset scribi *Mitram* absque aspiratione, eandem lectionem esse quoque reponendam apud D. Ambrosium asseverat. Ita ut Persæ *Mithram* & *Mitram* coluerint: Deum Solem, Deamque Venerem. At lubricum iter pergit doctus vir unius literulæ, imò aspirationis, indicio. Barthius ad Statium pag. 249. Herodotum ceteris contradicere negat, sed Persas, ait, masculo Soli etiam feminam deum Mithram adjecisse, cum non sit verisimile in sexu tam crassè errare ipsum potuisse. Huc recidit sententia Thomæ Gatakeri, qui in Adversariis miscellan. cap. 21. pag. 238. existimat apud Persas Mithræ nomen & Soli & Veneri tributum fuisse, sed de illo formâ masculinâ usurpari consuesce, de ipsâ feminine. Unde Herodoto pro linguae suæ ratione nomina effermannati Sol *Mithras* seu *Mithres*, Venus *Mithra* sive *Mithre* dicta fuerit. Rem hanc disquirendâ relinquit Cuperus in addendis ad Harpocratem pag. 53. Animadvertebam utrumque Scriptorem, Herodotum & Strabonem, eadem fermè de Persarum religione tradidisse. Ille enim in hunc fermè modum loquitur: *Persis neque statuas neque tempла, neque aras extruere consuetudo est.* Et post pauca: *Editissimis montibus Jovi hostias immolant, omnemque gyrum Cœli Jovem appellantes. Soli, Lunæque sacrificant, & telluri, igni, aquæ, atque ventis. Uraniae quoque sacrificant, sic nimirum ab Assyriis, Arabibusque edoceti.* Vocant autem *Affy-*

*Affyrii Venerem Milittam , Arabes eandem Alitam appellant , Persæ Mitram . Verba Strabonis hæc sunt : Persæ nec statuas , nec aras erigunt : sacrificant in loco excelsa : Cœlum Jovem putant , colunt Solem , quem Mithram vocant ; item Lunam , & Venerem , & ignem , & tellurem , & ventos , & aquam . Rursus eundem Stabonem in Perside fuisse versatum notavi , religionemque Persatum curiosè pervestigasse . Nam paucis interjectis lineis , describens eorum sacra & ritus subdit : *Ista nos vidimus* . De Herodoto id compertum non habemus , sed ex Græcis scriptoribus , quæ de Persis scripsit , sumpsiſſe videtur , uti observat Gatakerus , qui & lingua Persicæ ignorantiam in ipsum effundit , plura ab eo errata recensens . Potior itaque fides Straboni testi oculato esse debet . Qui dum Venerem Persis cultam refert , non omisisset , eam quoque Mithram vocatam docere . At Herodotus cùm vulgatissimam apud Persas Solis appellationem silverit , vero admodum simile est , memoriâ lapsum , vel falsâ traditione deceptum , Mithræ nomen , quod Solis erat , Veneri tribuisse .*

Ad Solem itidē eū cœctuſſe oportet , cùm narrat lib . 7 . cap . 37 . Xerxe in Græciam exercitum ducente , Solem subito sereno cœlo disparuisse . Quod ostentum cùm Rex à Magis quæſiſſet , quid portenderet , illi , inquit , responderunt , *Deum significare Græcis civitatum defectionem* , quod dicerent , Solem Græcorum , Lunam ipſorum (Persarum) effe præſidem . Etenim nihil profectò certius est , quam Solem , non Lunam Persis summum deum præſidemque stetisse . Imò ipſemet Herodotus mox recitatus digniori loco apud Persas Solem collocat . Sanè vel comicus Aristophanes historici lapsum coarguit . Cùm enim tempore belli Peloponnesiaci Sol & Luna defecissent , inducit Trygæum vinitorem , qui grande arcanum Mercurio aperiens , Solem & Lunam , ait , propitia Persis , à quibus colebatur , numina consilia in necem aliorum deorum agitasse , ut perditâ deletâque Græciâ ceteris numinibus sublatiſ ſibi ſolis

lis cultus haberetur . Verba ipsa lepidissima ex Comœdiâ , quæ Irenes seu Pax inscribitur , pag. 649. edit. 1607. hic in scenam producam .

TYG. Nam Luna jam pridem atque Sol nefarius
Consilia vestrum moliuntur in caput ,
Qui Græciam omnem prodiderunt Barbaris .

MERCVR. Quidnam ista faciunt? TR. Quod solemne ,
per Jovem ,

Litare vobis subque placare , ijs solent
Volutique Barbari : inde iure postulant
Omnes semel nos funditus perbitere :
Quo nempe sacra cœlitum cedant sibi .

MER. Ergo dierum hinc illa diminutio ,
Et prava detritæ orbitæ aurigatio .

Quòd si adhuc rem salvam velimus Herodoto , Mithra esse non potuit Venus , ut paullò ante memorabam , nisi participatione virtutis , & similitudine potestatis , quâ Venus quoque rerum genitrix , uti mox exponam , fuit habita ; ideoq. eadem res ac numen cum Mithrâ seu Sole censemebatur . Quæ explicatio lucem affundit Julio Firmico de errore prof. religion. cap. 5. ubi hæc ex Persarum doctrinâ profert : *Hi itaque Jovem in duas dividunt potestates , naturam ejus ad utrumque sexum transferentes , & viri & feminæ simulacra ignis substantiam deputantes : & mulierem quidem triformi vultu constituant , monstrosis eam serpentibus illigantes . . . Virum vero abactorem boum collentes , sacra eius ad ignis transferunt potestatem . . . Hunc Mithram dicunt . Femineam hanc potestatem triformem , Lunam fuisse vel Isidem , inferius ostendam . Rursus patet , utroque nomine etiam Venerem fuisse appellatam . Quare Herodotus unam ex his potestatibus , feminam scilicet , potuit Venerem indigitare , eique ob virtutis communionem cum viro , qui altera socia potestas Firmico est , idem quoque Mithræ nomen affigere . Et verè utraque cùm*

cum ad ignis communem substantiam referatur , eadem censeri poterat . Ipseque ignis nil aliud quam Sol , fons luminis & caloris , à quo generationum omnium est principium . Porro Jupiter , ut rerum auctor , in duas hasce dividitur potestates , quia Sol ad ipsum refertur , ex Oraculo apud Julianum Orat . 4 . pag . 254 . edit . Petavii an . 1630 .

Unus Juppiter , unus Pluto , unus Sol est Serapis .

quo nomine & Venus generationis præses , seu Luna , sive Isis in idem consortium assumitur . Hinc quoque hæsitare desinat Nicetas , qui sibi dubius , quodnam numen Mithra fuerit , hæc ait ad Steliteuth . i . Nazianzeni ; *Mithram alii Solem , alii renem ignis , nonnulli peculiarem quandam potestatem esse volunt .* Nam quodcumque ex his Mithram esse putas , sub diverso nomine rem eamdem invenies . Ceterum non is scrupulus est Eliæ Cretensi & Nonno , qui in scholiis ad eundem Nazianzenum alibi producendis diserte Mithram Solem asserunt .

Quocumque igitur rem vertamus , nil tandem *Mithra* nisi *Sol* est , vel potestas aliqua ad Solem referenda , ubi alio nomine & appellatione notatus reperiatur . Quare cogor discedere a Cl . Muratorio qui ad vers . 112 . postremi poematis S . Paulini , quod cum aliis , duos ab hinc annos , maximo literarum bono , ex Bibliothecâ Ambrosianâ in lucem protulit , & eruditis annotationibus exornavit , fretus testimonio Nicetæ & Firmici , in saxo Gruteriano pag . 22 . num . 12 . D . I . M . ET . SOLI SOCIO . SAC . nempe *Deo Invicto Mithrae & Soli socio sacrum* , arbitratus est , Mithram aliud numen esse à Sole diversum , non ipsummet Solem tanquam alienigenam , ut parum rectè , inquit , opinatur Reinesius ad inscript 48 . Class . i . Dixerat doctus hic Auctor , singulare esse hominibus Romanis Mithræ tanquam extero à Persis accepto , Solem veluti proprium & indigenam jungere , quasi diceretur σύνθετος σύνναος . Quæ vocabula explicò , *Affessor* , seu in eodem throno sedens , & in eodem templo cultus . Nec sanè ita malè Reinesius .

sius . Potuit enim Romanus ille, qui lapidem exsculpfit, ob nominis differentiam , alium populari opinione Mithram à Sole putare . Cùm verò sciret etiam utrique eandem inesse potestatem & consortium religionis, idcirco socios eos appellavit. Quâ profectò ratione Julianus Imp. in orat. 4. mox indicata , Apollinem vocat Solis *assefforem* σύνθετον pag. 269. & pag. 285. *regni consortem & SOCIVM συμβασιλεύω* uti has voces vertit ejus interpres Petavius . Quia Apollo idem est cum Sole physiologicè, ratione potestatis & significationis, diversus fabulosè , & ut deus animalis , quâ de re nos fusi in dissertatione de Beleno.

At quid si literas illas singularias alio modo explicando, litem omnem & scrupulum , quamvis cum Mithræ injuriâ succidamus? Mihi sanè arridet hæc lectio: *Dæae Isidi Matri & Soli socio sacrum* . Isis celebre & æquè insatum numen apud Ægyptios fuit , in Romanam Urbem, omnium gentium superstitioni servientem , inveatum , uti omnes norunt. Passim cum Serapide junctâ religione colebatur, ait Macrobius in fine cap. 20. lib. 1. Saturn. idemque produnt gemmæ utriusque effigie scalptæ , apud Chiffletum num. 112. 113. & 114. & nummus Juliani Imp. apud Oiselium tab. 47. nu. 7. Pausanias in Corinthiacis pag. 151. memorat erectum Serapidi & Isidi fanum; ut & Romæ quoque aderat. Porrò Serapis idem omnino est ac Sol , ut sèpius docet Macrobius eodem capite , & versus Oraculi apud Julianum , quem paullò ante exscripsi. Rectè igitur Sol, qui Serapis est, *Socius Isidis in lapide* , quem exponimus, appellatur. De nomine *Matri Isidi attributo* non est cur ambigamus . Siquidem expressis verbis apud eundem Reinesium Class. 1. inscript. 213. legitur: ISIDI. MATRI. Quod nomen ideò tributum , quòd *Isis Terra sit & natura rerum*, ex eodem Macrobius capite & sequenti, Julio Firmico in libello sèpius citato , & Isidoro ex Servio lib. 8. cap. 11. Terra autem passim rerum omnium *Mater* vocitatur, ut in lapide 38. Class. 1. apud Reinesium, & *Terra*

rae uni rerum naturæ partium . . . nomen indidimus maternae venerationis, ait Plinius lib. 2. cap. 63. Quamobrem fortasse in Gruteriano epigrammate pag. 82. num. 2. *I/s* dicitur *Dea quæ est omnia*. Igitur ex ea inscriptione nihil proficit Muratorius, ut Mithram à Sole sejungat. Allata ab eo Herodoti & Nicetæ testimonia jam exposui.

In veterum monumentis frequentissimè & penè individuâ appellatione Mithra vocatur INVICTVS. Binas inscriptiones jam dedimus ex Grtero, qui alias profert pag. 33. apud Reinesium quatuor extant Clas. 1. à num. 45. Plerumque Soli jungitur hoc modo: SOLI INVICTO MITHRAE. Quod nomen utrique alligatum invenies. Nam Sol idem ac Mithra. Huic solitariè tributum docuit Commodianus, & Julianus Imperator, pluresque inscriptiones. Soli autem monstrat inscriptio 236. Clas. 1. apud Reinesium: SOLI. INVICTO. PACIFERO. In nummis Gallieni, Quieti, Aurelianii, Probi, aliorumque Imperatorum, Sol gradiens specie juvenis, vel in quadrigis, aut capite radiato, nudus, dexterâ elatâ, sinistrâ globum gestans, cum stellâ, & epigraphe, SOLI INVICTO, repræsentatur. Non semel solus titulus cūsus, ut in numismate Victorini, in quo juvenis eodem typo ac in alijs, nisi quod sinistra flagrum quatit, cum inscriptione INVICTVS. Immo & Imperatores ipsi Invicti nomen usurparunt, quorum eruditum indiculum texit Cl. Bonarota in suo numismatum præclaro opere pag. 359. Tradit Reinesius ad inscriptionem postremo loco laudatam, nomen hoc Soli tributū fluxisse ab illo Homeri & Hesiodi ἡλιός, ἀνάπτως, ἀνάπτωτος, quod continent laborans laborem non sentiat: vel quod nunquam in suo cursu vixit vel interceptus fuerit. Vnde Tristanus tom. 3. pag. 54. ait, Imperatores cūsis his nummis, sibi auguratos esse, Solis præsidio, eandem felicitatem adversus hostes. Id illustrat exemplum Aurelianii, qui templum Solis Heliogabali Emessæ situm maximis donis ornavit, quia illic eam formam numinis reperit quam in bel-

lo sibi faventem vidit, inquit Vopiscus in vitâ cap. 25. Aliam caussam appellationis alibi attingam. At de his haec tenus.

C A P U T III.

Progressus ad symbolorum interpretationem, quæ singula ad rerum generationem & cōservationem referri ostenditur. Mithra Tauri cornua contorquens, & cur sub Antro? Sol seu Mithra siderum moderator. Locus Porphyrii productus & illustratus. Quid Mithra fur boum? Taurus Lunam figurat, quæ cum Sole vires socias habet; unde explicatur vetustum simulacrum, & locus Julii Firmici. Taurus signum Veneris, quæ eadem ac Luua & I/sis: eo etiam Terra designatur. Quid Mithra Taurum feriens, & animalia sanguinem lambentia?

 *UM Mithram esse Solem jam constet, ad tabulæ explicationem progredior, quæ ipsius Solis lumine perfusa & illustrata symbola in obscurò arcanæ significationis latentia in conspectum educit & prodit. Nam statim GENERATIONEM rerum iis figurari contendô, Mithræ Solis vi & potestate cuncta ad productionem agente, & vivificâ virtute fouente conseruationem. Primum itaque MITRHA & TAVRVS sub antro occurunt, cuius ille, specie juvenis, cornua per vim torquet. Rem hanc, non secus atque sculptor in lapide, nobilissimus Poëta Statius versibus expressit in fine libri primi Thebaidos, ubi Adrastus Solem inuocat variis nominib[us] appellatum.*

*Adsis ò memor hospitii, Junoniaque arva
Dexter ames: seu te roseum Titana vocari
Gentis Achemeniæ ritu: seu præstat Osirim
Frugiferum: seu Persei sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua MITHRAM.
Hunc*

Hunc locum Lactantius, aliis Luctatius vetus Statij interpres, ineunte hoc seculo ex Bibliotheca Francisci Pitthoci editus, ita explicat, ut prorsus ad nostram tabulam illustrandam scripsisse videatur. *Perse*, inquit, *in spelæis coli Solem primi invenisse dicuntur.* Et hic Sol proprio nomine vocatur Mithra. *qui eclipsem patitur, ideoque intra antrum colitur.* Est enim in spelæo Persico habitu, Leonis vultu cum tiarâ utriusque manibus bovis cornua comprimens, quæ interpretatio ad Lunam dicitur. Nam indignata sequi fratrems occurrit illi, & lumen subtexit. Sol enim Lunam minorem potentiam suam & humiliorem docens taurum insidens cornibus torquet, quibus dictis Statius Lunam bicornem intelligi voluit. Profectò in spelæo jacentem Mithram & nostæ tabulæ repræsentant. Perperam Pierius Valerianus Hieroglyph. lib. 3. qui alios etiam seduxit, putavit bovem cornibus arreptum eductum fuisse ex antro in sacrificium; atque in id detorquet versus Statii proximè recitatos. Addit Marianus Victorius in Notis ad S. Hieronymi epistolam 7. & contra Jovinianum lib. 2. taurum excantatum carminibus à Sacerdote ex antro prodiisse ad victimam. Nemo veterum id docuit. Alia siquidem & magis arcana ejus rei fuit ratio, quam modò indicabam, & nunc uberiùs explicare pergo, Porphyrius in libello de antro Nympharum gag. 254. Zoroaster, ait, *primus omnium montibus Persidi vicinis antrum nativum floridum fontibusque irriguum in honorem creatoris patrisque omnium Mithræ consecravit.* Ita ut antrum conditi à Mithra mundi figuram ei præberet: ea vero quæ intra antrum erant certis invicem intervallis disposita, elementorum climatumque mundanorum symbolæ seu figuræ gererent. Insana hæc mendacia & commenta, apud Gentiles Mithræ rerum creationem tributam ostendunt. Postrema verba illustraveris ex Origene, qui lib. 6. contra Celsum, *Mithræ sacris, inquit, apud Persas duplex stellarum circumactio prætenditur, affixarum & erronum, & per has animarum transitus.* Ideo scala erigitur in

in septima portæ aditu . Pergit portas enumerare , atque alia ad symbola Porphyrio indicata fortassis pertinentia . Porrò & in antris sacra Mithræ agebantur , plane non nisi ex Zoroastris instituto , & in argumentum rerum generationis & creationis Mithræ attributæ . At de his alibi .

Ceterum ut Lactantii interpretationem illustremus , Sol seu Mithra Lunam , cuius exaltatio est Taurus , notante Porphyrio pag . 262 . indignantem sequi , trahit veluti cornibus apprehensam , & motu suo moderatur , non secus ac alia sidera . Unde Claudianus lib . 1 . de laudibus Stilicinis ait :

Et vaga testatur volucentem sidera Mithram .

Et egregie Martianus Capella de nupt . Philolog . lib . 2 . pag . 53 . de Sole loquens :

*Nam medium tu curris iter , dans solus amicam
Temperiem superis , compellens atque coërcens
Sidera sacra deûm , cum legem cursibus addis .*

Hinc Sol Ciceroni in somn . Scipionis dux , princeps , & moderator luminum reliquorum vocatur . Quem locum explicans Macrobius cap . 20 . hæc scribit ; *Moderator reliquorum dicitur , quia ipse cursus eorum recursusque certâ spatii definitio moderator . Nam certa spatii definitio est , ad quam cum unaquæque erratica stella recedens à Sole pervenerit , tanquam ultrà prohibetur accedere , agi retrò videatur , & rursus cum certam partem recedendo contigerit , ad directi cursus consueta revocatur .* En aberrantis Lunæ aliorumque luminum conatus à Solis vi & potestate subactos & perdonitos . Ideo INVICTI nomine passim , ut diximus , donatur Mithra & Sol ; & apud Persas Leonino vultu effingitur , quod hic deus , ait Lactantius , ceteros sui numinis & potentiae impetu excellat , ut inter ceteras feras Leo . Mithram , Leonis vultu apud Persas , dum Romani in suam religionem invexissent , satius duxerunt in humanam effigiem mollire , ut videmus in nostris tabulis : neque tamen Leonina symbola in ejus sacris neglexerunt , ut postea explicabo .

Ex

Ex hac Solis & corporum cœlestium pugnâ , omnia in sublunaribus generantur , efficiente caloris vi & potentia. Nam & *Mithra* aliquando ignis appellatur apud Q. Curtium , qui de Dario loquens ait lib.4. cap.50. *Solem Mithrem sacramque invocans ignem* , quasi hæc omnia unum sit numen & res eadem . Et Firmicus *sacra ejus* , inquit , ad ignis transferunt potestatē . Ideo de petra natum dixerat Comodianus , quo nihil aliud significari nisi ignem è silice excusū, ex Aleandro supra monuimus. Et sane omnia , quæ Mithræ tribuuntur symbola, ad rerum GENERATIONEM referri docet Porphyrius p.265, ubi describens animalium generationem, earumq; ascensum & descensum per portas cœli variè apud Romanos & Ægyptios acceptas , subdit hæc verba , quæ mirè tabulas Mithriacas illustrant: Quocirca Mithræ peculiarem sedem juxta æquinoctia attribuerunt: Ideo Arietis, Martii signi, gladium gestat, vehiturque TAURO signo Veneris ; nam Mithra aequa ut Taurus AVCTOR PRODVCTORque rerum est , & GENERATIONIS dominus. Concinunt quæ de Sole, quem Mithram etiam appellat , disserit Julianus orat. 5. pag. 322. ex versione Petavii : in primis quod à terrâ Sol trahat omnia, quod ea velut fomento quodam & admirabili calore suscitet ac vegetet . Idque moliri Solem subdit per arcanam corporisque prorsus expertem ac divinam sinceramque radiis illius incidentem naturam, fierique in mundo nostro tum soleat, & dies esse longior nocte , quando Arietem permeare rex Sol incipit. Latentem & occultam hanc Solis generandi virtutem ut exprimerent mythologi , Mithram boum furem finxerunt, quod scilicet clanculum GENERATIONEM promoveat, inquit Porphyrius pag. 262. Nam quemadmodum quod agunt fures, clam agunt, ita vivificus & genitalis calor sensim permeans , rerum generationem furtim & latenter promovet . Porrò bos quoque ad generationem pertinet, nam ex eo procreantur apes, quæ sunt animalium symbola, ut pergit differere idem Philosophus. Si vero velimus ad Taurum in

in nostris tabulis expressum iterum respicere , eo nomine *Lunam* vocatam ait, GENERATIONIS praesidem . Nam Luna cum sit bicornis , ut dixit Luctatius , Tauro significatur . Unde Orpheus in hymno Diana , Bovis cornua Lunæ fuisse gratissima scripsit ; & in nummo Caracallæ apud Patinum de numism. Imp. pag. 296. Luna vehitur bigâ , quam gemini Boves trahunt ; idcirco *Boum agitatrix* dicta Nonno in Dionysiac. lib. 8. Immò *Hecate*, quæ Luna est, *Tauri* nomine fuit appellata , inquit Porphyrius de abstin. lib. 3. cap. 17. Hinc duo hæc *Mithra* , & *Bovis* symbola in nostris faxis, Solis, & Lunæ efficientiam declarant, qua cuncta generantur & conservantur & utriusque beneficio , ait Macrobius in somn. Scip. lib. 1. cap. 19. *hæc nobis constat vita, quâ fruimur. Quem inter hæc coelestia lumina nexus & societatem , ad rerum perpetuitatem significandam , produxit antiquitas in illustri simulacro , quod delineatum exhibet Spanhemius in notis Gallicè scriptis ad Cæsares Juliani pag. 460.* Mulier ueste longiori stans, dexterâ puerum radiatum sustinet facem manu præferentem , sinistrâ puellam Lunulâ bicorni capiti insidente pariter cum face , peplo seu velo à dexterâ ad sinistram supra caput ipsius mulieris circumvoluto, ita ut circulum quendam constituat . Subiecta est inscriptio , quam nusquam antea editam clarissimus Auctor profert pag. 485, eamque hic libenter exscribo, quod novum sit Mithræ monumentum .

M. POPILIVS. M. F. OVF. LVPERCVS. SACERD
D. SOL. INVICT. MITHR. ET LVNAE
AETERNAE. VOT. SVSCEP. L. M

Eâ mulieris figurâ Æternitatem designari ait vir doctissimus . Sanè reperio in nummo Hadriani apud Oiselium tab. 105. num. 8. eâdem planè formâ mulierem stantem, alterâ manu Solem, alterâ Lunam præferentem , cum inscriptione : AETER. AVG. & tab. 106. num. 4. mulier simili prorsus specie velum ad caput in orbem circumvoluit ,
adje-

adjectâ epigraphe : AETERNITAS . Hinc apud Gruterum pag . 32 . 9 . extat saxum , AETERNITATI . SACR . SOL ET LVNAE . Nam veteres Ævum designantes , Solem & Lunam pingunt , quod aeterna sint elementa , ait Horus Apollo in Hieroglyph . in princip . Circulum vero Aeternitatem monstrare , satis est notum . Ita Mithra & Luna , quorum Sacerdos erat Popilius , sociâ virtute cuncta generando & conservando , rebus omnibus , ut erat falsa quo runderam antiquorum opinio , Aeternitatem inducunt . Recte haec quidem : at liceat aliam interpretationem afferre . Mulier Juno est , aerem figurans ; nam Juno ipsa est aer Poëtis , qui ut eleganter ait Firmicus , effeminarunt hoc elementum . In aere collocata sunt duo lumina , Sol & Luna , ideo Junonis manibus imposita . Supra aerem cœlum , in gyrum protensum , velo seu peplo Junoni circumducto , (nam & Juno peplum gestat apud Martianum lib . 1 . pag . 18 .) designatur . Ideo & Cœlum dictum Templum , ait Varro lib . 5 . ob concavam convexitatem , templorum concamerationi similem . Servius ad illud Æn . lib . 1 . vers . 507 . mediâ testudine templi , testudine inquit , camerâ incurvâ , vel fornicatâ , quæ ideo sic fit , ut simulacro cœli imaginem reddat . Et ad formam hanc in gyrum ductam respexit Regius Vates , cum inquit Ps . 103 . v . 2 . qui extendis cœlum sicut pellem ; ad modum scilicet tentorii militaris incurvi , quod pellibus tegebatur . Hinc idem Varro lib . 6 . de ling . Lat . cœlum cortinæ Apollinis assimilat . In plerisque nummis antiquis haec cortina exhibetur modò formâ sphæræ dimidiatâ , modò veluti sphæra integra . Demum hanc interpretationem dígito monstrat Porphyrius in saepius laudato libello pag . 259 . antiqui , ait , ipsum cœlum PEPLVM vocarunt . Itaque velum seu peplum simulacro aeris seu Junonis circumdatum cœlum ipsum est . Quod ideo sub figura veli expressum , ut denotaretur à cœlo corporum generationem & conservacionem , Sole & Lunâ agente , derivari ; unde Homerus dixit , Nymphas in Antro texere purpureas telas ; ut interpretatur

eodem loco Porphyrius, qui subdit, ea de causâ ab Orpheo Proserpina, omnium ex semente nascentium præses, telam texens inducitur. Quare Popilius eo simulacro Mithram & Lunam, omnium in mundo tām cœlesti quām terreno generationum auctores, potuit designasse.

Eandem Mithræ & Lunæ sociam virtutem contexere veteres sub iis geminis utriusque sexus potestatibus, in quas Jovem divisisse diximus ex Firmico. Virum aperte Mithram coguovimus. Mulier vero triformi vultu quid aliud est quam Luna, triformis passim appellata? Subdit Firmicus, monstrosis eam serpentibus illigasse. In tabulâ Mithriacâ apud Marlianum lib. 7. Topograph. Urbis visitur figura mulieris alata, quam serpens à pedibus ad humeros circumambit: eademque extat in schemate Mithræ Burghesiano, quod delineatum profert Begerus in Spicilegio antiquo pag. 97. Quis statim non sibi persuadeat, hanc ipsam esse mulierem Firmici monstrosis serpentibus illigatam, quæ cum sociam habeat potestatem cum Mithrâ, ideo in ejus tabulis repræsentetur? Huc referas, quod Hierapolitani juncta Solis simulacro statuunt signa feminarum, quæ cingit flexuoso volumine draco, ait Macrobius lib. 1. Sat. cap. 17. In gemmâ abraxeâ 57. apud Chisletium extat monstrum triformi facie manibus serpentes gestans. Quidquid hoc portentosum simulacrum fuerit, certè in speciem nostri effictum appetet. At in tabulâ Bembinâ serpens Isidis capitî est impositus. Ejus tabula eruditus explanator Pignorius pag. 26. docet ex Æliano lib. 10. cap. 32. Ægyptios Isidis simulacula serpentibus coronasse. Unde Flaccus lib. 4. Argon. de Iside canit:

— — — — — Et procul *fo*
Spe~~c~~tat ab arce Poli jam Divis addita, jamque
Aspide cincta comas, & ovanti persona sistro.

Et nummus apud Oiselium tab. 47. num. 6. duas Isides alatas aspidem in capite cum caudâ sinuosâ versus tergum habentes, repræsentat. Alas gestat etiam mulier in tabula

Mi-

Mithræ. Porrò Isis apud Ægyptios Luna est, uti mox dicemus. Quod si velis Lunam ipsam, seu Dianam serpentibus implexam spectare, adcas Pausaniam in Arcadic. Duas ergo illas potestates Firmici, Mithram seu Solem & Lunam esse constat. Quæ cum ad ignis substantiam deputentur, eodem auctore, patet iis inesse GENERATIONIS significationem, quæ vi caloris perficitur.

At rursus Porphyrius dixerat verbis supra recitatis, Mithram TAURO signo Veneris vechi. Quo fortasse respexit ad commercium, quod Venus habet cum Mithrâ; in quem sensum explicavimus Herodotum, & D.Ambrosium. Ex hoc verò consortio & nexus omnium genitrix & parens Venus est, sicut de eâ scribens philosophatur Julianus orat. 4. pag. 281. Cælo temperiem optimam inducit: terræ fecunditatem affert: non minus & animalium propagationi perpetuitatem tribuens. Cujus ita penes regem Solem caussa est primaria, ut in ejus quoque COMMUNIONEM Venus adsciscatur; est enim ut pag. 287. subdit, Solis administra & cognata. Quippe cum signum illud Veneris Taurum Sol scandit, depulsâ hieme & nivibus, germinatio & fecunditas terræ promovetur, & omnia, quæ ipsa continet, aperire se in germe incipiunt, ait Macrobius lib. 1. SATURN. cap. 12. ubi addit, apud Athenienses ἀρθεσηὶ Aprilem vocari, eo quod hoc tempore cuncta florescant. Hinc, puto, Venus physica dicitur in inscriptione apud Reinesium Class. 1. nu. 18. quod præcesset rerum naturalium generationi. Nec quispiam, quod nunc Venerem sub Tauri symbolo, superius Lunam latentem dixerimus, dissona & pugnantia obtrudere nos arguat. Nam Phylocorus apud Macrobius lib. 8. SAT. CAP. 8. Venerem eandem esse Lunam affirmat; & utraque non femina tantum, sed mas quoque putabatur. De primâ testantur Calvus & Lævinus eodem Macrobiî loco, unde & apud Cyprum ejus simulacrum barbatum colebatur. Lunam appellatam Lunum, mareisque deum mysticè dici, auctor est Spartianus in Caracalla c. 7. ubi videas adnotata

à Salmasio , & Tabulam Palmyrenam Sponii Atiquit. erudit.cap. i. Luni effigiem dabit nummus Antiochenium apud Platinum de numism. Imp.in Antonino pag. 218. Imò, quæ est fabularum inconstantia , vel apud varias gentes diversa rerum physicarum interpretatio , & deorum dispar acceptio , sub Bovis vel *Tauri* symbolo figuratur *Isis*, quæ eadem est ac *Luna* & *Terra* Plutarcho , Macrobius, & ceteris veterum Mythologis. *Isis* vero naturæ ea pars est, inquit idem Plutarchus de *Iside* & *Ostid*. pag. 372. editionis Paris: Græcolat. que quasi feminea omnes in se recipit ortus , tanquam nutrix quædam & omnium commune receptaculum. Et Macrobius lib. i. Sat. cap. 20. dicitur natura rerum subiacens Soli . Hinc Taurus substratus est Mithrae in tabulis . Quocunque igitur pergamus , sive *Taurus* Mithriacæ Tabulæ *Luna* sit , sive *Venus* , sive *Isis* , vel *Terra* , (nam & Terram sub bovis figurâ significasse Aegyptios prodit Macrobius eodem lib. & cap.) res eadem censi debet, & nihil aliud tandem quam virtus Soli sociata ad promovendam GENERATIONEM, vel natura rerum Soli subiacens, aut deum subiectum ipsum GENERATIONIS , quod Sol calore suo pervadens & radiis veluti penetrans, omnia in natura rerum procreantur & generantur.

Hinc , ut opinor , Mithra gladium apud Porphyrium gestat, quo in nostris tabulis *Taurum* transfodit; ad signandum scilicet Solem vi & potentiam radiorum subiectum GENERATIONIS , quod per *Taurum* figurari diximus, penetrare , & veluti inficto vulnere pervadere . Quò spectant verba Martiani Capellæ lib. i. pag. 6. ubi de Sole loquens hinc quoque, ait, sagittarius, hinc quoque vulnificus, quod possit radiorum jaculis ista penetrare . Quamobrem & Poëtis dictus fuit ἐκεβόλος & ἐκατεβελέτος , seu eminus jaculans , quasi radiis velut jaculis feriat . Qua vi radiorum solarium seu caloris pervadente , ut mox notatum , subiectum GENERATIONIS , sanguis quasi ex vulnere elicetur , semen nimirum genitale ad rerum omnium procreationem

tionem & alimentum. Unde *canis* & *serpens*, in tabulâ secundâ hic depictâ, guttas sanguinis ex *Tauri* vulnere manantes lambere conspiciuntur, quo denotatur, animantia singula inde vim *geneticam* & *nutritionem* haurire & educere. Hinc ad canem ipsum, & serpentem, ceteraque symbola progredior.

C A P U T IV.

Animalia in tabulâ exsculpta ad Solem referuntur tamquam generationis auctorem. Scorpius testes Tauri complectens, & baculi Solis apud Ægyptios, explicantur. Vas in tabulâ Mithriaci, cauda Tauri in spicas definens, pueri faciem gestantes, & Solem Lunamque præcurrentes, quid significant. Nama Sebesio, & inde locus Isaiae expositi. Triplicis Mithra nomen variè tentatum. Apud ANTIVM Mithra cultus, & spelæum dicatum.



UATUOR animalia CANIS, CANCER, SERPENS, & CORVUS ex singulis scilicet generibus, quadrupedum, piscium, serpentium, & avium, ideo, ni fallor, in tabulâ Mithriacâ exsculpta sunt, ut ea omnia animantium genera ortum & conservationem Mithra seu Soli acceptam præferant. Hæc verò selecta præ ceteris, ob peculiarem aliquam rationem & proprietatem ad Solem seu Mithram referendam. *Canis* & *Cancri* sidera, hoc principium anni, illud generationis apud Ægyptios fuit, testante Porphyrio toties laudato pag. 265. Apud quos etiam quâ insaniâ cultus fuerit *Canis* notum est. *Cancer* obliquo gressu, ait Macrobius lib. 1. Sat. cap. 21, quid aliud nisi iter Solis ostendit, qui viam nunquam rettam, sed per illam (legerim obliquam) semper meare sortitus est? *Cancrum* in dexterâ cuiusdam monstri Abraxeи vidit Macarius, quo res à Sole producetas significari ait p. 17. Duas statuerunt Solis portas physici, unam in signo *Cancri*,

cri, Capricorni alteram . Per illam fieri somniarunt descendum animarum in terras, ideo hominum dictam : quæ idem Macrobius in somnium Scipionis lib. 1. cap. 12. refert , & summus Poetarum in 6. Aeneid. jam indicaverat. Ergo Cancer Solis signum , & per Cancrum transitus animarum ad hominum vitam informandam .

Serpentem ad Solis naturam referri idem Saturnalium auctor pluribus demonstrat lib. 1. cap. 20. eundemque in Mercurii caduceo Solis esse symbolum dixerat capite antecedenti ; cui & sacrum facit Artemidorus in Oneirocrit. lib. 2. c. 13. Nil frequentius in nummis & ceteris veterum monumentis notatur, quam Serpentem Apollinem comitari . Quod vero ad generationem spectat , Arnobius lib. 5. & Firmicus de error. profan. rel. cap. 11. tradunt consecratis Sebazio Jovi anguem in sinum demitti solitum , & rursus eximi ab inferioribus partibus : quo denotabatur rerum omnium GENERATIO & productio, quas Solis opus esse, jam satis superque ostendimus .

Corvus denique Mithræ peculiari religione dicatus fuit . Ideo enim *Coracas* seu *Corvos* subministrantes ejus sacris vocatos testatur Porphyrius de abstinentia lib. 4. cap. 16. In lapide Romano pag. 27. 4. Ulpius Egnatius dicitur PATER ET HIEROCORAX D.S.I. M. hoc est Dei Solis Invicti Mithræ . Et hinc Aegyptios coluisse volucres, quia *Coracina* sacra habebant , colligit vetus Commentator in epist. 1. ad Roman. vers. 23. qui falsò putatur D. Ambrosius , ideoque à PP. Benedictinis doctissimis ejus editioribus ad appendicem tom. 2. rejectus . Quæ verba interpolata retulit Reinesius Clas. 1. inscript. 48. Ea sacra HIEROCORACICA appellat lapis alias Romanus pag. 303. 2. In Gemmâ 21. apud Chiffletum *Corvus* appositus est *sideri*, addito *Lauri* ramo . Sidus forte Sol , & Laurus Apollini facer. sane ipsi Apollini ubique hæc avis comes , ut in nummo Faustinæ ; & in gemmâ apud Gorlaeum num. 3. Apollo nudus tripodi sinistro cubito incumbens , dexterâ

manu ramum protendit ad *Corvum* adstantem , & in gemma anulari num.9. *Corvus* ad tripodem sistitur . Optime ad rem nostram animadvertis Cuperus in Harpoct. pag.71. in gemmâ alterâ (est inter gemmas anulares ejusdem Gorlæi num.71.) binos *Coruos* insistere Cornucopiis, & inter illos cerni papaverum capita & binas spicas; quia Sol, subdit eruditus Auctor , omnis fecunditatis parens habebatur . Hunc consule , si *Corvum* Apollini sacrum plenis veterum suffragiis testatum cupias .

In lapide Burattiano , quem delineatum damus , non Cancer, sed *Scorpius* sub ventre Tauri jacet . Hunc *naturam Solis* repræsentare prodidit sæpe laudatus Macrobius lib. i. cap. 2 1. prope fin. At cur in hac ipsâ tabulâ , & in Burghe-sianis haud obscurè, *Scorpius* testes *Tauri*, chelis apprehensos, circumpletebitur ? Latere arcanam significationem & ad nostrum argumentum mirè appositam divino. Diximus Sole in Tauri signo versante rerum omnium vegetationem promoveri . Quo signum oppositum *Scorpionis* scandente, vegetationem ipsam, ob decrescentem ipsius calorem , minui & deperire necesse est . Itaque appictus est *Scorpius* Tauri genitalia constringens, ut significaretur, tunc in subiecto GENERATIONIS vim seminalem repressam esse & debilitatam . Hinc Aegyptii post Aequinoctium autunale, Sole nimirum ad scorpii signum appropinquante, festum quendam diem celebrabant, tunc *Solis baculos* natos esse dicentes , quo innuebant , inquit Plutarchus de Iside & Osirid. pag.372. Solem veluti fulcro & baculo indigere , & caloris ac luminis aliquam passum esse dinutionem . & quidem in Scorpione *Solis* natura torpescit, inquit Macrobius lib. i. Sat. cap. 2 1. prope fin. In eam significationem fabulæ referunt genitalia Attidis recisa & dissecta, ad rerum nempe vim generatricem & conditricem cohibitam ac debilitatam ostendendam, ut inter alios pluribus ratiocinatur Julianus Imperator orat.5. in Matrem Deorum , & innuit Sallustius philosophus de Diis & Mundo cap.4.

At

At quoniam , ut Thales Milesius ajebat , & nunc Chymiathræ jactant , aquâ omnia constant , & in aquam resolvuntur ; & ex sententiâ Orphei apud Athenagoram Apol. pro Christian. *aqua rerum omnium principium est*, Vas positum ad pedes dexterí pueri jacet in tabulâ Antiate . Et sanè Crater juxta Mithram poni consueverat pro fonte , eo quia *aqua concurrit ad GENERATIONEM* , inquit Porphyrius pag. 261. Quod dubio procul exprimere voluit sculptor nostri lapidis .

Præter genera animalium jam recensita , aliæ figuræ extant in aliis tabulis Mithriacis incisæ. In Neapolitano , & Sanesiano cauda Tauri desinit in *Spicas*. Burghesianus præfert *Arbores* . Quo designari , generationem & vegetationem frugum ac plantarum Mithræ seu Soli tribuendam nullus dubito. *Spicas* ad fertilitatis symbolum in nummis aliisque monumentis , vel solas vel cornucopiæ insertas , passim inueniuntur .

Pueros utrumque *facem* demissam & erectam gestantes , diem & noctem designare , luce ipsâ clarius est . Nam & hinc Solis imago , & inde Lunæ superimposita conspicitur . At variant in hoc schemate lapides . Plerunque quâ parte Sol radiatus refulget , puer facem erigit , è regione Lunæ deprimit : hoc noctis , illud diei symbolum . Contrà , in nostro fax dejecta jacet , ubi Sol eminet , sub Lunâ elata prælucet . Fortasse ita explicandum , ut cum dies est , & Sol cuncta lumine suo illustrat , face amplius opus non sit , ideoque eam puer demissam extinguit : Alter sublimem gestat , quasi noctis tenebras discussurus . At in Burghesianâ Septentrionali , cuius ectypum exhibui , uterque faculam extollit . Luserunt marmorarii , vel utcumque lumen solare præfigurarent , nil pensi habuere situm faciscomponere . Aut cum hanc tabulâ recentiori manu interpolatam non uno loco appareat , fortasse in alterâ face peccavit imperitus artifex . Cui tamen si fidē manere velis , faces due erectæ lumen Solis & Lunæ indicabunt . Nam utrumque sidus , licet dispari

spari modo & virtute, lucem emittit. Ita in simulacro Spahnemii, quod descripsi superiori Capite, Sol &que ac Luna faciem præfert. Huic rursus tabulæ Burghesianæ singulare est, juvenem quadrigâ vehi, mulierem bigâ: ne locus dubitandi esset, hac Lunam, illo Solem figurari, ut canit Poëta Astronomus lib. 5.

Quadrijugis it Phœbus equis, & Delia bigis.

Licet Pausanias in Eliac. prior. pag. 307. unicum equum Lunæ tributum referat; imò & mulis vœtam quosdam tradidisse. Pueruli qui utrumque antecedunt, Phosphorum seu Luciferum, & Hesperum signant; quorum primus diem denotat, alter noctem. Ideò ille faciem erectam, hic depresso gestat. Cicero lib. 2. de Nat. Deorum, *Stella Veneris*, inquit *Phosphorus Græcis, Latine Lucifer, dicitur, cùm antegraditur Solem, cùm subsequitur autem Hesperus.* Scio Poëtas duo hæc sidera, licet verè unum sit, modò curru vœcta modò equo fixisse. At nihilominus potuit opifex nostri marmoris pueros sculpere, tanquam stellas Sole & Lunâ minores, qui juvenili facie etiam absque curru depingebantur. Nam & Lucifer *Sol alter* dicitur Plinio, & Vesper *vicem Lunæ reddens*, lib. 2. cap. 8. Si Lucifer ille est Posphorus, de quo in inscriptione Grut. pag. 88. 13. *BONO DEO. PVERO. POSPHORO.* jam expressam in nostro schemate pueri imaginem assequuti sumus. Et nou semel PH permutatum in P plura exempla docent. Ita in faxis *Spairisterium* pro *Sphaeristerium*, *Pilippus* pro *Philippus*, & similes. Utique hæc ad arbitrium ficta: sic in gemmâ apud Pignorium in notis ad Cartarium pag. 297. Luciferi currus, non equis, sed duobus gallis trahitur.

Adhuc Mithriacæ tabulæ non omnia sunt exhausta mysteria. Sculptum in collo Tauri Burghesiani & apud Gruterum notatum, enigma difficile & inexplicatum remanet, duabus hisce voculis latens: *NAMA. SEBESIO.* Persica esse vocabula ait Gruterus in margine. Bulengerus lib. 1. de Magiâ cap. 4. falso legit *Nannae Sebesio Deo Mithrae*

thrae; non enim est *Nannae*, nec duo postrema nomina primis adjacent, sed procul in ventre Tauri scalpta sunt, ut videre est in ipso schemate, quod delineatum dedi pag. 160. inde *Nannam esse Mithram* autummat. Muratorius loco quem olim retulimus, magis aptè tria numina efformat, nisi quòd, cùm inscriptionem apud Bulengerum viderit, *Nannam* retinet, & ea vocabula juncta. Attamen libenter ex *Nanna* in lapide irrepississe *Nama* crediderim, & numen hoc *Nanneam Dianam* intelligendum, ipso præeunte ex testimoniis à Bulengero mutuatis. Nam Diana, ut omnes sciunt, eadem cum Luna est. At si ulterius ariolari liceat, utriusque nominis schema propiori affinitate me invenisse gratulor. S. Epiphanius lib. 1. hæresi 16, quæ est Pharisæorum num. 2. hos memorat Græca ferè omnia astrorum vocabula totidem Hebraicis reddidisse, subditque: *exempli causâ Sol HAMMA & SEMES iis appellatur*. Ita vertit Petavius. Qui in primo vocabulo non Græcam vocem Epiphanii $\eta\mu\alpha$ sequutus videtur, sed ipsam Hebraicam *Chammah*, quo modo apud Nicolaum Serrarium redditur in Minervali cap. 3. *Hamma* itaque quam proximum sit *Nama* nemo non videt. *Semes* literulâ permutatâ abire potuit in *Sebes*, & inde more inflexionis Latinæ dici *Sebessius*. Unde *Nama Sebessio* collo Tauri insculptum nil aliud est, quam *SOLI*, eademque ipsa epigraphe in ventre, *Soli Deo Invicto Mitbræ, barbaris & mysticis characteribus expressa*. Nam ex Hebraicâ linguâ plures voces in sua portentosa mysteria, quorum pars Mithra fuit, Basilidianos traduxisse palam est. Porrò *Sebessius* aliunde quoque Sol audit. Nam ipse est *Sebassius, Sebadius, vel Sabazius*. Quæ nomina Bacchum sanè, sed & Solem præferunt. Auctorem habeo Macrobius, qui lib. 1. Sat. cap. 18. hæc scripsit: *In Thraciâ eundem haberi SOLEM atque Liberum accipimus; quem illi SEBADIVM nuncupantes, magnifica religione celebrant*. Bacchum Solem esse, post Macrobius, pluribus docet Aleander in tabulâ Heliacâ pag. 23. *Sabazium*

zium verò non tam Jove in sed Bacchum quoque appellatum nemo est qui ambigat . Ità ut valdè miser , cur doctus vir Muratorius , dum pro Jove stat , se nescire fassus sit , quâ auctoritate Heinsius in Aristarcho sacr. Sabazium etiam Bacchum dixerit . Hic sane cap. 1. pag. 705. auctorem nullum laudat : at aliunde id discimus . Loca tantum indico apud Hesychium , Diodorum Siculum lib. 3. ex quo Eusebius de præp. Evang. lib. 2. cap. 2. Scholia sten in Aristophanis Vespas sub initium , quibus addas quos citat Vossius de idololatr. lib. 2. cap. 14. Rursus si adhuc literis velimus ludere , *Nama* ore Romano prolatum *Menin* esse poterit . *Menin* Luna est , accepto nomine à mense , quo cursum suum conficit . Vel barbarus ille deus est , de quo meminit Isajas cap. 65. vers. 10. ubi in textu Hebræo legitur : *Et me requisierunt MENI implentes* , alia lectio habet : *Qui libatis MENI* . Consule Poliglott . Angl. tom. 3. pag. 170. Variè explicant Interpretes , & inter eos aliqui , quos vide re poteris in Synopsi Critic . Tom. 5 , *Stellas* , seu *Planetas* intelligunt . *Nama* itaque seu *Meni* Luna est . Ita his duobus nominibus , *Nama Sebesio* , notavit opifex lapidis *Solem & Lunam* , quos currū per aëra vectos jam expresserat . Sic omnia in hac fabulâ Mithriacâ inter se connexa & ad mutuam significationem composita dignoscas .

Hic extrâ tabulam manum pono , non extra argumentum , quippe arcanam Mithræ appellationem , doctis variè vexatam , explicaturus , ut ad rerum generationem traducam , S. Dionysius Areopagita Epistolâ septimâ ad Polycarpum (nolo enim litem versare de vero auctore) narrans retrocessionem umbræ in horologio Ezechiæ , Solisque motum tunc , ex ejus sententia , per decem horas contractum , in miraculi testimonium subdit hæc verba ex versione Corderii tom. 2. operum pag. 91. Attamen id vel maxime sacris Persarum monumentis celebratur , atque etiamnum Magi TRIPPLICIS Τετραστον Mithri , sive Solis memoriam recolunt .

Pachymeres in paraphrasi distinctius S. Patris sensum exponit; cui addas S. Maximum in scholiis, & eundem Corderium qui in notis hæc subjicit: *Et quia dies tempore Ezechiæ fere in morâ seu duratione triplicatâ fuit, ideo ait Dionysius, Persas triplicis, seu triplicati Solis memoriam celebrare.* Vossius de idololatri. lib. 2. cap. 9. SS. Patrum testimoniis latè ostendit, hanc sententiam de triplicato illius diei spatio esse suspectam, & propterea nomen *triplicis* Mithræ indè peti non posse. At dum veram ipse caussam appellationis quærerit, fatetur *facilius esse quid sit falsum videre, quam verum perspicere.* Tres verò conjecturas subinde profert, quæ nullo sunt veterum fundamento innixæ. Johannes Seldenus de DIs Syris in prolegom. cap. 3. rejicit Græcorum hanc interpretationem, nihil ultrà Mithram *triplicem* solicitans. Mihi in re obscurissimâ conjectanti, primùm occurrit Arnobius, qui lib. 3. adloquens & irridens Gentiles, cum Liberum, inquit, *Apollinem, Solem unum esse contenditis numen, vocabulis amplificatum TRIBVS, nonne sententiis vestris deorum imminuitur census?* Sol ergo *triplex*, trium numinum vocabulis compactus; ut Diana *Trivias* seu *Triformis*, quia etiam Luna & Proserpina seu Cerès. Quod cùm vulgò satis sit notum, placet nihilominus ex eodem obfirmare: *Dianam, Cererem, Lunam caput esse unius dei TRIVIALI germanitate pronunciant, neque ut sunt TRINAE dissimilitudines nominum, personarum differentias tres esse.* In Sole quoque latet *triplicitas*, quod præterita noverit, & præsentia cernat, & futura visurus sit, ait Fulgentius Mythol. lib. 1. cap. 16. ideoque *TRIPVS* Apollini adjiciunt. Concinis Suidas in verb. *Tripus*. Apollinis *TRIPVS* fatidicus dictus, vaticinans *TRIBVS* temporibus, præsenti, præterito, & futuro. Si Persas ipsos consulamus, quibus Sol *triplex* fuit dictus, Darius apud Q. Curtium, verbis ante recitatis, contestatur *Solem, Mithram sacrumque Ignem, numen unum, ut ostensum est, triplici vocabulo appellat.*

pellans. Hæc profectò nominis caussa potior mihi est. Pergam tamen, cùm in Juliano, qui plura de Sole ex Persarum & Aegyptiorum philosophiâ ineptivit, nomen hoc ipsum & significationem hucusque traditam, deprehendèrim. Nam Solis, quem Mithram quoque vocat, *triplicem efficientiam* commemorat, in orat. 4. pag. 294. quæ appellatio ad ea refertur, quæ ante pag. 278. paullò obscurius disseruerat. Sol enim ait *quadrifariam* signiferum circumulum secat, unde *TRIPLEX* ad nos gratiarum largitio proficitur, ex iis videlicet circulis, quos deus ille quadrifariam tribuens, quadripartitam annuarum tempestatum gratiam immittit. Hæc ex Mathematicis sunt desumpta, qui in quatuor partes Zodiacum secantes, cuique tria signa, quatuor anni tempestates discriminantia, deputant, quas partes ideo *TRIGONOS* appellant. Hinc igitur *triplex* Solis efficientia, ob quam parens tempestatum Sol est, & Zodiacum quadrifariâ triplicitate distinctum percurrens, singulis anni temporibus fecunditatem dispensat,

— Eoque, ut ait Aratus, circa hunc eunte
Circulum, adolescunt omnes frugiferæ tempestates.

Et hinc denique *triplicis* nomen apud Persarum magos adeptus est Mithra. Plutarchus quoque rerum genesim *triplici* ratione constare docet in libello de Iside & Osirid. pag. 373. ubi *Ægyptios*, ait, *universi naturam comparasse triangulo, cuius lineæ rectum angulum alteri insidente mammem, basi feminam, subiiciente prolem utriusque representari*. Ergo ex *triplici* hac terminorum communione tota rerum omnium *GENERATIO* consurgit. Cujus equidem generationis cùm toties Solem seu *Mithram* auctorem & patrem ostenderimus, jam nil mirum videtur *triplicem* eum fuisse appellatum. Macrobius quoque *Tricipitem* Solem facit lib. I. cap. 20.

At verò ut tandem nostram Tabulam Antiatem certasque dimittamus, hoc unum reliquum est observatione di-

dignum, eam ipsam ostendere, apud Antium *Mithram* cultum, & sacra *Mithriaca* celebrata fuisse. Præterea & *Antrum* seu *Spelæum* inibi conditum & dicatum, in quo ipsa sacra agebantur. Nam uti testatur *Porphyrius* pag. 263. ubicunque *Mithram* agnoverunt Gentiles, eidem deo specibus *sacra faciebant*. Sanè ubi nostræ tabulæ fragmenta reperta sunt, quò nempe vetus navale desinit, & solum veluti in collem, cui Civitas erat imposita, afflurgit, quædam adhuc visuntur loca cavernosa & interni recessus, quorum aliquem *Mithræ specum* fuisse facile judicaveris.



C A P U T V.

Ad sacra Mithræ prælusio. Ea sub antris agebantur; ubi & initia sub figuris ferarum tradita, earumque vocabulis Sacerdotes appellati. Erasmi allucinatio. Marianus Victorius, Bulengerus, Pamelius, & Faber notantur. Sacrorum Mithræ varia genera. Quid sit tradere Leontica &c. & ostendere Cryphios; unde inscriptiones antiquæ explicatae. Sacerdotes formis animalium inducebantur. Archelai locus emaculatus. Undenam Manetis error de duobus principiis. Quid sit Cervulum facere. Initia sacrorum Mithræ ex Christianæ religionis ritibus & Sacramentis petita. Quis deus Pileatus apud D. Augustinum. Per immania variæ generis tormenta initiandi transibant. In sacrificiis Mithræ humanæ victimæ immolabantur. Lampridius explicatus. An Mithræ lucus sacerdos unde Græca inscriptio Divionensis explanatur, & Liceti interpretationes expenduntur.



ACTENUS superstitionis Gentilitas, penè dixerim innocenter, ineptiisse videbatur, dum abditas rerum caussas & naturæ majestatem sub fictis MITHRAE vocabulis & sculptis imaginibus ac symbolis recondere, atque à vulgi oculis arcere conata est. At supra fidem sunt & rationis aleam quæ inter ejus sacra & initia immiscuit superstitionum deliramenta & religionis portenta: polluta sacrificia, nefandas ceremonias, scelestæ mysteria, profana sacramenta, sacerdotesque suo simul cruentatos & initiatos sanguine. Hæc dum horrenti & attonito calamo persequor, ne quis existimet Christiano viro, ac veri Numinis sectatori alienum, falsos & inanes Ethnicorum deos ritusque vanos ab obscurâ antiquitatis latebrâ in lucem revocare & legentium oculis prodere. Nam id in religionis nostræ argumen-

mentum conducet & Dei O.M. laudem , qui discussâ pri-
dem erroris caligine & impio idolorum cultu profligato ,
verum sanctumque Evangelii patrimonium nobis in here-
ditatem reliquit , & fidem , sanguine Filii sanctitam , in sym-
bolum & tesseram æternitatis condidit . Ut dûm Gentili-
um insanias horremus & proscindimus , maneat nostræ
religionis amor ; & pietas , comparatione indictâ , altius
animis insideat . Narrat Socrates histor. eccles. lib. 5. cap.
16. Theodosium , qui pietate potius quam rerum gestarum
famâ Magni nomen adeptus est , cùm idolatriæ reliquias
acerrimo edictorum gladio præcideret , ex innumeris deo-
rum signis , quæ in alios usus conflari jussérat , unum reser-
vasse omnino turpius ceteris , quod ad posteritatis memo-
riam in loco celebri & propatulo defixit . Quo facto Gentili-
bus adeò displicuisse subdit historicus , ut Ammonius
Grammaticus dicere soleret , male cum deorum venerato-
ribus unâ re hac actum esse , quorum ad ludibrium & dedec-
cus perpetuum id monumentum esset erectu . Hoc utilita-
tis argumentum revelata impiorum mysteria conferent : &
Mithræ sacra ex antri sui latebris educta , turpitudinem fal-
sæ religionis & Dei potentiam & gloriam in conspectu producent .

Dixi ex Porphyrio , Zoroastrem primum omnium
montibus Persidi vicinis antrum natuum , floridum fonti-
busque irriguum , in honorem Mithræ consecrasse . Hoc mo-
re , simul cum Mithræ religione , à barbaris in Romanum
Orbem invecto , passim antra & spelæa ei dicata & condi-
ta sunt , quæ Templorum vice sacris peragendis deputa-
bantur . Romæ non unam ejusmodi speluncam fuisse exem-
pla lapidum , quæ jam exscripti , palam faciunt . Ibi enim
DEO SOLI INVICTO MITHRAE ZOSIMVS SPE-
LEVVM CONSTITVIT , aliudque simile SPELEVVM
TIBERIVS CLAVDIVS VOTI COMPOS DEDIT .
In eâ Capitolii parte , quæ Aquilonem spectat , templum
subterraneum , ibique Mithræ simulacrum repertum fuisse

ex

ex Mormillio refert Gruterus inscript. 4. pag. 34. easque cavernas, cum effigie & inscriptione, à se visas testatur Justus Rycquius de Capitol. cap. 42. in fin. Spelæi Mithriaci meminerunt, Tertullianus de corona mil. in fin. Justinus Martyr dialog. cum Tryphonc pag. 296. & 304. & S. Hieronymus epist. 7. ad Lætam. Quorum loca jam virtis doctis haud semel sunt producta. Nondum vero quisquam retulit egregium testimonium S. Paulini, cui Cl. Muratorius cum alijs ejusdem operibus recens lucis usuram donavit. Perstringens S. Vates falsa gentilitatis numina & insanam superstitionem, de *Invicto* seu *Mithra* hæc canit.

*Quid quod & Invictum spelæa sub antra recondunt,
Quæque tegunt tenebris, audent hunc dicere Solem.
Quis colat occultè lucem, fidusque supernum
Celet in infernis, nisi rerum caussa malarum?*

Eodem argumenti genere usus est Firmicus de error. prof. relig. cap. quinto sæpius mihi laudato. Hunc, inquit, *Mithram* dicunt. Sacra vero ejus in speluncis abditis tradunt, ut semper obscuro tenebrarum squallore demersi, gratiam splendidi ac sereni luminis non videant. Profecto tenebris damnanda erant deliria sacrorum & impiaæ ceremoniarum, quæ antris Mithriacis peragebantur. Reperies barbaras vocabulorum effigies, auribus quoque graves, & ut ait S. Hieronymus loco proximè indicato, *portentosa simulacula quibus Corax, Niphus, alii rectius legunt Gryphus, Miles, Leo, Perses, Helios, Bromius, Pater initiantur*. Erasmus pessimè corruptit hæc vocabula, dum ea non intelligens, ingenti allucinatione, in Urbes singulas transformavit. Perperam quoque Marianus Victorius putavit, deorum nomina hujusmodi formis insignia esse, quod belluas omnis generis veteres colerent, & sub animalium specie deorum simulacra efformarent. Nam dum S. Pater Coracem, Gryphum &c. initiari dicat manifestum est de hominibus loqui, qui sub iis figuris Mithræ sacra suscipiebant. Quibus susceptis adhuc eadem appellatio manebat, teste Porphyrio lib. 4.

de abstinentia cap. 16. ubi haec ait : *Magi apud Persas sacrorum Mithræ participes, symistas Leones vocabant, homines scilicet, feminas vero Leænas, subministrantes autem Corvos*; Quo testimonio deceptum Bulengerum appetat, qui lib. 1. de Magia cap. 4. licet Persis idem Mithram & Sollem fuisse fateatur, distincta tamen sacerdotia, & feminas Solis, mares Mithræ sacerdotes fuisse autumat. Unde Justinus, quem in argumentum vocat, ubi lib. 2. cap. 10. Atroxersem narrat Solis Sacerdotio Aspasiam Cyri pellicem præfecisse, quo perpetua illi ab omnibus viris pudicitia imperabatur, de Mithrâ certe est intelligendus. Subdit Porphyrius, qui illis sacris quorum symbolum est Leo, initiatus est, omnimodis animalium figuris induitur. Distincta & multiplicia fuere sacra Mithriaca: nam Leontica, Coracica, Gryphia memorantur in inscriptionibus. Soli ergo initiati Leonticis, ut innuere videtur Porphyrius plures animalium figuræ inducebant; ceteri, ut puto, eam tantum effigiem, cuius nomen gerebant, ut initiati Coracicis Corvi, Gryphi quorum sacra ad Gryphios pertinebant. Tertullianus lib. 1. advers. Marcion. cap. 13. Mithræ sacerdotes eodem vocabulo Leones vocavit: *Sicut aride & ardentis naturæ sacramenta, Leones Mithræ philosophantur*. In quem locum male notavit Pamelius, Deo Mithræ Leones attributos currum ejus traxisse. Eumque pejus detorquet Petrus Faber lib. 3. Semestr. cap. 2. in fin. ad Leones currum Cybeles aut Junonis trahentes, ut Mithram Deam feminam faciat. Nam Leones philosophatos fuisse, nec fabulæ unquam somniarunt. Loquebatur Septimus de sepulturâ & inventione Osiridis, quæ profana mysteria reciprocationem frugum & vividorum elementorum interpretabantur Leones Mithræ, ejus scilicet sacerdotes, quos Leones vocatos mox ex Porphyrio didicimus. Ceterum eodem loco ait Porphyrius magos Persarum hisce Mithræ mysteriis significasse transmigrationem animarum; nostram enim cum animalibus convenientiam subinnuentes, eorum nominibus nos indigita-

gitare solebant : licet ex vulgi opinione subdat, ea animalia ad Zodiaci circulum respicere.

Tam ergo initiandi quam Sacerdotio jam inaugurati singula nominum portenta, quæ B. Hieronymus recitat, indebant. Hinc diversa sacerorum Mithræ genera fluxerunt, iisdem vocabulis appellata, puta *Leontica*, *Eliaca*, *Patrica*, *Perfica*, *Coracina*, quorum mentio est in inscriptionibus apud Gruterum locis inferius indicandis, ubi & Gryphios reperies. Reinesius Class. 1. Inscript. 48. & in epist. 69. ad Rupertum pag. 647. dum nomina Hieronymo memorata explanat, singula hæc eruditè percurrit. Egregiam quoque iisdem operam navavit Gutherius de vet. jure Pontif. lib. 1. cap. 25. cui tantum aliquid de laude demas, quod ad sacra Isidis & Osiridis pertinere voluerit. Macarius non pauca tradidit, plura Chiffletius, in suo quisque eleganti de gemmis Abraxeis libello. At in hæc sacerorum arcaq; non satis, opinor, viri docti introspexerunt. Nam cum lapis 4. pag. 1087. ita loquatur :

DATIANO. ET. CEREALI. CONS
NONIVS. VICTOR. OLYMPIVS. V.C
PP. AVR. VICTOR. AVGENTIVS. V.C.P
TRADIDERVNT. PERSICA. PRI. NON. APRIL. FEL
CONS. SS. TRADIDERVNT. ELIACA
XVI KAL. MAI. FELIC
OSTENDERVNT. CRYFIOS. VIII
KAL. MAI. FELIC

codemque modo in aliis tradita dicantur *Leontica*, *Coracica*, *Patrica* & ostensi *Cryfi*, arbitrati sunt, hæc Sacra Mithræ referenda esse ad initiandos. Quippe tradere & accipere verba sacerorum sunt, & traditio ab initiatis accepta dicitur, inquit Gutherius. Quem fugit egregius locus Appulei lib. postremo Metamorph, in fin. ubi dum tertium esset suscepturus sacra Osiridis, cogitabat suspensus, quod subsciuim, quamvis iterata jam traditioni remansisset: & paullò post Dei imagine se monitum ait, quod futura sa-

erorum traditio pernecessaria esset. Poterat etiam *sacra* initiatu*o* *ostensa* & ipse videre apud Themistium, qui orat. 20. in Patrem pag. 235. edit. Harduini, ab Antistite simulacrum Dei initiatu*o* conspiciendum præberi refert; & Dio Chrysostomus orat. 12. pag. 203. edit. Paris. initiandum multa videre arcana spectacula ait. At vero quamvis iis nominibus initiari novitios sacrorum Mithræ, & figuris animalium indui, ex Hieronymo & Porphyrio, non negaverim, attamen *Leontica*, *Coracica* &c. de quibus nostri lapides, non initiandis, sed populo, cùm sacra Mithræ & sacrificia publice agerentur, *ostensa* & *tradita* fuisse arbitror. Suadet quòd privata hominis alicujus inaugratio publicis monumentis, & sollemni Consulum adnotacione, non fuisset exsculpta. Præterea statis diebus, & quidem diversis, singula hæc spectacula peracta fuisse observo. In inscriptionibus pag. 303. & 1087. tradiderunt *Eliaca* XVI. KAL. MAI. *Perfica* PRI. NON. APRIL. *Leontica* XVI. KAL. APR. & V. ID. MART. *Coracica* VI. ID. APRIL. *Oftenderunt* verò *Cryfios* uno & altero anno VIII. KAL. MAI. Quo patet hæc sacra fuisse stata & sollemnia, ut vocat Festus, quæ singulis annis peragebantur, ut Eleusina, Isaica, & alia quæ notantur in veteribus Kalendariis, & passim apud Scriptores. Hinc Langius lib. 1. de annis Christi cap. 12. quòd hæc sacra anniversaria essent, & singulis annis instaurarentur, demonstrare contendit, annos Lunares ex 360. diebus à Græcis usurpatos fuisse. Nam cùm in saxis indicatis tradita dicantur *Leontica* XVI. *Kal.* *Apr.* *Daciano* & *Cereale Coss.* & iterum IV. *Idus Martias Eusebio* & *Hypatio Coss.* priora scilicet anno Christi 358. posteriora anno proximè sequenti 359. à die 17. Martii primi anni ad 12. ejusdem mensis anni sequentis, evoluti erant dies 360. At præterquam in Gruteriano lapide, quem ipse Langius laudat, non dies IV. *Idus Martias*, sed V. signatur, unde ab uno ad alium annum decursi erant tantummodo dies 359. vix induci possum, ut credam post Julianam corre-

rectionem Romanos unquam annos ejusmodi Lunares, & menses tricenarios in usu habuisse. Nostri enim lapides non in Græciâ sed Romæ scalpti sunt. Præterea apud Gru-
terum duabus inscriptionibus p. 303. 2. & p. 1087. 4. nota-
tur eodem ipso die VIII. Kal. Maij ostensos fuisse *Cryphios*,
anno 358. & 376. unde patet evolutis annis octodecim ad
eundem diem hæc sacra peracta fuisse. Quod si anni fui-
sent Lunares, non ita accidisset. Hinc statu annuatim die
tam *Cryphii* ostensi, quam Leontica tradita, & hæc quidem
semel & iterum, videlicet undecimo & septimo decimo die
Martii. Non prætermittant omnia, quæ memorantur in sa-
xis, sacranea Mithræ, Eliaca, Coracica, Leontica &c. Mar-
tio & Aprili tradita fuisse, vere scilicet decurrente, sub
Ariete & Tauro, quæ Mithræ sunt signa dicata, ut ex Por-
phyrio didicimus cap. 3, quia tunc Sol omnia ad generatio-
nem aperit & provehit.

Porro sacra Mithriaca præscriptis diebus peculiari ri-
tu & pompâ publicè spectanda ab Eoptis, & reliqua sa-
cerdotum & ministrorum turbâ ducebantur. Nostra inter
hæc esse censenda, videntur palam facere præsertim inscri-
ptiones, quibus ostensos fuisse *Cryphios* memoratur. In Bac-
chanalium pompâ, quam ducebat Liber, alter erat, inquit
Firmicus de error. prof. relig. cap. 6. nigro amictu teter, al-
ter OSTENSO angue terribilis, alter cruentus ore &c. Eodē
modo ostensos *Cryphios*, eorum scilicet figuræ, publicè fe-
stis diebus Mithræ arbitror. Nam ostensio proprie de pom-
pâ & publico spectaculo dicitur. Isidorus lib. 18. cap. 2.
Pompa dicta est Graeca significatione à πομπειν hoc est pu-
blicè OSTENTARE. Et Statius Theb. 8. v. 239.

— *nigri vexilla triumphi*

Liber & ignotos populis OSTENDERET Indos.

Apud Lampridium in Alex. Severo cap. 33. OSTENSIO-
NALES milites sunt qui ad solam pompam & ostensionem
adhibebantur, uti explicat Salmasius; qui subdit ostensionem
idem esse ac Græcis φαραοια, quæ vox publicam pompam
signat.

signat . Quamobrem *Leontica*, *Coracica* &c. per sacerdotes Mitræ publicè spectanda populo exhibebantur . Et sanè diverso ceremoniarum ritu : nam diversis diebus & non minibus commissa sunt . At quænam ex ceremoniæ fuerint, præsertim in *Eliacis*, *Persicis*, & *Patricis* non ausim divinare . Tantùm constare videtur, prima à Sole denominari, secunda à *Persis*, unde religionis Mithræ origo , postrema à *Patribus* vel *Patratis* qui Mithræ sycophantæ & digniores sacerdotes erant, ut in lapide pag. 28.2.& 34.9. Et ideo distincta nomina , quia quodque sacerdotum genus sua sacra distinctis diebus celebrabat . Cetera sacra, quæ ab animalibus nomen accepere , ut *Coracica*, *Leontica*, & *Gryphia*, nullus dubito , sub figuris eorundem animalium traditafuisse . Et quidem vel sacerdotes vestes iisdem simulacris ferarum depictas & figuratas gestabant, ut de se ipso, cum iniciaretur , refert Appulejus dicto libro non longè à fine : Nam iisdem & postea usos vel ex hoc patet, quòd sacerdos quam vestem in auguratione induisset , nunquam postea abjiciebat . Vel etiam sacerdotes ipsas imagines animalium assumebant , cùm Porphyrius asserat *omnimodis ferarum figuris* indutos fuisse, & ità sacra peragebant . Unde ea fluixerunt sacrorum nomina , ut scilicet quæ ducebantur à sacerdotibus formis Leonum indutis *Leontica* dicerentur , & ita de aliis . Quod sanè ridendum spectaculum , & histrionicam repræsentationem , nonnisi insanis Gentilium oculis diaboli fraude obcxcatis in re sacrâ tolerandam, sapiebat . Quò respexisse puto Archelaum Episcopum Mesopotamicæ in disputatione habitâ cum Manete , ubi eum peregisse ait mysteria Mithræ tanquam *ludionem* & *mimum*: cum scilicet Manes illius Sacerdos, sub huiusmodi ferarum imaginibus scenicam personam repræsentans , ludicra sacra exhibuisset . Egregium hoc testimonium in nostram sententiam, acceptum fero Laurentio Zacagnio , doctrinâ & omnigenâ ecclesiasticæ eruditioñis peritiâ Præfectoram Bibliothecæ Vaticanæ promerito, qui eam disputationem, una cum aliis

Patruni ineditis monumentis , nuper vulgavit . Verba sunt
hæc ex pag. 63. Barba (editor reëstè restituit Barbare) Sacer-
dos *Mithræ & collusor*, *Solem tantum coles Mithram locorum*
mysticorum illuminatorem , ut opinaris , & consciūm, hoc est
quod apud eos LVDES , & tanquam elegans MIMVS pera-
ges *mysteria*. Amicè ferat Cl.Zacagnius, me manum in ejus
messem ponere . Legendūm arbitror *ludus*, vel *ludius*, ut sit
casus nominandi respondens sequenti vocabulo *mimus*. Ve-
teribus enim *ludio* dicebatur etiam *ludus* & *ludius* . Juve-
nalis Sat. 6. vers. 82.

Nupta Senatori comitata est Hippia ludum.
ut legit Salmasius: & Satir. 11. v. 20.

————— *veniunt ad miscellanea ludi.*

*Ludium usurpavit Cicero pro Sex. ille ipse maximus Lu-
dius, non solum spectator, sed actor. Et Ovidius de Arte lib.
1. vers. 112.*

Ludius equatam ter pede pulsat humum.

Porrò licet Juvenalis *Ludum* pro gladiatore accipiat , fre-
quentius ea vox *histrionem ac mimum* significabat, ut in ce-
teris exemplis, idemque erat ac *Ludio* . Manetes igitur Ar-
chelao est *Mimus*, & *Ludus*, qui sub ferarum formis more
histrionico *mysteria Mithræ* peragebat, unde & ejus *collusor*
dictus . Conjecturam hoc loco addam, quoniam de Mane-
te sermo est. Narrat Plutarchus de Iside & Osirid. pag. 369.
Persarum Magos ex Zoroastris sententiâ , duos Deos sta-
tuisse inter se contrarios , *Oromazan & Areimanium* , quo-
rum unus mala , alter bona conficeret , interque eos me-
dium esse *Mithram*, quem idcirco *μετίτνυ* , idest *mediator-*
rem seu intermedium nuncupabant. An non igitur à *Mithræ*
Sacerdotibus nefaria Manetis doctrina de duobus princi-
piis, uno bono altero malo , fluxit , quam primùm Scythian-
us, deinde Terebinthus , è cuius libris Manes ipse hausit,
impie docuerant ? *Mithra* certe Deus ille *mediator* idem est
ac *murus* , quem fingebat Manes *intermedium* inter bonum
& malum , de quo plura in memorata disputatione Arche-
lai

Iai pag. 39. Porrò Terebinthum , seu Buddam sermones habuisse de duobus principiis cum Mithræ edituis & sacerdotibus refert Epiphanius hæc. 66. de Manichæis num. 3.

Si quis modum quærat , quo sacerdotes Mithræ animalium figuræ inducebant , dabo exemplum non dissimilis spectaculi apud ipsos Romanos , quod describit Halicarnassus lib. 7. pag. 477. amicti erant, inquit, tunicis villosis, quas quidem appellant scorteas, amiculisque consertis ex omni florum genere: qui verò satyrorum speciem induerant hircinis se pellibus incinxerant, horrentesque in capite gerebant setas . Proprius expressere SS. Patres , dum Christianos increpant, qui morem insanum nondum cum gentilitate exuerant . S. Augustinus serm. 215. de tempore, qui in edit. Monachorum S. Mauri tribuitur Cæsario in appendice serm. 265. tom. 5. part. 2. Si adhuc agnoscatis aliquos illam sordidissimam turpitudinem de binnicula vel cervula exercere, ita durissimè castigate, ut eos pœnitentia rem sacrilegam commisisse. Induebantur enim horum animalium figuris, ut idem Cæsarius explicat sermone 129. ejusdem append. quis enim sapiens poterit credere inveniri aliquos sanæ mentis , qui cervulum facientes , in ferarum se velint habitum commutare? Alii vestiuntur pellibus pecudum, alii assumunt capita bestiarum, gaudentes & exultantes, si taliter se in ferinas species transformataverint, ut homines non esse videantur . Bollandus sermonem hunc adscribit Faustino Episcopo , ad diem 1. Januarii tom. 1. pag. 2. Agebantur hæc laruatorum ludicra Kalendis Januariis, ut ex hoc sermone & sequenti 130. apparet . Unde in Concilio Antissiodorensi Can. 1. statuitur : Non licet Kalendis Januariis vetulâ aut cervolo facere. Videas etiam, si lubet, Burchardum lib. 19. cap. 5. & epistolam S. Bonifacii Episcopi Moguntini ad Zacharium P. c. 6. Quæ Conciliorum & Patrum monita frustrâ sunt , dum eadem larvata deliria per licentiam dierum bacchanalium adhuc in nostros mores invadunt .

Verum ad Mithræ initiationes redeo, quæ impio mysterio-

steriorum ritu perficiebantur. Iis quippe ad imitamentum sanctorum Christianæ religionis Sacramentorum compositis, per gradus profanæ augurationis teletæ ad sacra capessenda informabantur. Nec ausim secus ea describere, quam ipsissim verbis Tertulliani de Præscription. cap. 40. Tingit & ipse diabolus quosdam, utique credentes & fideles suos, expositionem delictorum de lavacro repromittit, (in libro quoque de Baptismo cap. 5. initiatos fuisse per lavacrum commemorat) & si adhuc memini, Mithra signat illic in frontibus milites suos celebrat panis oblationem, & imaginem resurrectionis induit, & sub gladio redimit coronam. Ut verò Eucharistiæ imago luculentius adumbraretur, panis & poculum aquæ ponebat, verbis quibusdam additis, uti refert Justinus Martyr Apolog. 2. pag. 98. edit. Græcolat. Parisiensis 1615. Qui rursus in Dialogo contra Tryphonem pag. 296. Sacerdotes Mithram è petra natum docentes, & suos initiantes in specu, imitatos fuisse ait prophetica verba Danielis & Isajæ, ubi ille cap. 2. lapidem absque manibus de monte abscissum memorat, hic verò cap. 33. de Christo prophetat: *Habitabit in excelso specu petra fortis. Panis dabitur ei, & aqua ejus fidelis.* Iterum Tertullianus de Coronâ mil. in fin. exprobrans fidelibus, quod caput Christi dia demati reservatum, rosis & auro damnarent, initia sacerdotum Mithræ eleganter sic exponit: *Erubescite commilitoens ejus (Christi) jam non ab ipso judicandi, sed ab aliquo Mithræ milite, qui cum initiatur in spelæo, in castris vere tenebrarum, coronam interposito gladio sibi oblatam, quasi minimum martyrii, de hinc capiti suo accommodatam, monetur ob viâ manu à capite pellere, & in humerum, si forte, transferre dicens, Mithram esse coronam suam.*

Huc refero egregium locum S. Augustini, qui victum Leonem diabolum sanguine Dominici Agni enarrans hæc ait in cap. 1. Joan. tra. Et. 7. num. 6. edit. Benedictin. tom. 3. part. 2. pag. 344. Ergò nescio quid simile imitatus est quidam spiritus, ut sanguine simulacrum suum emi vellet, quia noverat

rat pretioso sanguine quandocumque redimendum esse genus
 humanum. Deus Mithra hic est impius *spiritus*, qui suos
 milites mimos martyrii cogebat redimere coronam inter-
 posito gladio, ut ait Tertullianus; & sanguine inter imma-
 nes cruciatus, quos inferius describam, simulacrum suum,
 ipsis ita initiatis concredidit, emi volebat. Nam & apud
 eundem Septimum *Mithram*, eo cruento pretio emptum,
 dicebant esse coronam suam. Sequitur Augustinus: Usque
 adeo ut illi ipsi qui seducunt per ligaturas, per præcantatio-
 nes, per machinamenta inimici miscent præcantationibus suis
 nomen Christi: quia jam non possunt seducere Christianos, ut
 dent venenum, addunt mellis aliquid, ut per id quod dulce
 est, lateat quod amarum est, & bibatur ad perniciem. Nomen
 Christi magicis præcantationibus immixtū arguit designa-
 ri Basilidianos & ceteros portentosæ artis magistros, &
 diaboli discipulos, qui divino illo nomine aliisque ex Sa-
 crâ Scripturâ depromptis abutebantur in amuletis suis &
 telesmanicis præstigiis. Porrò illi & Mithram invocabant
 colebantque. Cujus quoque Sacerdotes *mel* initiatis tra-
 didisse, ex Porphyrio mox ostendam. Tandem Augusti-
 nus digito monstrat Mithram his quæ statim subdit: Usque
 adeo ut ego neverim aliquo tempore illius Pileati Sacerdotem
 solere dicere: & ipse Pileatus Christianus est. Quis iste Pilea-
 tus nisi Mithra, quem passim pileolum seu mitram aut tia-
 ram gestare videmus & legimus? Hæc enim vocabula idem
 sonant vel uno Hieronymo teste ad Fabiolam: *Quartum*
 genus est vestimenti rotundum pileolum..... hoc Graci &
 nostri Τιάρας nonnulli galerum vocant. Augustinus vocem
 Latinis frequentius usurpatam scribere maluit, quam alias
 barbaras & peregrinas. Imò & Pileus Persarum fuit, atte-
 stante Herodoto lib. 7. cap. 62. ubi hac ipsâ voce πίλων
 utitur, & Strabo lib. 15. pag. 733. Itaque Pileatus Mithra
 est. Cui enim alio ex diis, quos pileatos confinxere anti-
 qui, ea omnia quæ suo Pileato tribuit Augustinus, aptari
 possint non video. Pileo donatur Mercurius, Castores pi-
 leati

leati incedunt, Ulysses cum pileo seu galericulo pingitur, Attidem Phrygia tiara quandoque exornat. At nusquam in eorum sacris & mysteriis vel simulacrum sanguine contum, aut mel exhibitum, aut magica incantamenta, seu denique Christi symbola & nomen usurpata simul competimus. Porro si hoc Augustini cum ceteris, quæ produxi, sanctorum Patrum testimonii conferas, ita omnia Mithræ mysteria ad Christianorum rituum & Sacramentorum imitamentum facta & composita reperies, ut mirum non sit, sacerdotem illum, ad seducendos impiæ nominis profanatione Christianos, suum *Pileatum* seu *Mithram Christianum* vocasse. Imò Manichæi, quorum nefarium ducem Mithræ addictum vidimus, Solem, qui Mithra est, ipsummet Christianum putabant, teste eodem Augustino in *Joan. cap. 8. tr. 34.* pag. 534.

Quæ sequuntur militum Mithræ initia, non ad timoris speciem comparata, sed sincera & vera martyrii argumenta sunt. S. Gregorius Nazianzenus oratione 3. Stileut. in Julianum pag. 77. tom. 1. edit. Paris. 1630. in *sacris Mithræ adhibitos*, ait cruciatus, justasque, aut etiam mysticas unctiones, & orat. 39. in sancta lum. pag. 626. vocat justum eorum *supplicium* qui *Mithræ sacrī initiari sustinent*. Nullus quippe sacrī Mithræ initiari poterat, nisi plura probationum genera & cruciatus corpore suo excepisset, fortitudinisque in perferendis laboribus specimen, & se *sancuum* & perturbationum immunem esse demonstrarit, ait Suidas in verb. *Mīθrēs* pag. 162. tom. 2. Eò spectat ritus ille, ut qui *Leonticis sacrī initiabantur*, aquæ loco mel manibus lavandis affundebant, quo jubebantur, inquit Porphyrius de antro Nymph. pag. 260. *manus ab omni malo noxioque scelere puras habere*. Immo & linguam mellę ob omni peccato expurgabant. Gradus tormentorum *octuaginta* enumerat Nonnus (non Elias Cretensis, uti male citat Barthius ad Statii locum *sæpius laudatum*) in collectione historiarum ad eandē invectivam Nazianz. advers. Julian. num. 5. & 45. Hi

verò serie quadam suscipiebantur , primum quidem levioribus suppliciis, deinde atrocioribus inflicitis . Nam primum ei diebus multis aperienda est aqua . Deinde necessario ipsi faciendum est, ut se in ignem coniiciat : postea in solitudine versari, sibique ipsi in ediam imperare necesse habet; atque ita ad alia pergere quo usque LXXX. suppliciorum genera defunctus fuerit. Quibus si supervixerit, tunc demum sacris Mithriacis initiatur . Sunt verba Nonni num.45. Immanis tamen hic numerus corrigendus videtur eidem Barthio & ad duodecim probationum gradus arctandus , ex Eliâ Cretensi in oratione 3.ejusdem Nazianzeni num.64. & 83. At is eum numerum ad tormentorum genera, ustionis , famis , flagellationum & hujusmodi definivit , quæ potuerunt repetitis vicibus usque ad octoginta gradus iterari, ut sic Nonno cum Eliâ conveniat . Nam & Nicetas Episcopus ad eundem Nazianzenum, in ipso probationis ingressu, inquit, per quinquaginta totos dies eos fame cruciant, deinde duos dies flagris cædunt, tum in nivem viginti dies immittunt . Imò in antiquissimo ms.Codice septingentorum annorum , qui in Bibliothecâ Laurentianâ Serenissimi Magni Ducis asservatur, hic ipse Nicetas octoginta probationes recenset , quo Nonni testimonium amplius fulcit . Cum hisce jam scriptis prælum propè immineret , clarissimus Montfauconius, quæ ejus est humanitas, & in hac nostrâ lucubratione , cui aliquando calculum suum detulit, exornandâ studium,dum Florentiæ moratur in itinere ab Urbe in Galliam suam suscepto , textum ipsum Græcum ex eodem Codice descriptum ad me datis literis transmisit , additâ eleganti interpretatione Latinâ . Hæc autem Scholiaſtæ sunt verba : Mithram alii alium esse arbitrati sunt : quidam scilicet Solem, alii inspectorem seu moderatorem ignis, alii propriam quædam virtutem . Hujus autem Mithræ mysteriis quædam initiationes sunt maximè apud Chaldaeos . Qui Mithræ mysteriis initiaabantur, quibusdam ceu gradibus cruciatuſ probari solebant; ita ut primū leviore penarum genere adjicerentur , ac

deinceps vehementiore. Exempli caussâ, primo initiandos fame adfligebant quinquaginta diebus, ac si hęc constanter tolerarent, illos biduo cędi curabant, ac deinceps eodem pēnę genere singulos exercabant viginti octo diebus: eoque pactō auctis cruciatibus, si qui initiantur hęc patienter ferrent, tunc demum perfectiora mysteria edocebantur. Si numerum colligas probationum, quinquaginta scilicet famis, duo flagellationum, repetito eodem genere pēnæ per alios viginati octo dies, ipsosmet octoginta gradus Nonni deprehendes. Videas præterea Mithram aliquibus fuisse inspectorem seu moderatorem ignis, quem *R*enem ignis in vulgatâ Nicetæ versione vocatum alibi diximus. In Codice Florentino est ἕρεμος, quæ vox corruptè potuit immigrasse in ῥεπέτην, hoc est renem. Et sanè ea lectio magis arridet; nam inspectoꝝ & presoꝝ ignis terreni est Mithræ seu Sol, qui eum conservat & fovet, uti putarunt veteres maximè Persæ. Quos inde nil mirum ejusdem ignis cultum retulisse ad suum præsidem & conservatorem, Solem videlicet seu Mithram, ut observabam capite secundo.

Polluisse hæc profana mysteria sacerdotum sanguine per tormenta & cruciatus non satis fuit, nisi & victimarum humanarum crudeli & immanni sacrificio contaminarentur. Homines enim mactatos Mithræ innuit Porphyrius de abstinentia lib.2. cap. 56. ubi ex Pallante, qui collegit Mithræ mysteria, narrat, Hadrianum Imp. propè omnes humānę hostię mactationes sustulisse. Nonnullis placuit cruentum morem instaurasse Commodum, qui teste Lampridio in ejus vitâ cap.9. *Sacra Mithriaca homicidio vero polluit.* At cùm historicus subdat, cùm illīc aliquid ad speciem timoris vel dici vel fingi soleat, quo videtur respexisse, ad metum & fictum pavorem, qui militi Mithræ initiando, interposito gladio, injiciebatur ex Tertulliano, ideo magis est ut credamus, Commodum vano timore in verum traducto, ipsum initiandum gladio transverberasse. Non obscuratamen alia patrati humanæ hostiæ sacrificii testimonia extant.

tant . Refert Socrates historiæ Eccl . lib . 3 . cap . 2 . versionis Valesianæ , locum fuisse Alexandriæ jam inde à priscis temporibus vacuum & neglectum , in quo Gentiles Mithræ mysteria peragentes immolare homines consueverant . Eum dūm repurgare vellent Christiani , adytus repertus est seu specus immensæ altitudinis (hunc *Mithrium* vocasse Alexandria nos memorat Sozomenus lib . 5 . cap . 16 .) in quo mysteria Gentilium erant recondita , scilicet complures hominum calvariæ , juvenum pariter ac seniorum , qui olim maiestati dicebanrur . Ea circumlata sunt per Urbem , ob idque à Paganis ingens orta seditio , quam narrare pergit historicus ; qui denuò lib . 5 . cap . 16 . cruēta Mithræ sacra publicè spectanda fuisse proposita repetit . Ex priori loco Socratis disces , homines in Mithræ sacrī maestatos fuisse , ut divinatione quæ per extorum inspectionem fit , uterentur Gentiles , & magica sacrificia ad animas incantandos peragerent . Sanè raro exemplo tam immania sacrificia Soli , miti Deo & benigno , imputata sunt , & divinatio , cui ipse præterat , ita per scelus tam grande quæsita .

Dum antra seu spelæa dicata vidimus Mithræ , disquendum est , an Lucos quoque sacros habuerit ; cùm nobilis inscriptio lapidis Divionensis id primore adspectu suadeat . Eam ex archetypo descripsit Andreas Taurellus , & Fortunio Liceto communicavit , ab eo explicationem quærens . Celebris tunc Philologus prolixè votis annuit epist . 25 . inter ejus responsa ad quæsita per epistolam pag . 185 . to . 1 . Epitaphium Græco idiomate & literis exaratum est . Nos interpretationem Latinam Taurelli hic producimus . IN MITHRAE LVCO tumulus hic corpus tegit Chyndonactis sacerdotum Principis . Impie abstine : Dii liberatores cineribus favent . Non parum negotii faceſſivit Liceto explicatio hujus lapidis . Postquam enim rejecit Taurelli sententiam , qui , quod in marmore ſcribatur Μίθρης inflexione feminine , putaverat Mithrem Solem seu Apollinem esse non virum , sed feminine naturæ participem , tres subinde procudit in-

ter-

terpretationes . Primæ non immoror , quod ipsi quoque haud probetur . Mithrem igitur , in cuius luco Chyndonates princeps sacerdotum tumulatus fuit , Venerem omnino autumat , fretus in primis testimonio Herodoti nobis alibi excusso . Cum autem sepulcralia attineant ad Venerem , quæ Libitina antiquis vocabatur , idcirco , ait Chyndonatem in luco eidem dicato fuisse conditum . At præter quam sublestæ fidei testimonium Herodoti est , ut jam ostendimus , constat Gallos Deum marem , non feminam putasse Mithram . Extat inscriptio Lugdunensis apud Gruterum pag . 33 . 11 . & Nemausensis apud Sponium Recherch . d' antiq . diss . 3 . par . 71 . quæ dicatæ sunt , *Deo invicto Mithrae* . Qui non alias quam Sol , uti satis superque demonstratum est . Nec vox *Mithras* feminine inflexione quidquam movet ; cum ea ad mares fuerit Græcis traducta , cuiusmodi non unum exemplum dedi , & mox alia proferam . Et Latini eandem feminineam terminationem , *Mithra* , usurpare non sunt veriti . At lapidi Divionensi nequam Deum Mithram inscriptum , nec ei dicatum lumen sepulcralem Chyndonactis arbitror . Nam interdictum fuit religione veterum in loca Deo cuiquam consecrata cadavera inferri , quod res sacrae non tam contactu , sed vel solo eorum aspectu contaminari putarentur . Quamobrem Flamini Diali non licebat locum , in quo bustum erat , ingredi , vel mortuum attingere , teste Agellio lib . 10 . cap . 15 . Tiberius cum laudaret pro rostris filium , stetit in conspectu , ait Seneca de consolat . ad Martiam cap . 15 . posito corpore , interiecto tantummodo velamento , quod Pontificis (ipsius Tiberij) oculos à funere arceret . Videbis Kirchmannum de funeralibus Rom . lib . 2 . cap . 21 . Quâ de caussâ intra Urbem condi cadavera vetitum fuit lege duodecim tabularum , ne funestarentur , inquit Paullus lib . 1 . sententiar . tit . 21 . *sacra Civitatis* . Qui mos viguit in aliis quoque urbibus , ne sanctum Municipiorum jus pollueretur , ait Diocletianus Imp . in l . mortuorum C . de relig . sed incolarum domicilio *sanc*titas reliu-

relinqueretur, subdit Theodosius in l. 6. de sepulcro viol. Cod. Theod. Quare lucus Divisionensis Mithræ , sive Deo sive Dex, sacer esse non potuit, ubi cadaver Chyndonactis fuerat collocatus.

Tertia Liceti interpretatio monstrat iter , non ducit ad metam. Mithræ lucum esse ait nemus peculiare destinatum sepuleris sacerdotum Druidarum ; cùm alii defuncti tumularentur in alio loco . Quippe *Mithra* cognomen erat proprium Sacerdotum primiorum, sive principis sacerdotum ex Appulejo lib. 11. Metam. ipsumque *Mithram* illum suum sacerdotem præcipuum divino quodam stellarum consortio, ut ajebat, *mibi conjunctum* , *sacrorum ministrum* decernit . Addas etiam eundem propè finem : *complexus Mithram sacerdotem, & meum jam parentem &c.* Et rursus , si placeat , Archelaum in disputatione cum Manete non semel mihi laudatâ, pag. 97. *Parcus* verò quidam Propheta, & *Labdacus* *Mithræ filius* arguebat eum (*Terebinthum*) mendacii ; tanquam Mithra hic quoque sit cognomentum primarii Sacerdotis . Attamen magnopere dubito, num Mithra apud Appulejum sit cognomen primiorum sacerdotum ; imò potius nomen proprium sacerdotis illius præcipui , qui eidem Appulejo initia Isidis tradiderat . Quod Reinesius quoque indicat epist. 69. ad Rupertum pag. 655. Evidem video in Ægypto ubi hæc gesta sunt , aliis etiam, non tantum primario sacerdoti , commune fuisse ejusmodi nomen . Quippe auctore Plinio lib. 36. cap. 8. *Mitres* rex fuit Ægyptiorum , qui primus obeliscos fecit . Nec juvat sequi Kircherum , qui lib. 1. de origine obelisc. cap. 4. legit *Mestres* . Præterea frequenter *Mithræ* nomen occurrit promiscuè hominibus impositum , ut inferius ostendam . Quod ad locum Archelai attinet , suspecta mihi lectio est, & interpretis fides . Nam Epiphanius in hæresi Manichæorum nu. 3. ait *Terebinthum* disputasse cum Ædituis & sacerdotibus *Mithræ*, imprimisque *Parco* quodam , ac *Labdaco* prophetis de duobus principiis . En Labdacus propheta est

est seu sacerdos dei *Mithrē*, non filius *Mithrē* hominis : Hæc hauserat Epiphanius , sicut & cetera , ex eademmet disputatione Archelai . Cui sanè potior fides esse debet, quā interpreti Latino , quem plura peccasse in suâ versione notavit eruditissimus Editor Zacagnius in præfat.pag.5.& paſſim in notis . Fortassis cùm vidisset in Græco vocem *Mīθrē* transtulit *Mithræ filius* , quod apud Græcos mos fuerit filium designare nomine patris gignendi caſu elato . At potius cum Epiphanio Labdacum dei *Mithrē* prophetam seu sacerdotem dicere debuerat .

Ceterum *Mithra* & *Mithres* nomen quoque fuit hominis nullo sacerdotio insigniti . Extat saxum apud Gru- terum pag.269.3. inscriptum C. Rutilio MITRHAE Centurioni cohortis II. Vigilum . Calpurnius MITHRES visi- tur in 3.pag.1140. Et C.Fyrnius METRAS monumentum ponit Fyrme METRAE filio pag.685. 1. C. Curtius *Mi- thres* Libertus Postumi memoratur Tullio epist. fam.69. in princ.lib.13. Apud Diogenem Laërtium *Mithres* est pro- curator Lysimachi, lib.2. pag.58. edit. Græcolat. Londin. 1664. & sub initium lib.10. eodemque libro pag.273. Epi- curus inscribit librum sententiarum ad *Mithrem* ; idem- que nomen invenies apud Plutarchum contra Colotem propè fin. Itaque , meā quidem sententiā , locus in quo tu- mulatum fuit cadaver Chyndonactis , non lucus *Mithræ* deo sacer erat , nec nemus peculiare , quod appellationem à cognomine sacerdotii primarii traxerit; sed vel lucus, vel ager hominis cuiusdam qui *Mithres* vocabatur . Nam vox ὡγάς , qua legitur in epitaphio, apud Lexicographos non tam iocum Deo sacrum , sed etiam eum quem colere nefas est, ut luci & campi inculti , imò & agrum & vineam desig- nat . Quamobrem *Mīθrē* εν ὡγάδι . commodè reddi potest, in agro *Mithres* , hominis scilicet qui ejus olim dominus fuerat , & fortasse sacerdotibus Druidarum ad sepulturam donaverat, unde nomen manſit . Et ager ille, seu eriam ve- lis lucus , illatione cadaverum religiosus effectus & incul-

E e
tus,

tus, ὁ γὰς dici potuit etiam magis propriâ vocabuli significatione. Ergo inscriptio Divisionensis ita intelligenda est, ut Chyndona cœm sepultum præferat in agro, qui fuerat *Mithres* viri cuiuspiam, non deo sive dæxo sacro. Quâ loquendi formâ Suetonius ait, *Caligulae cadaver in hortos Lamianos asportatum, & tumultuario rogo semiambustum, levi cespite obrutum fuisse, in vitâ cap. ult. & reliquiæ Hadriani in hortis Domitiæ collocatæ sunt apud Capitolinum in Antonino Pio cap. 5. Corvusque à populo Romano celebri pompa æquè ac insanâ elatus, in campo Redicula concrematus, est auctore Plinio lib. 10. cap. 43.*



C A P U T VI.

Natalis Invicti in veteri Kalendario male à Bucherio & Lambecio explicatus. Is Mithra seu Solis est; cui eo die Circenses dicati. Mithrae Festum aliis gentibus sollemne. Quid feriae natalitiae Ori. Annus apud Aegyptios. Cur natalis Mithra die 25. Decembris, qui Christi Domini Nativitati sacer est, à Paganis celebratus? In id differentatio inedita Hieronymi Aleandri producitur. Sol post hibernum solstitium antiquis renasci creditus, unde & Sol novus dictus. Quæ est vera cauſa natalis Mithrae. Nativitas Dominica non fuit à Christianis in diem natalis Mithrae translata, sed semper in Ecclesiâ Romanâ acta est die 25. Decembris, unde refellitur opinio P. Harduini. Locus S. Luce de vigiliis Pastorum nocte Natalis Domini expositus. Quæ prima pluvia apud Hebreos, & quenam pecora deserti. Hinc duo textus Talmudici explicantur.



ELIGIO Mithrae adeo Romanorum animos invaserat, ut etiam dies ejus natalis, festo sollemni instituto, fastis publicis fuerit consignatus. In Kalendario sub æuum Constantini condito hæc adnotantur: VIII KAL. IAN. N. INVICTI. CM. XXIV. Ægidius Bucherius de doctrinâ temp. pag. 288. optimè siglam N. natalis interpretatus est; at minus rectè Invicti nomen ad Constantium detorsit, putans eo die natalem ejusdem Imperatoris fuisse celebratum. Eodem lapsus est Lambecius in notis ad ipsum Kalendarium pag. 300. to. 4. Bibliotheca Cæsarea. Viri eruditæ has notas ita explicant: Octavo Kalendas Januarias Natalis Invicti, Circenses, Missus XXIV. Invictus est Mithra tot jam argumentis assertus. Circenses ludos eo tempore in ejus honorem actos fuisse, docet Julianus Imp. orat. 4. pag. 292. Itaque statim exacto ultimo mense, qui Saturno dicas-

tus est, ante initium anni magnificentissimos ludos in honorem Solis committimus, quos INVICTO Soli nuncupamus. Quomodo exacte in hanc diem VIII. Kal. Jan. incident hi ludi, egregie explicat Petavius ad hunc locum Juliani. Dixerat hic ipse Imperator paullò superius pag. 290. se recentiora proferre cum Mithræ cultum & agones in honorem Solis memoraret. Fortassis respexit ad tempora Aurelianii Imp. qui teste Eusebio in Chron. ad annum 175. agonem Solis primus instituit. Porro hi ludi seu agones agebantur sollemniori pompâ & celebritate, quod indicat nota apposita in Kalendario: MISSVS XXIV. In Circo emittebantur ad ludos quadrigæ equorum, quarum quæ prior in septimo curriculo metam circumflexisset, palnam adipiscebatur. Hinc editi equorum tot missus dicebantur. Et quidem uno die viginti quatuor exhiberi, sollempne & legitimum erat. Quo numero missuum celebriori constabant Circenses Natali Invicti dicati. Eadem sollemnitate natales quoque Imperatorum celebrari consueverant. Caius Caligula arrepto Imperio varia spectacula edidit. Inter quæ, ait Dio lib. 59. pag. 644. & equi certaverunt duabus vicibus, priore vicies, posteriore vicies quater. Statimque reddit rationem secundi hujus numeri missuum, natalis enim erat Caji. Passim in eodem Kalendario ad Natales Cæsarum id genus Circensium adnotatur. Ceterum proscriptâ Gentilitatis superstitione, Circenses quibus natalis Solis seu Mithræ colebatur, in adulationem Principum Christianorum sunt traducti. Testis est Corippus Poeta Christianus de laudibus Justiniani lib. 1. ubi post versus inferius recitandos, quibus novo Soli spectacula ab antiquis sancita dixerat, hæc subdit:

*Hunc veterum primi ritum non rite colentes,
Esse Deum Solem rectâ non mente putantes,
Sed factor Solis postquam sub Sole videri
Se voluit, formamque Deus de Virgine sumpsit
Humani generis, tunc munere Solis adempto
Prin-*

*Principibus delatus honor; mundusque Latinis
Et jocunda novæ Circensis gaudia Rōmæ.*

Apud alias quoque gentes Mithræ sollemnia statis diebus colebantur. Athenæus lib. 10. cap. 10. ex Ctesia & Duride narrat, eo die tantummodo, quo Persæ Mithræ sacra ficerent, licuisse Regi usque ad ebrietatem bibere. Ludis equorum exhibitis hæc sacra fuisse acta coniicit Casaubonus in animadu. ad eundem lib. 5. c. 5. cùm in aliū usum verisimile non sit adhibita fuisse viginti millia equorum, quæmitti solita refert Strabo lib. 11. ad Regem Persarum sub illud tempus quo festum Mithræ celebrabatur. Ita enim eum locum Strabonis ipse interpretatur, secus ac Xilander qui è Mithriacini verit. Equos sanè sacros fuisse Soli apud Persas tradit Justinus lib. 1. cap. 10. & Xenophon Cyropæd. cap. 8. Unde & ejusmodi mos fortasse, cum ceteris Mithræ ritibus, fluxit ad Romanos, qui, ut diximus, equorum ludis ejus sollemnia peragebant. Nescio an dies ille apud Persas perinde quoque fuerit natalis Mithræ. At utique Ægyptios hunc coluisse, non videtur ambigendum. Plutarchus de Iside & Osir. pag. 372. refert, eos ultimâ die mensis Epiphi, Sole & Luna in eadem linea coeuntibus, ferias egisse natalitas oculorum Ori. Subditque, oculos Ori Solem & Lunam censuisse. Ægyptii post victoriam Augusti, ut id honoris in eum conferrent, initium mensis Thoth, à quo annum exordiebantur, in diem 29. Augusti fixerunt. Inde Epiphi apud ipsos (uti appareat in diagrammate apud Eminentiss. Norisium de Epochis Syromaced. dissert. 5. cap. 2.) desinebat in diem 25. Julii, quo feriæ illæ natalitiae Solis celebrabantur. Secus esset, si tempora ante hanc Epocham acceptam, quibus annos vagos usurpabant, spectaremus. Nam vel ob intercalationem quinque dierum in anno solaris, quod menses omnes triginta dierum ficerent, seu quia Thoth annum quidem ducebat, sed in novilunio ab ortu Canicula, quilibet mensis sedem mutabat, & proinde dies certus huic sollemnitati constitui non posset. Fortasse

Plu-

Plutarchus , qui post novam Epocham scribebat , de annis fixis intellexit . At nodus alias emergit . Si feriæ natalitiæ Solis in novilunio agebantur, nimirum Sole & Lunâ in eadem linea coeuntibus , non video quî fieri possit ut Plutarchus de annis fixis intelligat , & statâ die ultimâ mensis Epiphi ejusmodi feriæ inciderent ; cùm certum sit in anno solari, quo utebantur Aegyptii, Sizygias Lunæ singulis annis antevertisse . Nisi dicamus, indictas fuisse ferias in neomeniâ , quę proxima esset diei ultimo mensis Epiphi . Vel cùm feriæ in plures dies protraherentur satis habuisse Sacerdotes , si postremus Epiphi unum aliquem eorum perstrinxisset . Hęc scripseram, cùm animadverti , Josephum Scaligerum lib.4.de emend.temp.pag.237. editionis 1629. lapsum hunc gravissimum Plutarchi jam adnotasse , quod nimirum menses fixos Aegyptiis ab ultimâ antiquitate attribuat , & deinde hoc loco , & alio quem refert , lunares faciat .

Porrò NATALIS INVICTI Mithrę seu Solis ubiorem nobis differendi segetem suppeditat . Querendum enim est, cur die VIII.Kal.Januar. seu XXV.Decembris,in quem Natalis pariter Christi Domini incidit , à Paganis fuerit constitutus . Inter scripta Hieronymi Aleandri , quę non semel laudavi , extat brevis dissertatio in hunc diem Kalendarii veteris, ubi explicato nomine *Invicti*, hęc quoque quęstio eleganter agitatur . Integrā enim commētationem in illud Kalendarium scripserat , testantibus viris doctis, qui eo dum viveret familiariter utebantur. Gaf-sendus in virâ Peireskii sępius commēmorat , Aleandrum in eâ adornandâ laborare . Pignorius in tab. Isiacâ pag.16. propediem proditoram spondet . At Leo Allatius tanquam de opere jam perfecto loquitur, illudque inter alia ejus monūmenta post obitum relicta enumerat , in libello cui titulus, *Apes Vrbanae* pag. 124. Neque alteri id perspectius esse potuit quam Allatio, qui nobilissimæ Bibliothecæ Barberinæ, in quâ Aleandri fœtus inediti fuerant reconditi,cu-
ram

ram agebat. In hac quidem plura ejus scripta authographa adhuc servantur; quæ cum Eminentissimus Card. Franciscus, cui inter amplissimas virtutes literarum patrocinium in censu Majorum est, non tam lustrare, sed etiam exscribere permisisset, nusquam Commentarium illud reperire licuit. Tantum in unum volumen conjecta videntur plurima veterum scriptorum loca & testimonia, veluti in adversariis descripta, ex quibus opus suum concinnasse virum eruditum facile intelligas. Quare illud periisse, vel alicubi inter tineas jacere dolemus. Ne verò cetera scripta idem fatum maneat, ea undique collecta editioni parat Justus Fontaninus, Scriptoribus Forojuiliensibus, de quibus eruditum opus & multi laboris in Patriæ communis ornamentum jam molitur, auctoritatem facturus, Aleandro veluti in exemplum famæ præmisso. In eo igitur volumine adversariorum memorata elucubratio in hunc diem Kalendarii integra & absoluta superest. Quam, veluti ex pretiosæ supellestilis naufragio servatam purpuræ laciniam, si hic attexuero, jure aliquo meo id videbor fecisse; ut quoniam eadem mihi cum Aleandro provincia Forojuiliensis patria est, sit etiam quedam inter ingenii fœtus communio.

„ *VIII.Kal. Jan. N. Invicti.* Jovis Invicti templum „ Romæ fuisse constat. Herculem quoque hoc cognomen- „ to sæpiissime insignitum reperi; sed & Martem reliquos- „ que Deos. Verùm natalem hunc diem non alium esse „ quam Mithræ Persarum Dei autumo, quo die Romæ de- „ dicatum ei fuerit templum, seu potius spelæum, etenim „ antra loco templorum huic Deo statuebantur. Jam du- „ dum enim ejus sacra recepta Romæ fuerant, cùm de- „ Commido Imperatore referat Lampridius, sacra Mi- „ thriaca homicidio vero polluisse. Sed & ante Commo- „ dum privata saltem veneratione Romæ cultum fuisse, in- „ dicant plura vetera monumenta, quibus signa arasque „ & spelæa fuisse illi dicata demonstratur. Porrò simplici

„ ap-

„ appellatione INVICTI Mithram intelligi , alibi docui-
 „ mus , Commodiani carmina quædam explicantes . Id
 „ etiam elicetur ex antiquæ inscriptionis fragmendo .

M.D.M. IDEÆ ET ATTIDI MINOTAVRANO
 NOBILIS. IN. CAVSSIS. FORMA. CELSVSQVE...
 HIC. PATER. INVICTI. MISTICA. VICTOR HABET
 SERMO. DVOS. RESERVAT
 ET .. VENERANDA. MOVET. CYBELES. TI....
 AVGENTVR. MERITIS. SYMBOLA. TAVROBOLI.
 RVF. CEIONI. CAES. SABINI. F. V. C.
 PR. PATER. SACRORVM. INVICTI
 MITRAE. TAVROBOLINV.S.

„ nam qui *Invictus* simpliciter fuerat appellatus, *Invictus*
 „ *Mithra* postmodum dicitur . Augescenti Christianæ Re-
 „ ligioni multis machinamentis ire obviam conatus est
 „ diabolus , ac cum omnes ferè peregrinas superstitiones
 „ Romam invexisset , Mithræ cultu profano incrementum
 „ Christiani cultus remorari tentavit , Deum hunc Persa-
 „ rum fictitium vafro quodam fuco Christo vero Deo op-
 „ ponens . Itaque quòd de Christo dictum esset, vicit Leo
 „ de tribu Juda, non tantum Invicti nomen Mithræ fuit in-
 „ ditum , sed Leonina quoque facie efformari solitum tra-
 „ dit Lucretius Statii interpres ad primum Thebaidos .
 „ Mithram quoque eundem cum Sole fuisse creditum , te-
 „ stantur Strabo , Hesychius , Suidas , aliquique: nimirum
 „ quia Christus Sol Justitiæ appellaretur, seque ipse lucem
 „ mundi dixerit . Ignem se in terras attulisse Christus do-
 „ cebat, ideoque sacra Mithriaca ad ignis transferebant
 „ potestatem, ut constat ex Julio Firmico. Quid quod ejus
 „ mystæ dicebatur milites ? annon quia Christi martyres
 „ hoc nomine iasigniri consueverant ? nam martyrii quo-
 „ dammodo mimum agere (ut loquitur Tertullianus) vi-
 „ debantur , dum coronâ quâ in martyriis donabantur è
 „ capite in humerum rejectâ, suam coronam Mithram esse

,, te-

„ testabantur , ut idem auctor est lib. de corona mil. Lavationes etiam in iisdem mysteriis adhibebantur; nimirum „ eodem Tertulliano conquerente in lib. de Baptism. ut „ Baptismi adumbraretur Sacramentum. Eucharistiae quoque imaginem ingerere voluerunt; dum panem & poculum in iisdem Mithræ initiis ponerent , ut consideravit „ Justinus martyr Apolog. 2. pro Christianis . Ex petrâ verò prodisse Mithram prædicabant, ut imitarentur, quod de Christo dictum fuit , petram esse ex monte excisam, „ sive lapidem in fundamentis locatum ; quemadmodum & idem Justinus in Dialogo cum Tryphone Judæo , & Julius Firmicus de error. prophan. relig. afferunt. Addit etiam eodem in libro Justinus, ideo in spelæo Mithriaca initia peragi solita , ut ad Bethleemiticum antrum alluderetur, ubi constat natum Christum fuisse . Ut vero fabulam hanc omnibus absolutam partibus egregie pravus dæmon clauderet, palam est ex Kalendario nostro Natalem Mithræ hac die VIII. Kal. institutum, qua die Christi Natalem veri Dei, verè Invicti quotannis solemniter celebramus .

Ita Aleander doctè & ingeniosè sententiam suam de Mithræ natali à Paganis in diem Nativitatis CHRISTI constituto prosequitur . Profectò tot exempla , Sanctorum Patrum suffragio munita, in hoc quoque redemptionis nostræ Sacramentum nefariâ imitatione diabolum invasisse suadere possunt . Qui quia noverat , ut de futurâ per sanguinem redēptione ajebat S. Augustinus loco superius recitato, Christum Solem, Ignem , Leonemque appellatum iri , Mithram eadem symbola induere , etiam ante ipsius adventum, jussit, & subinde potuit quoque diem ejus natalem occupasse . At nihilominus aliò pergere fas mihi sit, & alienis conjecturis dimissis, ex re ipsâ promere caussam cur Gentiles Solis seu Mithræ natalem die xxv. Decembbris sollemnem agerent. Quod nunc expono. Sol integro Zodiaci circulo per anni tempestates emenso , cùm ad extrema hiberni

tropici delapsus est , tunc quasi ab imo & profundo loco emergens , ad superiora revertitur , novumque cursum inchoando quodammodo renasci videtur . Julianus Imp. de hac ipsâ die sollemnitatis Mithræ differens , non aliam rationem indicavit . Tunc enim , inquit orat . 4. prope finem , rex Sol extremo meridiano limite derelicto , rursus ad nos revertitur , & ad Capricornum , tanquam ad metas , cursum reflectens ab Austro ad Septentriones progreditur , ut annua commoda nobis impertiat . Nam Solem anni curriculum permeantem veluti per æratum vices transire fingeunt antiqui , & ita cum ad ejus finem pervenisset , tanquam completo vitæ spatio , ad senectutem delapsum esse dicebant . Ita eum ad Deorum consistorium accedentem describit Capella lib . 1. de nupt . Philolog . pag . 20. Facie autem mox ut ingressus est , pueri renidentis , in incessu medio juvenis anheli , in fine senis apparebat OCCIDVI . Itaque occiduus Sol in extremâ senectute , dum novum cursum instaurat , quasi in novam vitam prodeat , nil mirum quod denuò nasci crederetur , diesque is ejus natalis appellaretur . Nam verè tunc parvus & infans videtur , qualis Ægyptii proferunt ex adyto , ait Macrobius lib . 1. Sat . cap . 18. qui luculentius ita rem nostram attingit cap . 21. Cum , inquit , ad minimum diei Sol pervenit spatium , quod veteres appellavere brumale solstictium , brumam à brevitate dierum cognominantes . Ex quibus latebris vel angustiis rursus emergens , ad æstivum hemisphaerium tanquam ENASCENS in augmenta porrigitur . Cum igitur bruma seu Solstictium contingenteret ipso die VIII. Kal. Januarias , seu xxv. Decembbris , ex ordinatione Julii Cæsar , licet octo ante diebus præcederet (nam antiqui cardines temporum in octavis signorum partibus fieri arbitrabantur , uti observat Petavius loco superius notato , & de doctr . temp . lib . 4. cap . 27.) ideo die illo Solem veluti natum putantes , NATALEM ejus colebant , ludisque institutis sollemniter celebrabant . Hinc hac ipsâ de caussâ SOLEM NOVVM cum diem Solsticialem , seu xxv. Dec . esse dicebant ,

bant, veluti tunc Sol innovatus & recens natus esset. Auctores laudo, Censorinum de die natali c. 21. in fin. ubi annum incipere ait à NOVO SOLE, id est à brumâ, aliis ab aestivo Solsticio &c. & Servium qui lib. 7. Æneid. ad vers. 720. Vel cum Sole novo, hæc scribit: licet Poëta intelligat de primâ aestatis parte, proprie tamen SOL NOVVS est octavo Kal. Januarias. At Corippus, quem supra retuli, non tam Sollem novum digito ostendit, sed etiam ipsos Circenses in nostro Kalendario in hunc diem consignatos. Ita enim canit:

SOLIS honore NOVI grati spectacula Circi
Antiqui sanxere patres, qui quatuor esse
Solis equi &c.

S. Ambrosius initio sermonis 10. de Nativitate Domini, vel quisquis ejus auctor sit, nam Monachi Benedictini falsò ei adscribi censem, ideoque ad caleem secundi tomī rejecerunt, ubi est sextus: Bene quodammodo, inquit, sanctum hunc diem natalis Domini SOLEM NOVVM vulgus appellat, & rāntâ sui auctoritate confirmat, ut Judei etiam atque Gentiles in hanc vocem consentiant. Quod libenter amplectendum nobis est, quia Oriente Salvatore non solum humani generis salus, sed etiam SOLIS ipsius claritas INNOVATVR. Gentiles scilicet in hanc vocem consentiebant, non ut mysterium Nativitatis CHRISTI imitarentur, sed quia tunc Sol innovari & quodammodo renasci videretur; ideoque superinductâ superstitione, natalem ejus sollemnii Circensis pompâ celebrabant. Hinc etiam Leo Magnus apud Christianos sui ævi ex Gentilium more traductam appellationem perstringit, nomen *natalis Solis* expresse designans, sermone 2. de Nativit. Dom. cap. 5. Illudens simplioribus animis de quorundam persuasione pestiferi, quibus hæc dies sollemnitatis nostræ, non tam de Nativitate Christi, quam de NOVI, ut dicunt, SOLIS ORTU honorabilis videatur. Et subinde originem insani cultus monstrat: trahuntur enim adbuc stultissimis gentilitatis erroribus. Eodem

respxit auctor homiliæ in S. Lucam de Nativit. Joannis Bapt. quam licet docti abjudicent Joanni Chrysostomo, at-tamen antiquissimam esse patet, & fatetur Cave de scriptor. Ecclesiast. pag. 186. Ejus hæc sunt verba tom. 2. oper. Chry-sost. edit. Ven. Latinæ 1583. pag. 432. nam in Græcis non extat: Sed & INVICTI NATALEM appellant. *Quis uti-que tam invictus, nisi Dominus noster? qui mortem sub-aetam devicit. Vel quod dicant SOLIS esse NATALEM: ipse est Sol iustitiae, de quo Malachias Propheta dixit (cap. 4.) orietur vobis timentibus nomen ipsius Sol iustitiae, & sanitas est in pennis ejus. Quo illustri testimonio non tam iterum discimus, natalem Solis hac die creditum Paganis; sed etiam Invictum eadem die notatum in Kalendario non aliud esse quam Solem. Quod igitur viii. Kal. Januar. seu xxv. Decembris Sol novus esset, & quodammodo nasci antiquis diceretur, idcirco NATALIS INVICTI qui Sol ipse est & Mithra, eo die sollempni nuncupatione colebatur. Nec alia caussa querenda est.*

Attamen P. Harduin in Antirrheto de Nummis antiq. pag. 65. in aliam sententiam abiit, quam ut adstrue-ret, ipsum diem Natalis Christi Domini, perpetuâ Ecclesiæ traditione sancitum, de loco suo dejicere adgressus est. Cum enim, inquit, à primis temporibus Christianos lateret dies, quo natus est Christus, sapienter fuit institutum die xxv. Decembris, eo nimirum consilio, ut quoniam dies ille ab ethnicis natali Solis dedicabatur, religione mutatâ JESV CHRISTI nostri natali tribueretur. Premonverat na-talem Christi verius Septembri mense incidisse, cum in eum non in Decembrem convenientia Pastorum vigiliæ super gregem suum, quas Lucas commemorat. Et quidem ante æcum D. Chrysostomi in obscuro fuisse natalem Domini, & tunc solum morem celebrandi diem 25. Dec. transisse ad Orientales, ipso teste Chrysostomo homilia 31. Tom. 4. de natali Christi. Profert subinde verba nostri Kalendarii; quæ rectè ait intelligenda esse de natali Invicti Mithræ

Solis & demum concludit: in eum ergo diem natalis Christi Romæ primùm translatus est: ut dum Gentiles profano ritui vacarent, sacris suis Christiani libere operam darent. Profectò P. Harduinus in oppositum prorsus ab Aleandro discensit. Hic Mithram in diem natalem Christi invasisse arbitratus est: ille Christum cum Mithrâ sollemnitatis confortium iniisse autumat. Vtrique satis essent quæ in explicandâ verâ caussâ natalis Mithræ congesimus. At quoniam Harduinus per inania & falsa ad Mithram pergit, iis refellendis operam aliquam proferre cogor.

Sanè non una fuit antiquitus de vero Dominici Natalis die in ecclesiâ Orientali sententia. In Ægypto celebriori suffragio sextus dies Janvarii, quo Epiphania celebrabatur, solleminiis quoque Nativitatis dicatus fuit, ut inter alios testatur Epiphanius hæresi 51. num. 24. Quidam apud Clementem Alexandrinum lib. 1. Strom. eligebat 24. vel 25. Pharmuthi, hoc est 19. seu 20. Aprilis; ipseque Clemens omnino favebat Novembri. At plerisque ex nuperis Sectariis, cum quibus ire Harduinum doleo, Septembrem præferunt, ut Calvisius cap. 48. Isagoges, Scaliger in notis post opus de emendat. temp. pag. ult. quamvis posteà in euntem Octobrem adoptaverit in Canone Isagog. pag. 301. & alii. Singulas opiniones ad criterium non revocabo, quod jam viri docti præstiterunt. Id tamen conabor evincere, perpetuo more & ab Apostolis tradito, in Ecclesiâ Romanâ natalem Christi Decembri fuisse celebratum, & nonnulla in Harduinum pro Septembri pugnantem reponam; ut constet, falsum esse, apud eandem Romanam Ecclesiam diem Domini natalem *obscurum & incertum* fuisse, & ideo ad xxv. Decembbris conjectum, quòd ethnici eodem die natalem Mithræ colerent.

Et primùm eruditus auctor, pro suâ quâ pollet in antiquitate perquirendâ, ut tot edita ab eo scripta testantur, peritiâ, hoc nos docere debuerat, fuisse aliquandò Romæ extrâ Decembrem celebrata Nativitatis Domini sollemnitas,

nia, diemque & mensem prodere ; tunc enim grandi aliquâ
 caussâ mutatam religionem fateremur , & fortasse hac ea-
 dem quam ipse commentus est . Sed nusquam, aut ego fal-
 lor , veterum aliquis est , qui id mandaverit scriptis : & si
 quando Latini Patres Nativitatis CHRISTI meminerunt,
 semper eam in Decembrem conferunt . S. Augustinus in
 Psalm. 132. & de Trinit. lib. 4. cap. 5. à majoribus traditum
 testatur , Christum fuisse natum VIII. Kal. Januar . Quam
 phrasim cùm usurpat S. Pater tempora Apostolica respicit,
 ut videre est in epist. 118. ad Januarium . Evodius in cathe-
 drâ Antiochenâ S. Petri successor peperisse Virginem ait vi-
 gesimâ quintâ die mensis Decembris , teste Nicephoro qui
 ejus sermonem inscriptum *Lumen* recitat lib. 2. hist. cap. 3.
 Prætero antiquissimum Auctorem , quisquis ille fuerit,
 Constitutionum Apostolic. lib. 5. cap. 13. Ambrosium ser. 8.
 10. & 12. Prudentium hymno 11. Cathemer. pluresque
 alios, ut uni Chrysostomo, qno utitur seu abutitur Hardui-
 nus, caussam penè dixerim religionis assertam referam. An-
 te ævum Chrysostomi sanè in obscuro erat apud Orienta-
 les verus dies natalis Christi. In prolato enim sermone 31.
 qui in editione Parisiensi Frontonis Ducxi an. 1636. qua-
 tor, est tomo 5. pag. 417. satis indicat S. Doctor nondum
 decimum annum fluxisse , ex quo ipse dies iis regionibus
 innotuerat . At si de Occidentali ipsaque Romanâ Eccle-
 siâ, de quâ quæstio vertitur, loquamur, non aliud locuple-
 tiorem , quam ipsum Chrysostomum testem quærimus .
 Quippe in eodem sermone dûm morem à Romana Eccle-
 siâ in suam Antiochenam traductum tuerit , hunc diem
 natalis Dominici cognitum fuisse, ait, ab EXORDIO iis qui
 in Occidente habitant, & paullò post: jam inde à PRIMOR-
 DIO ab ipsâ Thraciâ Gades usque incolentibus MANIFE-
 STVS & celebris fuit . Videat Harduinus qui à primis
 temporibus in Romanâ Ecclesiâ latuisse verum diem natalis
 Christi dixerat . Pergit Chrysostomus demonstrare, ex mo-
 numentis de censu hunc diem fuisse deprehensum, & vetu-
 stem

stam traditionem hucusque ab ineunte Ecclesiâ promanasse: *Ex his, inquit liquet, primæ descriptionis tempore natum esse.* Et cui veteres historiarum codices, qui Romæ publicè adservantur, lectitare libeat, perfacile etiam tempus hujus descriptionis accurate discere poterit. Ceterum quid hoc ad nos, dicat aliquis, qui illic neque sumus neque fuimus unquam? Ausculta neque diffidas, si ab illis qui exactam hujus rei cognitionem habent, quique illam Urbem inhabitant, hunc diem accepimus. Nam illi ipsi qui illic commorantur, multò ante ex ANTIQUA TRADITIONE ipsum celebrantes, ad nos usque illius notitiam nunc transmiserunt. De censu seu descriptione, cuius hic meminit Chrysostomus, frigida est observatio Calvisii loco quem præmisimus. Nimirum non convenire hiemale tempus ad eum censem agendum, ne patres familias cum uxoribus & liberis ad locum destinatum longinquis itineribus proficiisci cogerentur. Scilicet publicæ utilitati & Cæsaris præscripto præferenda erant privata Judæorum commoda. At quam grandis hæc erat viæ molestia, cœlo iis regionibus etiam hæmis tempore placidissimo? vel quæ longa peregrinatio, dum singuli profiterentur in suam Civitatem, ut textus Evangelii loquitur, ad quam certum est brevi itinere opus fuisse, urbibus in Judæâ non admodum inter se dissitis? Porrò Codices census seu descriptionis, ex quibus ait Chrysostomus exscriptum fuisse verum die natalem Dominicum, Romæ extitisse, testatur Justinus antiquissimus scriptor sub Antonino Pio, qui rem certò scire poterat, nec si falsa fuisset, ausus esset proferre in Apologiâ quam eidem Imperatori obtulit. In secundâ enim, pag. 75. loquens de Christo in Bethlehem nato, quemadmodum, inquit, & ex descriptionibus census acti, quæ sub Quirino primo vestro in Judæa procuratore sunt confectæ, intelligere potestis. Et Tertullianus paullò Justinī ævo inferior lib. 4. contrà Marciouem cap. 7. de hoc censu Augusti verba faciens, quem, ait, testim fideliſſimum Dominicæ Nativitatis Romana Archiva custodiunt. Ab hisce

hisce igitur fidelissimis testibus Romana Ecclesia verum diem Natalis Christi, ut dixerat Chrysostomus, didicit.

Non moror Joannem Nicænum, qui in epist. ad Zchariam Catholicum Armeniorum vulgatâ à Combefilio Tom. 2. Auctarii SS. Patrum pag. 310. refert Julium Romanum Pontificem ex libris Judæorum cognovisse Christi natalem in diem xxv. Dec. incidisse, atque *ex eo tempore*, inquit, *cœpit Ra Ecclesia lati gaudiis celebrare natalem Salvatoris diem 25. Dec. tradiditque celebrandum univerſis Ecclesiis*. Certe falsa est hæc narratio, eamque convulsam prosternit grande Chrysosthomii testimonium, quo ab *exordio Ecclesiæ* viguisse Romæ hunc morem dicimus. Et aliunde quoque ejus epistolæ fides planè suspecta est viris doctis, uti animadvertisit Cotelerius in notis ad lib. 5. Constituit Apostol. cap. 13. pag. 234. ubi fragmentum ejus recitat.

At non tantum Antiochiæ, quo eum sermonem habuit Chrysostomus, perperam nonnullis Constantinopoli dictum censemibus, tunc temporis celebritas natalitia ad 25. Dec. agebatur, sed in aliis quoque Orientis Ecclesiis. Cl. Zacagnius in opere olim laudato protulit quatuordecim epistolas S. Gregorii Episcopi Nysseni, quarum prima pag. 354. statim ab initio hæc habet: *Cùm superiores cœli partes cursu suo Sol repetens, hiberno tempore, diurni spatii mensuram auget, veræ lucis per carnem humano generi afflgentis apparitionem festivâ sollemnitate celebramus.* Et post aliqua: *quid est quod nocti ad longitudinis summū jam prouectæ, nulla cùm fieri potest accessio, tunc nobis in carne appareat, qui cuncta complectitur &c.* Quibus sanè verbis nemo est, qui non videat Solstitii hiemalis tempus designari: tunc enim tantummodo nocti ad longitudinis summum prouectæ nulla fieri potest accessio; ac perinde neque scrupulum inesse potest, de Epiphaniâ non de Nativitate, diverso die ipsoque Solstitiali celebratâ, loqui Gregorium. Nimicum & in aliis Ecclesiis Orientis, secus ac in Ægypto, ex festivitates discre-

seretis diebus agebantur, ut notavit idem vir eruditus in
præfat. pag. 40.

Nondum P. Harduinum desero, qui ut Christi Nativitatem de loco moveat, multò verius, ait, *in Septembrem conveniunt pastorum vigiliae super gregem suum, quas Evangelista Lucas cap.2. vers. 8. commemorat, quām in Decembrem, quo sane per biensem ea campestris stabulatio sub dia non fiebat. Nam Shaabb. fol. 45. 2. & Bezab. fol. 41. 1. Hæc sunt pecora eremi ea nempe quæ prodeunt pastum circa tempus paschatis, & pascuntur in campis & domum redeunt ad pluviam primam. Nedarim fol. 63. 1. Taanith fol. 6. 1. Quænam est pluvia prima? Incipit tertio mensis Marcheshuan. Qui mensis partem habuit cum Octobri nostro ac Novembri.*

Futilem hanc argumentationem, toties Sectariis recetam, non alio telo conficiam, quam quod in ipsam pridem intorserunt nonnulli ex ipsis met Heterodoxis. Casaubonus exercitat. in Baron. 2. num. 14. non esse inverisimile, ait, *Pastores in Iudea, locis maxime meridionalibus, noctu mansisse sub dia, nam & in Angliâ, quæ frigidissima est regio, saltem armenta toto anno in agris pernoctant, neque propter frigus aut pluviam aut ventos tecto unquam subeunt. additque Epiphonema: Quare vetusta traditio Ecclesie, ad 25. Decembbris Nativitatem recolentis, non temere nobis reiicienda. Wilhelmus Langius de annis Christi part. alterâ lib. 2. cap. 2. scribit hoc argumentum Scaligeri (addamus & Harduini) ne bili quidem esse, subditque: sane in Daniâ mea oves totâ bieme in agris degunt, nisi terra ita penitus nive tecta sit, ut nihil pabuli extrâ villas habere possint. At quid Iudea ad meam patriam gelidis trionibus subjectam? Certum igitur est ac demonstratum verum Christi Natalem incidere in 25. Decembbris. Addo Vossium de tempore nat. Christi part. alterâ cap. ultimo, & Richardum Montacutum Originum Eccles. part. 1. pag. 47. ubi ait, *perridiculum esse quod Scaliger & similes ineptissimè scripserunt. Quasi Jacob non dixerit de se ipso vitam pastoritiam apud Labanem,**

exercente: *Die noctuque æstu urebar & gelu, fugiebatque somnus ob oculis meis.* Genes. cap. 31. 40. Testaturque in suâ Angliâ sub Jove frigido, pluvio, nivoso, per dies noctesque greges, etiam agnos tenellos, in Decembri mense stabulari. Quem etiam videas in Apparatu 11. ad Origin. Eccles. pluribus propugnantem sententiam de Nativitate Christi ad diem xxv. Decembris.

His acquiescerem, nisi Talmudica illa testimonia, quæ Harduinus suppresso nomine descripsit ex Lightfooto in Horis Hebraicis ad Evangelium Luc. cap. 2. vers. 8. tomo 2. operum pag. 496, rursus evocarent. Sanè pecora eremi, quæ vox regionem campanam denotat, ubi non distinguitur sæpibus ager hujus ab agro alterius, uti explicat idem auctor Anglus in Decade Corograph. ad Evangel. Marci cap. 2. pag. 401. pecora, inquam, eremi utique domum redierint ad primam pluviam, hieme ingruente; at quis desponeat, ea cùm domum rediissent, hoc est in locum ubi Pastores habitare consueverant, non sub dio mansisse? Certè in locis Casaubono & Langio appellatis, & passim hic in agro Romano, videmus armenta tota hieme intra septa in aperto degere. Pastores autem etiamsi sub testo dicemus habitasse, saltem alternis vicibus, quod *vigilias* agere est, ad modum militarem, aperto cœlo vel tenui sub tentorio, ità ut possent vidisse lucem circumfulgentem, & voces Angelorum audisse, noctem insomnem ducebant, ut armenta à latronibus, lupis, & aliis noxiis animalibus defenderent. At gratis eam vocem *domum* in textum Talmudicum intrusit Lighfootus & ex eo Harduinus. Cùm enim consuluisset Joannem Pastricum in Collegio Urbano de Propaganda Fide Polemicæ Lectorem, Græcæ & Orientaliū linguarum eximiè peritum, vir humanissimus juxta ad doctus mihi nuncupatâ epistolari dissertatione, non tam ea loca Talmudica impensis excussit, sed plura ex Hæbraicis ritibus ad argumentum composita eruditè concessit. Hic pauca admodum delibabo, quæ jugulum caussæ proprius im- petunt.

petunt. Primum itaque textum Sciabbath, seu de Sabbato, fol. 45. 2. in Ghemarā ità interpretatur: ea sunt deserti animalia quæcumque exeunt in Paschate, & intrant ad pluviam primam: alter vero Bezà, nempe Ovum, quâ dictione tractatus ille inchoatur, sic se habet: *Deserti animalia sunt quæ pernoctant in prato.* Accedit Ghemarā, ubi ad explicationem hujus textus hæc scribunt Rabbini: *Deserti animalia sunt quæcumque exeunt in Paschate, & pascuntur in prato, & intrant in Rebingā pluviam primam.* Nusquam hic reperies animalia intrasse in domum. Potuit decipi, vel decipere Ligthfootus sumendo vocem Baytoth, nempe *domestica animalia*, quæ inchoat versum sequentem, & eam applicando ultimæ, in quam desinit proxime antecedens sententia significationem *domus confinxisse*. Nam iis textibus fit distinctio inter *animalia deserti*, & *domestica*. Ea pernoctant extra limitem, & veniunt in Revingā scilicet ad primam pluviam, quod dicitur in primo versu. Post quem statim sequitur secundus: Baitoth, nempe *domestica animalia quæcumque exeunt & pascuntur extra limitem, veniuntque, & pernoctant intra limitem*. Limes erat terminus Sabbaticus bis mille cubitorum, extrà quem Sabbato non licebat egredi. Ergò *deserti animalia* cum redeunt, non intrant in domum, sed in locum unde in Paschate exierant. Qui sane locus non erat habitabilis, sed in agro & in aperto. Nam in primo textu Talmudico Sciabbath hæc subduntur: *deserti animalia non intrant in habitabilem locum neque in diebus aestus, neque in diebus pluviarum*, scilicet in hieme. Quare optimè inferimus, pecora, super quibus vigilabant Pastores in nocte Dominici Natalis, fuisse pecora deserti, & mansisse utique sub dio, etiam in Decembri & hiemis tempore, quo, ex ipsis Talmudicis testimoniis ab adversariis prolatis, constat non intrasse in habitabilem locum.

Manet ergò, non Septembri, sed ipso xxv. Decembribus die, Christum Dominum mundo in salutem prodiisse: neque diem illum ad usque exordia Ecclesiæ latuisse fideles,

nec in *obscuro* fuisse , nec demum , saltem Romæ , ullo tempore ejus *mutatam religionem* . Quare ineptè translatus dicitur à Christianis ad 25. Decembris , ut quoniam is apud ethnicos sacer Soli seu Mithræ habebatur , JESV CHRISTI quoque veri Solis sollemnitati dicaretur . Quorsum hoc , ut eodem die , quo Gentiles ritus impios agebant , Sacra menta sua , quasi religionis consortio , ex compacto profanarent Christiani , qui toties sanctâ lege veterarunt , ne dies Sacrosanctus Paschatis eodem quo Hœbrei celebra- retur , hac sane ratione , ait Constantinus Magnus in epistola ad Concilium Nicænum , *ut nihil nobis COMMVNEM sit cum inimicissimâ Judæorum turbâ* ? Nempe , prosequitur Pius Imperator , *aliam nos viam à Servatore accepimus* . Recitat eam epistolam Eusebius lib. 3. de vita Constantini cap. 18. An ergo dies ille , quem Christiani traditione acce- perant , ad alium erat traducendus ; & Christus velut de suo loco defigendus , ut inter profana falsi numinis spectacula versarentur ? Quamquam scio placere nonnullis , plures ritus induxisse Christianos exordientis Ecclesiæ , ut gentili- tatis superstitiones ceremonias eodem die actas abolerent . Quod malignè ab Heterodoxis detortum , ansam in nos deblaterandi præbuit . At longum hæc quæstio examen posceret , à quo nostri argumenti ratio arcet . Ritus quoq- dam èâ de caussâ inventos non abnuerim : de festis & san-ctoribus sollemniis aliud judicium . Ratio itaque utrisque sua stetit , Christianis & Gentilibus , celebrandi Natalem Christi & Mithræ eodem die VIII. Kal. Januarias . Illis quòd verè hac die Christus ortus fuisset : his quoniam tunc *Sol novus* prodiret , & veluti *nasceretur* . Utrumque egregiè in rem nostram complexus est Sanctus Pater Augustinus sermone 190. editionis Benedictin. tom. 5. qui alias est 61. de diversis : *Habemus* , inquit , *sollemnem istum diem* , *non sicut infideles propter hunc SOLEM* , *sed propter eum* , CHRI- STVM scilicet , *qui fecit hunc Solem* . Hæc caussa & ratio celebritatis natalitiae inter utrosque : Pagani ut Solem ma- teria-

terialem impiè colerent; fideles ut Christum auctorem Solis sanctè venerarentur. Neque illi ergò ut his se opponent, quod Aleander putavit: nec isti ad illorum exemplum, ut Harduinus commentus est.

C A P U T U L T.

Mithræ cultus quām latè per Romanas provincias effusus. Lux plurima Vopisco: & vetus lapis explicatus. Lectio Epiphaniī asserta: vera Aristotelis producta, unde Erasmi lapsus detegitur. Metragyrta quod hominum genus. Quandonam apud Romanos mysteria Mithræ primum cognita, & demum abolita. Exponitur locus S. Hieronymi de tempore Praefecturæ Gracchi, & excidio Mithræ, quod variis chronologicis observationibus contra Gothofredum statuitur. S. Paulinus explicatus; & quisnam Antonius, cui ultimum suum poëma nuncupavit.



UDEAT ulterius sacra nostra profanis Ethnicorum immiscere. *Mithram* ergò ex instituto persequamur. In Urbem Romam, quæ ut ait Leo Magnus Serm. i. in natal. Apostol. omnium gentium serviebat erroribus, turba deorum ex omnibus undique toto Orbe acceptis superstitionibus invaserat. Unde eleganter Tertullianus Apolog. cap. 10. apud Romanos ait, *quodvis colere jus est præter verum Deum.* Et Minucius in Octavio indignatur eos initiaſſe ritus omnium religionum. At nullius forcè numinis, cultus insanis mentibus altius insederat quām *Mithræ.* Monstrant tot lapides, quos recensuimus, pluresque alii apud Gruterum, *Mithræ* mysteriis dicati, & veterum Patrum Scriptorumque profanorum testimonia. Plerumque iisdem lapidibus leguntur vota vel nuncupata vel soluta, non semel etiam pro salute Imperatorum, ut in 9. pag. 1066. SOLI. INVICTO. MITHRAE pro salute Commodi Antonini M. Aurelius Stertinius votum

tum fecit . Alium dabo inferius . Unde inter Deos Servatores accensum fuisse Mithram appetet . Bello quoque invocatum docet inscriptio 3 . pag . 34 . *Vibius Pius SOLI INVICTO aram dedico ut sis mihi propitius militibus Centurionibusque meis* . Legatus erat vel Tribunus alicujus legionis in Dalmatia degentis hic Vibius , atque Invictum ea religione bellicis rebus præesse putabat , quâ affecti Imperatores aliqui numismata percussere INVICTO , & SOLI . COMITI . ut olim memoravimus . Julianus Imperator qui à vero Sole Christo impiè desciverat , Mithram Solem insaniori cultu prosequutus est . Eum nempe non tam in rebus agendis perfugium , sed etiam cum vitâ migraturus esset , ducem propitium sibi spondet . Verba recito quibus librum seu Satyram de Cœsaribus concludit : *Tibi autem, Mercurius ad me sermonem dirigens inquit, feci ut Solem,* (in Græco est *Mithram* , quam vocem minus aptè mutavit Interpres) *Patrem cognosceres. Tu vero ejus præceptis obtemperato, illum tibi tutum portum & perfugium, dum in vivis agis, comparans, & quando oportebit hinc excedere, bonâ spe tibi Deum propitium Ducem constitue.*

Hinc igitur longè latèque falsa MITHRÆ religio promanavit . Non pigebit regiones nonnullas , quibus Mithriaca monumenta veterem cultum produnt , peragrare . Sub Urbe ipsâ Antium Mithræ devotum fuisse , jam satis nostra tabula indicat ; ibique etiam antrum conditum olim deduximus . Ticuli in regione Urbevetanâ Soli Invicto Mithrae dicatum spelæum docet epigramma Gruterianum , quod pridem descripsimus . Capaccius loço pariter jam adnotato Neapoli extantia monumenta profert , & Cumis Gruterus pag . 33 . 6 . SPELEVVM RESTITVTVM D . S . I . M . hoc est Deo Soli Invicto Mithræ , fuisse Mediolani , monet lapis pag . 34 . 9 . & M . Valerius Maximus , (quem celeberrimum Scriptorem esse cum Alciato Mediolanenses , nullo certo indicio , existimant) SACERDOS . D . S . I . M . visitur in alio pag . 313 . 4 . In Galliam quoque Mithra reli-

gio-

gionem traduxit : nam Lugdunum DEO. INVICTO. MITH. monumentum posuit , pag.33. 11. ac Nemausum codem titulo, apud Sponium Recherch.de antiq.dissert.3. pag.71.

Jam inter barbaras gentes *Mithræ* cultus irreperserat. Nam in Daciâ stetisse marmor inscriptum INVICTO MITHRAE , refert Gruterus pag.34.3. imò & tabulam symbolicam nostris similem cum epigraphe, S.I.M. nempe *Soli Invicto Mithrae*, eadem paginâ num.10. Reflectimus iter in Pannoniam, ubi apud Petavionem *Aurelius Justinianus Templum DEI. SOL. INV. MIT. labefactatum restituit*, pag.35.4. Indicio hujus lapidis me assequutum puto Templum illud, in quo mater Aureliani erat sacerdos, patriamque ipsius Imperatoris, quibus investigandis mirum se torsit Salmasius. Nam ad Vopiscum in ejusdem vitâ cap.39. primum templum Beleni putavit; inde , ex quo idem historicus cap. 5. dixerat , huic Imperatori , cùm legatus esset apud Persas , pateram donatam à Rege, in quâ Sol insculptus erat eo habitu , quo colebatur in eo templo , in quo mater ejus fuerat sacerdos , optimè conjectatur, ut monui cap. 2. hoc ipsum templum Mithræ dicatum fuisse , quia apud Persas Mithra ipse erat Sol: habitum vero eundem fuisse, quem Persæ tribuebant Mithræ , Leoninâ scilicet facie, & tiarâ capiti impositâ . Unde inquirendum relinquit in Pannoniâ templum aliquod , ubi Mithra esset cultus, quo etiam patria Aureliani certò possit deprehendi ; nam eum Pannonem fuisse testatum reliquit idem Vopiscus. Cùm ergò ex hoc lapide constet , apud Petavionem , quæ Pannoniæ Urbs est , stetisse templum Mithræ , sanè in hoc ipso mater Aureliani fuit sacerdos , nec alibi natale solum ipsius Imperatoris est quærendum .

In proximâ quoque Norici provinciâ Templum *Mithræ* dicatum nuper didici . Dùm enim hæc prælo essent subjecenda, R. P. Antonius Morettus Utinensis S. I. Græcio Styriæ transmisit aliquot inscriptiones repertas prope Clan-

Clangenfurtum Carinthiæ circa campum Solfeld, ubi olim sita erat Solva urbs Norici mediterranei, Plinio lib. 3. cap. 34. Flavium Solvense appellata . Earum alteram , quæ ad rem nostram attinet, huc transfero .

PRO. SALVTE. AVG. IN. HONOREM. DD. SOLI. INVICTO
MYTHR. HILAR VS. AVG.LIB.TAB.PR.N.ET. EPICETVS
ARK.AVG.N.TEM. VETVSTATE. CONL. SVMPTV. SVO
CVM.PICTVR A.REFE. IMP.D.N.GORDIANO. AVG.ET. AVIOLA
C. ROM. D.N. LICIN. MARCELLO. PAT.D.VIII. K. IVLIAS

Duo hi homines Römani pro salute Augusti , Gordiani III , in honorem Deorum (ita repetitum D. interpreter, vel si malveris, in honorem domus divine , uti expressum legitur apud Grut. 163. 4. & 92. 1. domus scilicet & familiæ ipsius Gordiani Imperatoris) Soli Invicto Mithra templum vetustate conlapsum sumptu suo cū picturâ refecerunt, die viii. Kalendas Julias , Gordiano Augusto & Aviola Coss. anno scilicet 239. æræ Christianæ . Notam C. Rom. explico, Consulibus Romanis, quæ sanè insolens, ita fortassis expressa est , quia Magistratus simili nomine etiam in Coloniâ Solvensi esset . Nam Consules in Coloniis quoque & Municipiis quibusdam creatos non uno testimonio competimus . Quid literæ singulariæ D.N. ante Licinium Marcello, & sequens nota PAT. significant, planè nescire me fateor . Nisi mendum quadratarii , vel exscriptoris dicamus . Hilarus signatur TABularius PROvinciæ Norici , quod rationes tributorum ejus provinciæ tractaret . Ejusmodi characteres visuntur in saxo apud Gruterum pag. 63. 10. TAB. P. H. C. tabularius provinciæ Hispaniæ citerioris . Epicetus ARKarius suscipiendis Augusti redditibus , qui in arcam seu mensam fiscalem vel privatam Cæsaris inferebantur, erat præpositus . Arkarii , qui plerumque per K scribitur, exempla profert index Gruterianus cap. 7. Utriusque quoque officii plurima mentio est in libris Juris . Temporum parietes & tecta picturis ornari consueyisse, etiam an-

te Urbem conditam, prodidit Plinius lib. 35. cap. 3. Qui eodem libro cap. 10. Cornelium Primum & Actium Priscum Honoris & Virtutis ædes Vespasiano restituenti pinxit scribit; & M. Ludium Junonis templum apud Ardeates dignis picturis condecorasse. In templo Mithræ Solvensi Hilarus & Epicetus picturam labefactatam refici curarunt. Hanc eadem signa & symbola repræsentasse arbitror, quæ in nostris tabulis marmoreis visuntur.

In Ægypto, quò omnium deorum colluvies confluxit, Mithram cultum, non est ambigendum: & testimonia Socratis ac Sozomeni, quæ jam retulimus, palam faciunt. Persæ hujus religionis magistri & principes fuere. De Cretâ insulâ dubitare nos jubet Dionysius Petavius, quamvis Epiphanius disertè scribat Hæresi 42, *Epimenidem Mithræ cuiusdam apud Cretenses idoli sacerdotem fuisse*. Eâ ratione dicitur doctissimus vir in notis ad hunc Epiphanii locum pag. 81, quòd id apud alium se legisse non meminerit. Barthius in animadv. ad Statium pag. 247. jurat in verba Petavii, qui nihil non legit, & rejectâ voce *Mithra*, vel ex myſta corruptam putat, vel prorsus insititiam. Non ausim tam grandia eruditorum hominum nomina provocare: sed utique non video, cur opus fuerit plures scriptores in idem Epiphanii testimonium conspirasse.

At Erasmus Athenis religionem & ministros Mithræ quarrens, totâ viâ propalam aberravit. Chiliade 4. cent. 8. num. 55. explicans adagium, *Mithragytes non Daduchus*, hæc habet: *is qui in functione quapiam sordidas, contemptasque partes agit. Mithragytes dicetur, Daduchus esse negabitur*. Eoque Iphicrates Calliam μιθραγύτην & δαδούχον appellabat. *Significans illum non fuisse initiatum sacris, sed tamen velle videri*. *Mithras apud Persas Sol dicitur, quem illi deorum summum judicant. Unde Mithragyrtæ dici videntur qui obambulant cum simulatis mysteriis, & rudibus imponunt*. Scomma illud ab Iphicrate in Calliam jactum refert Aristoteles lib. 3. Rhetic. cap. 2. quod indicare negle-

xit Erasmus. At in textu Græco edit. Græcolat. Paris. 1619. non est μηδεγύρτω, sed μητεγύρτω, quam vocem transtulit Antonius Riccobonus *Matragyrtam*, rectius, spectatâ ejus derivatione, quam alii qui locis statim producendis *Metragyrtēm* efferunt. Genus hominum hoc erat qui magnæ *Matri*, unde nomen, mysteria circumferentes stipem cogebant. Αγύρτης enim est mendicus qui circumvit, & stipem petit. De his intelligendus Aristoteles. Qui Athenis frequentes erant & religiosè habiti. *Metragyrtēs*, ait Svidas pag. 159. tom. 2, magnæ deorum *Matri Rhei*, sive *Cybele* stipem cogebant. Inde fabellam narrat de quodam Metragyrtē, qui Athenis occisus, ob idque exortâ pestilentia, Athenienses in loco ubi eum sustulerant, curiam ædificarunt, eamque magnæ *Matri* consecrarunt. Præferebant tabellam, fortassè iconē dæx *Matri* pictam, ut simplicioribus sequstra divinitate imponerent, pinguioremque mercedem coraderent. Unde Menander *Comicus* in *Aurigâ* sacrorum hanc nundinationem aversatus ait :

Nullus mibi placet Deus foris vagans,
Anus sodalis quaslibet petens domos,
Aut *Metragyrtēs* cum tabellâ.

Et Antisthenes repellebat Metragyrtēs mendicantes festivâ irrisione dicens : *Non alo Matrem deorum, quam dii alunt.* Quæ recitat Clemens Alexandrinus admonit. ad Gentes pag. 49. edit. Paris. 1629. Dionysium regno pulsum sub extremum ætatis Metragyrtēm egisse, refert Athenæus lib. 12. cap. 10. ubi malè, *Cereri* stipem emendicando cogens, vertit Dalecampius, & Casaubonus non emendavit. Nam magnæ *Matri*, non *Cereri* eruscabant Metragyrtæ. Eadem de Dionysio habet Eustathius Homer. 1624. 10. Alii Ludimagistrum Corinthi egisse eum tradunt. Sed fieri potuit, ut hac arte dimissâ, sub extremum tantummodo vitæ, quod innuit Athenæus, inter agyrtas dæx *Matri* stipendiis meruerit. Agyrtas hos eruscatores, qui cum mysteriis Isidis obambulabant, facetâ narratione describit Appulejus

leus lib.9. Metam. pag. 181. edit. Pricæi. Romæ quoque traductâ religione & sacris Ideæ Matriæ, Metragyrtae Phrygii generis vir & mulier, qui ejus sacerdotio fungebantur, circulatorio ritu stipem cogebant, Deam cum tympanis per Urbem gestantes, uti narrat Halicarnasseus lib. 2. pag. 91. edit. Græcolat. Francof. 1586; notatque historicus, ex Romanis indigenis neminem cum Matriacis (ita μητραγύρταις vertit ejus interpres Sylburgius, rectè cum Riccobono retinens derivationem à matre) stipem collegisse, aut orgia Phrygiæ matris celebrasse ex decreto Senatus. Quod etiam lege 12. Tab. vetitum fuit: *Præter Ideæ Matris famulos, eosque justis diebus, ne quis stipem cogito.* At Julius Pollux in Onomastico lib.3. cap. 2. in fin. Metragyrtæ appellatum quoque ait initiatorem sacrorum deæ Phrygiae, scilicet magnæ Matriæ, unde Athenis ejus sacrum *Maternum* dicebatur. Cum itaque Athenis fuerint Metragyrtæ, nec uspiam in Græciâ Mithræ sacra & religio Scriptoribus sint memorata (præter Cretam, quæ inter Ægyptum & Orientem posita inde cultum hauserat) planè lapsus est Erasmus, dum Mithragyrtas vidit in Aristotele. Porro Iphicrates ajebat Calliam non esse *Daduchum*, sed *Metragyrtæ*, quia illud *honoratum* erat, subdit Philosophus Rhetor, *hoc in honoratum.* *Daduchus* est *Tædifer*, qui nempe in sacris facem gestabat; eoque officio funetur fuisse Calliam reperio apud Plutarchum in Aristide p.321, unde narratio Aristotelis illustrari poterit.

Mithram Solem dimittam, atque hanc dissertationem absolvam, ubi quæsiero, quo tandem tempore, Christo vero Sole tenebras gentilitatis discutiente, ipse Mithra templis & aris fuerit dejectus. At cum ejus religionem apud Romanos plurimam celebremque tot congestis monumentis hucusque ostenderim, & nunc tempus, quo desist, pergam retegere, rogabit aliquis, ecquando etiam coepit? Opportunè occurrit Plutarchus, qui in vitâ Pompei p.631. tom. I. *mysteria Mithræ primùm Romanis monstrata* fuisse

ait à *Piratis*, qui è diversis Orientis partibus effusi, & di-reptionibus maria implentes, tandem ab ipso Pompejo de-bellati fuerunt. Bellum hoc Piraticum incidit in annum V. C. 687. Igitur primi omnium, opinor, Alexandrini impium cultum proscriptere. Nam ex Socrate, cuius verba pridem retuli, constat sub Juliano Imperatore, qui in Perside oc-cubuit anno 363, locum in quo Gentiles Mithræ mysteria peragebant, jam inde à *priscis temporibus* *vacuum* & ne-glectum repertum, à Christianis fuisse repurgatum. Non ità Romæ, ubi eodem tempore, sub Christianis Principi-bus, sacra Mithriaca publicè & palam fiebant. Nonius Vi-ctor & Aurelius Victor tradiderunt *Leontica*, *Constantio no-no* & *Juliano II.* *Con.* scilicet anno 357, ejusque rei mo-numentum exposuerunt in marmore, quod extat apud Gru-terum pag. 303. 1. Sequenti anno, Datiano & Cereale Cons. iidem Nonius & Aurelius tradiderunt *Patrica*, ut constat ex alio lapide pag. eadem num. 2. & iterum *Persica* & *Elia-ca*, atque ostenderunt *Crisios*, pag. 1086. 4. Rursus in annum proximum *Eusebio* & *Lippatio* *Conf.* (corrige fastos qui scribunt *Hipatium*, nec *Pagius*, aut alii id animadvertisere) tradiderunt *Leontica*, pag. eadem num. 5. Aurelius hic Vi-ctor sacerdos erat Mithræ, ut alibi monui, nam in hoc sa-xo & altero pag. 303. superius indicato, signavit se tradi-disse *Coracica* anno *tricesimo* *consecrationis sue*, *Valente* & *Valentiniano Juniore* *primum* *Augg.* *Conf.* Hic annus nota-tur in fastis 376. quo patet adhuc viguisse insaniae Mi-thriacas. Eodem anno *Sextilius Agesilaus* dicitur *Pater Patrum Dei Solis Invicti Mithrae* pag. 28. 2. & sequenti *Gratiano* & *Merobaude* *Conf.* *Rufius Cejonius Pater sa-crorum Mithrae* num. 6. vocatur, & inferius *Persidicique Mithræ Antistes*. *Sacrorum* hæc nomina jam explanavi.

Ità pervincente diaboli nequitia, dum Crucis signum Imperatorum diademi præfulgeret, adhuc vexilla super-stitionis palam in Urbe explicabantur. *Integrum* tandem *triumphum Christus egit*, & *Mithram profanaque myste-ria*

ria depulit. Celebre est testimonium S. Hieronymi epist. 7. ad Letam, ubi haec ait: *Ante paucos annos propinquus vester Gracchus, nobilitatem patriciam sonans nomine, cum Praefecturam gereret urbanam, nonne spelæum MITHRAE, & omnia portentosa simulacula, quibus Corax, Gryphus, Miles, Leo, Perses, Helios, Bromius, Pater initiantur, subvertit, frexit, excussum? Huc referendus est locus Prudentii libro primo adversus Symmachum vers. 563.*

*Jam quid Plebicolas percurram carmine Gracchos
Jure potestatis fultos, & in arce Senatus
Præcipuos, simulacula Deum jussisse revelli,
Cumque suis pariter lictoribus, omnipotenti
Suppliciter Christo se consecrassæ regendos.*

Annus quo Praefeturam Urbanam egit Gracchus, quærendus est, ut postremos subversæ superstitionis Mithriacæ casus venientur, & ultimam dissertationi nostræ manum imponamus. Baronius ad annum 383. num. 3. importunè errorem in Hieronymo irrepsisse suspicatur, & loco Praefeturæ prætoriæ, urbanam esse positam. In Codice Theodosiano lex prima tit. ne in sua caussâ quis jud. data est ad Graecum P.P. (nempe Praefatum Prætorio) Kal. Decembris, Valente V. Valentiniano A.A. Coss. hoc est anno C. 376. Ad eundem simili titulo appellatum directa est lex 3. de quæstion. Pridie Non. Januar. Gratiano Aug. IV. & Merobaudo Coss. videlicet anno sequenti 377. Gothofredus in notis ad has leges tom. I. pag. 93. & tom. 3. pag. 252. inscriptiōnem correxit, & Graecum P.V. Praefatum Urbis, reposuit; quomodo etiam se habet lex unica Cod. Justinian. cod. cit. ne quis in sua caus. & concinunt recitata Hieronymi & Prudentii testimonia. Hincque collegit, excisa fuissile Mithræ simulacula altero ex præscriptis annis, & perperam id à Baronio referri in annum 383. sexennii metachronismo. Pagius in sententiam Gothofredi concedit in crit. Baron. ad eundem annum num. 5. At falluntur viri docti, & chronologiam confundunt. Quomodo enim fieri potuit, ut altero ex iisdem


iiisdem annis Gracchus *specum Mithræ & portentosâ simulacra, Coracem, Gryphum, Leonem & cetera à Hieronymo memorata, subverterit, fregeritque, si tunc eadem ipsa portenta, ex indicatis inscriptionibus, tradebantur, in ipso certè Mithræ specu, sacerdotesque ea profana sacra & titulos sui sacerdotii publicis monumentis consignabant? Quare in alium annum ducenda est Præfectura Gracchi, & Mithræ excidium. Quod ut clarius pateat, prius eam Præfecturam Gracchi in annos prædictos non incidisse demonstro. Anno 376. fuit Praefectus Urbi Rufinus, ut palam facit lex 3. Cod. Justin. de offic. Præf. Urb. eidem data vi. Kal. Jul. Valente A. V. Valentiniano jun. Coss. Quintus Consulatus Valentis & primus Valentiniani junioris conferuntur in dictum annum 376. iiisdemque Consulibus lata est lex prima Cod. Th. ne in sua caus. quam Gothofredus vult ditectam ad Gracchum Præfectum Urbi. Nec sanè duo Præfecti eodē anno esse poterant. Annus proximus exceptit Probianum Præfectum Urbi, ad quem directa est lex 3. Cod. Th. tributa in ipsis spec. xv. Kal. Octob. Gratiano A. iv. & Merobaude Coss. qui in annum ipsum 377. Consules processerunt, ut diximus. Quamobrem non ante annum sequentem 378. Præfecturam Urbanam gessit Gracchus; eo etenim signatur prædicta lex unic. ne quis in sua caus. expressis verbis, ad Gracchum Præfectum Urbi, Kal. Dec. Valente vi. & Valentiniano II. Coss. Quam subscriptionem cum viderit Gothofredus, miror, nihilominus Præfecturam Gracchi retrò tulisse ad alium annum. Profectò apud Panvinium nullus notatur Praefectus Urbi hoc anno. Quare in locum hunc vacuum nil vetat quin reponamus Gracchum. At quoniam id ipsum quod de judicibus statuitur in hac lege Codicis Justin. datâ anno 378, sancitum quoque repetitur in aliâ jam memoratâ antecedenti anno 376, vel hujus titulus & subscriptio emendanda venit, vel rectius dicendum, Imperatores legem jam latam rursus instaurasse post duos annos. Ne verò inanis sit inscriptio alterius legis*

gis tertiae de quæst. ad Gracchum P. P., quæ hac ipsâ notâ extat in Codice Just. leg. 10. de dignit. editionis Contii, (nam Gothofredus habet P.V.) omnino arbitror, hoc anno 377. quo tradita est, Gratiano iv. & Merobaude Coss., Gracchum Præfecturam Prætorii administrasse. Quo munere defuncto exinde evectus est ad Urbanam Præfeturam, quæ Romæ honoribus omnibus & potestatibus illustrior habebatur. Atque ita tempora suo ordine digesta consistunt: leges in speciem pugnantes conciliantur: & Gracchus suis dignitatibus restituitur. Igitur A.C. 378, & non antea, dejecta simulacra Mithræ, subversus specus, abolita sacra, & præterea Victorix ara, de qua celebris pugna inter D. Ambrosium & Symmachum exarsit, convulsa, aliaque gesta sunt à Graccho Præfecto Urbi, quæ membrantur Hieronymo & Prudentio.

Putaveram ad umbilicum rem perduxisse; sed aurém vellunt carmina D. Paulini superius mihi recitata, quæ hucusque firmatis labem aliquam inferre videntur. Poëma extrellum, quo ea carmina continentur, rectè conjicit illustris Muratorius in præfatione, à Paulino fuisse elucubratum & inscriptum Antonio, A. C. 394. aut 395. Cùm verò inibi mentio sit *Inviði seu Mithræ spelæa sub atra culti*, haud verum erit, ejus sacra & specum ante septem & decim annos à Graccho fuisse subversa. Sed eo Poëmate, ut opinor, sanctus Vates potius proscindit Gentilium numina & errores, prout ab iis fingebantur & tradebantur, quam velit ritus omnes, sacrificia, & ceremonias, quas describit, tunc viguisse. Quod cetera percurrenti conjectare licebit. Quamvis enim non sim nescius, ad hæc quoque tempora Pauliniana Christianos perinde ac Paganos, veluti duo reipublicæ membra, in Imperio Romano egisse; attamen istis ritus suos & religionem publicè exercendi, si non in totum, saltem maximâ ex parte jus fuerat sublatum, ut tot querelæ Gentilium scriptorum, & leges Principum, Theodosii potissimum, sub quo vel filiis hæc Paulinus scribebat, lucu-

len-

lenter demonstrant. Cum igitur certis testimoniis compremerimus, spelæa Mithræ detrita, & mysteria interdicta à Graccho fuisse anno 378. nemo sibi persuaserit, ea adhuc anno 395. perseverasse. Quare Paulinum ità loquutum fatueri oportet, ut exprobraret quod factum fuerit, & impia religio doceret, non quia tunc fieret. Queritur Muratorius, se divinare non potuisse, quisnam fuerit ille *Antonius*, cui D. Paulinus Poëma suum inscribit. Reperio in Fastis *Antonium* cum Syagrio Consulem ad annū 382. & in Codice Theodosiano, sæpius occurrit *Antonius* maximis in Italiâ & Galliâ functus muneribus & dignitatibus. Ad eum quoque quinque sunt datæ epistolæ à Symmacho, lib. i. ab ep. 83. Qui sanè, prodente temporum ratione, non aliud est ab hoc Paulini amico.



A D D E N D A

Ad Cap. III. de Mithra.

MUM in Museo Strozzi gemmas antiquas, carumque innumeros ectypos cretā vel sulphure expressos evoluerem, inter hos occurrit simulacrum Mithræ novo symbolorum apparatus spectabile, & uberiori quam saxa in Opere mihi descripta figurant. Curiosè & intentè singula perlustrantem animadvertis Illustrissimus Leo, quæ humanitas ejus est nobilissimo generi par, nil moratus est, quin eo ipso ectypo, nonnullisq; aliis me liberaliter donaret. Igitur quæ scripsoram animo revolvens, & cum hac Mithriacâ gemmâ componens, observabam plura à me jam fuisse explicata, non pauca verò novi argumenti segetem parare. Sanè Mithram in gemmâ Abraxeâ sculptum nondum sciebam, neque pro amuleto supersticiosâ religione usurpatum cognoveram. Quarè Leonardi Augustini opus Italicum de gemmis antiquis perlustrans, in 2. parte, cuius tunc primùm copiâ mihi feceram, ipsam hanc gemmam delineatam offendit num. 77. Cujus iconem cùm ob temporis angustiam huc transferre nequeam, describere saltem non prætermittam. Mithra eodem prorsus habitu & formâ ac in nostris tabulis, Taurum procumbentem calcat & ferit. Canis adsilit ad vulnus, Delphinus, in meo ectypo Serpens, propè jacet. Scorpius testes Tauri invadit: Testudo sub caudâ, quæ in spicas desinit. Duo juvenes mitrati, quorum unus semen ejicit, alter reductâ veste sinum explicat. Hinc Cornucopia, inde ramus Palmæ, cui appensa est hominis calvaria. Superne caput juvenis radiatum, ut in nostris, cum flagro; ab alio latere caput itidem mulieris, cui Luna falcata insidet. Subtus aliam Solis radiatam effigiem sculpsit Augustinus, mihi corona est. Septem Stellæ (Planetas putat idem Au-

ctor) Fulmen, Caduceum, Sagitta, binæ volucres spatiū inter Solem & Lunam occupant. Figuras has singulas interpretatione accommodā percurrit ipse Augustinus. Quem gavisus sum nonnulla, quæ mihi jam explicata fuerant, judicio suo & auctoritate obfirmasse. Symbola enim Mithriaca ad generationem pertinere ait. Atque inde Taurum prostratum repræsentare Tellurem, quam radiis, veluti gladio Sol Mithra penetrans, fecunditatem inducit. Vel cum in Tauri signo Sol versatur, terram foetam aperit, & calore suo semina ad rerum productionem educit. Porrò Octobri mense Solis virtute diminutâ semina, agente frigore, intra sinum terræ reconduntur, quod Scorpius testes constringens significat. Cetera haud refero, apud ipsum videnda. Tantum moneo, septem illa sidera mihi Planetas non esse. Quippe cùm jam Solem & Lunam effigie humanâ expressisset scalptor, quid opus erat iterum figurare? Imò non septem, sed octo Stellæ in nostrâ gemmâ numerantur, inter quas una illustrior & grandior Solem antecedens. Illas fixas esse, hanc Venerem arbitror. Ceteros Planetas sub aliis figuris video. Nimirum Fulmen indicat Jovem, Caduceum Mercurium, Sagitta Martem, quæ vulgata sunt eorum symbola. Hinc malè Augustinus his denotari cœlum, aërem, & amorem dixerat. Saturnus fortasse latet sub alio signaculo informi, in nostrâ gemmâ fulmini adposito; quod aliud fulmen Augustinus fecerat. Rursus duos juvenes vel ipse perperam expressit in suo schemate; vel in nostro diversimodè repræsentantur. Quippe eorum alter non veretrum, sed facem demissam è regione inguinum manibus tenet, unde non semen, sed flammula manifestè prodit. Nam & alter juvenis facem attollit. Ita ut utrique idem sit habitus ac in aliis tabulis Mithriacis.

Partem aversam hujus gemmæ delineatam exhibit Augustinus proximè sequenti numero 78. Stat Leo ore Apem præferens, quem literæ obscuræ significationis undequaque ambiunt, septemque sidera. Leonem Mithræ signum

signum esse satis in Opere ostendi; Apem quoque & mel eius sacris adhibitum. Literas ignorabiles, ut vocat Appuleius, nequaquam solito. Ejusmodi stellarum numerus in gemmis Abraxeis apud Chiffletium passim occurrit. Nostram itaque hanc Mithriacam gemmam, ex iis unam esse, quas Gnostici & Basilidiani pro amuleto usurpabant, nullus dubito. Nam Mithra, qui Sol est, peculiari religione monstris Abraxeis accessit, tamquam malorum depulsor, & felicitatis arbiter ac dispensator. Hinc etiam in saxis vota nuncupantur Mithræ pro salute, & prospero rerum bellorumque successu, ut vidimus.

Hic Mithram gemmâ, toto opere saxo expressum conspeximus. Non prætermittam æneum quoque ejus simulacrum memorare. Extat apud Reinesium Class. I. nu. 277. hæc inscriptio. M. Ulpius &c. IN. HONOREM. DEI. SOLIS. INVICTI. MITHRAE. SIGNVM. AENEVM. P. N. LXXXV. DONVM. DEDIT. Hanc notam P.N. compendio sculptam, Pondo significare nullus dubito. Ut tot pondo fuerit signum illud æneum Mithræ. Quo figuræ expressas puto, quibus constant Mithriaca simulacra ex solido marmore, nempe Mithram Taurum, Canem, Serpentem, & Scorpionem; cuiusmodi duo extant in Burghesiano viridario nobis descripta cap. I. pag. 159. aliudque pulcherrimum ex nigro marmore nuper vidi in aulâ Palatii Eminentiss. Cardinalis S. Crucis.

Pag. 191. lin. ult. in fin. adde: Leonardus Augustinus de Gemmis antiq. parte 2. num. 82. delineatum præbet senem alatum, qui sinistrâ Scorpionem & baculum apprehendit, altero baculo dexteræ imposito, veluti iis innaturat, cum aliis symbolis. Solem hunc esse rectè arbitratur, alatum ob cursus velocitatem; Scorpionem vero indicare ait, gemmam illam Abraxeam sub ejus signo scalptam fuisse, & baculos utrimque stantes ortum & occasum Solis. At non aliundè petenda est explicatio hujus simulacri, quam ex recitato loco Plutarchi. Sol enim dum in signo

Scorpionis versatur, baculis innititur, tamquam fulcris, ob caloris diminutam virtutem, ideoque & specie senis singitur.

Pag. 192. lin. 9. adde: In inferiori cubiculo Palatii Principis Justiniani tabula extat Mithriaca, in qua præter alia symbola, *Vas* quoque ante pedes juvenis apparet, non informe ut in uostrâ Antiate, sed maxime conspicuum, an sulis utrimque manifestò instructum. Quo probè firmatur conjectura hic exposita.

Pag. 197. lin. 32. adde: Reinesius lib. 3. var. lect. pag. 603. uno verbo ænigma hoc, nobis fusius agitatum, absolvit. NAMA. SEBESIO, inquit manifestò est ex Græco, ναμα σεβεσιον nempè *Fluvius Sebethus*. *Nam* utique Græca est vox, fluentem, seu aquæ scaturiginem denotans. At quousque docear, cur simulacro Romæ sub Capitolium olim, ut diximus, posito, & nunc in ædes Burghesianas translato, Sebethus Neapolitanus inscribi debuerit, & rursus quid rei esse possit fluvio cum Mithrâ, in sententiam doctissimi Antiquarii ire nequeo.



DISSE
TATI
O
D E
B E L E N O
ET ALIIS QUIBUS DAM
DIIS AQUILEJENSIBUS.

DISSERTATIO DE BELENO

VETERUM AQUILEJENSIVM DEO.

Cujque Urbi olim Deus proprius. Aquilejæ Belenus cultus, qui Apollo. Beleni veteres inscriptiones producuntur & illustrantur. Belinus quoque dictus. Emaculatur Dandulus. Belenus Deus Noricorum, unde lectio Tertulliani asseritur. Apud Gallos etiam celebris ejus religio. Nomen Beleni male Scriptores à Belo seu Sole deducunt. Sol non idem ac Apollo populari religione, quod pluribus ostenditur. Belenus ubique pro Apolline habitus. Origo nominis aliundè tentata. Fortasse ab Heleno, qui Pyrrhi comes post excidium Trojae unà cum Henetis, Trojanis, & Gracis navigavit. Varie in hanc rem conjecturæ. Undenam populis Carnorum appellatio?



ETERES omnes, quibus veri Numinis cognitionem fraus Dæmonis subduxerat, cùm Deum quererent, rerum sensibilium argumenta sectantes, iis divinitatem inesse facili superstitione arbitrati sunt. Hinc homines factorum gloriâ clari, sidera, virtutum vana nomina, animalia ipsa, & in summa, ut ait Sex. Empyricus propè initium lib. 8. in Mathem: *quæcumque profunt vita humanae, aris templisque imposita, Deum nullum, ubi infiniti essent, fecere.* Ita cœlum, terram, mare, & immensa aëris spatia populus Deorum invasit; & insana religio res penè singulas veluti sub imperium impietatis coēgit. Nec tamen Di om-

omnes æquo jure censiti, sed majorum gentium alii, Consentes, Olympici, Selecti: alii verò minores, Indigetes, Pennates, Semidei, Deorum plebs, & quasi turba proletaria sunt appellati. Suum quoque gens quælibet & regio Deum proprium inauguravit, quem peculiari religione inter alios principem veneraretur: tamquam jus esset populis, uti regem suffragio constituere, ita numen consensu populorum adoptare. Deos hos *municipes* vocat Minucius in Octavio prope initium; unde est Tertulliani lepidum scomma in Gentiles: *Satis rideo etiam Deos decuriones cuiusque municipii, quibus honor intra muros suos determinatur, ad Nationes lib. 2. cap. 8.* nam alibi dixerat, *unicuique provinciæ & civitati suus Deus est*, Apologet. cap. 24. Hinc cùm Romani Urbem aliquam ob siderent, certo carmine, cuius formulam recitat Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 9., evocabant ejus tutelares deos. Et propterea ipsi deum, in cuius tutela Urbs Roma erat, ignotum esse voluerunt, ne scilicet, ut subdit idem auctor, *quod saepe adversus Urbes hostium fecisse se noverant, idem ipsi quoque hostili evocatione paterentur, si tutela suæ nomen divulgaretur*. Sacra inde, quæ diis Urbium ex patro instituto dicabantur, *Municipalia dicta*, ut in lapide Gruteriano pag. 66. 3. *Calpurnius 11. Vir bis Flam. sacr. pub. M V N I C I P A L.* Rursum Dii *præfides*, tanquam in tutelam adscripti, vocantur in alio epigrammate apud Reinesium Class. 1. num. 4. *Dis deabusque PRAESIDIBVS provinciarum*: & quòd gentis alicujus propria & peculiares es sent, gentiles priore loco Tertulliani; atque *patrii* in faxo 224. class. eādem: *Diis deabusque PATRIIS*. Ejusmodi religione peculiari coluisse ait Minucius, *Eleusinios Cereum, Phrygas Matrem, Epidaurios Æsculapium, Chaldaeos Belum, Astartem Syros, Dianam Taurios, Gallos Mer curium*. Videasque, si lubet, *Lactantium lib. 1. cap. 15. Sido nium carm. 9. v. 165. ad Felicem, Prudentium contra Symmachum lib. 2.* Porrò hæc numina vulgo fere nota,

&

& aliis quoque gentibus in promiscuam aliorum religionem adscita erant. Alia obscura deorum vocabula notam cultu, sed etiam nomine propria, municipali consecratione, ut ait Tertullianus eodem loco Apologetici, colebantur, ut *Casniensem Delventinus*, *Narniensum Vifidianus*, *Æsculanorum Ancaria*, *Volsiniensem Nursia*, *Ocriulanorum Valentia*, *Sutrinorum Nortia*. Ampliorem catalogum ignotorum deorum ex antiquis lapidibus congregavit, notisque illustravit Jacobus Sponius in miscellan. erud. antiquit. Sect. 3. quem consulas.

Aquilejensibus priscis deus quoque suus municipalis & patrius fuit, qui BELENVS appellabatur. Aquileja Carnorum seu Venetiæ Urbs quondam florentissima, quam Herodianus ^a maximam & ingentis magnitudinis vocat, ditem Mela ^b, opulentum emporium Julianus Cesar ^c, Procopius ^d magnitudine & civium frequentia insignem, amplissimo verò elogio ab Imperatore Justiniano ^e omnium sub Occidente Urbium maxima dicitur. Nunc, quòd res humanas fortuna agit, superstite magni nominis umbra, inter ruinas, quæ penè etiam perierunt, sepulcrum querimus pristinę magnificentię & nobilitatis. Hanc vicem celeberrimæ Urbis eleganti carmine latino olim deflevit Nicolaus Madrisius Utinensis, quem inter amicos optimum, severioribus disciplinis, & politiori literaturâ egregiè excultum, honoris caussâ nomino. Nos de ejus Patriarchatu, & dignitate Ecclesiasticâ, si Deus annuat, aliquando agemus. Itaque Aquilejenses, dum inter gentilitatis tenebras versarentur, BELENVM Urbis præsidem & tutelare Numen inclytâ religione sunt prosequuti. Author est Capitolinus in Maximinis cap. 22. ubi hæc tradit: cum igitur frustrâ obſideret Aquilejam Maximinus, legatos in eandem Urbem misit, quibus populus penè consenserat, nisi Menophilus cum collega restitisset, dicens etiam deum BELENVM per Aruspices spopondisse, Maximinum esse vincendum. Rem eandem narrans Herodianus lib. 8. cap. 3.

Kk

ita

^a Lib. 8.
^{cap. 2.}
^b Lib. 2.
^{cap. 4.}
^c In Orat.
de Con-
flantio.
^d De bell.
Vand.lib.
^{i. cap 4.}
^e In Auth.
coll. 4. tit.
8 de Pict.
Pafblag.
in frinc.

ita ait: Ceterum nonnulla quoque oracula ferebantur patrii cuiusdam numinis victoriam promittentia. BELEM vocant indigenæ, magnâque eum religione colunt, APOLLINEM interpretantes. Non vulgarem discas Beleni dignitatem, qui in Oraculum fuerat constitutus. Nimirum ipse Apollo erat, vaticiniorum pater & inventor. Nam & in hanc interpretationem consentit Capitolinus statim post verba recitata: unde etiam postea Maximini milites jactasse dicuntur, APOLLINEM contra se pugnasse. Hinc perperam scriptor ille, de quo meminit Salmasius ad hunc locum, in codice Palatino notaverat ad marginem, *ideft Martem*. Apollinis hanc significationem Beleno tributam, & religionem apud Aquilejenses magnificam, plurimo veterum lapidum testimonio deprehendimus. Hi magnâ ex parte Aquilejâ Venetas deportati, adhuc in amplissimis Grimanorum ædibus visuntur. Post Pighium in Hercule prodicio eos retulit Gruterus in suo magno inscriptionum thesauro pag. 36. & 37, Reinesius nonnullos describit. Omnes huc transferre placuit, quod ratio argumenti sibi poscere videbatur; ne, dum de Beleno integrâ dissertationem meditamus, ad eius monumenta conquirenda aliò lectorum ablegemus. Præterea & correctiores hic prodibunt, collatis nonnullis, ubi suspicio mendi inerat, cum suis authographis, vel cum manuscriptis schedis, quas penè me habeo, ex quibus etiam aliquos hactenus ineditos proferam, & notatiunculas, prout rei opportunitas exigere videbitur, interseram.

¹
 APOLLINI
 BELENO. AVG
 IN. HONOREM
 C. PETTI. C. F. PAL
 PHILTATI. EQ. R
 PRAEF. AED. POT
 PRAEF. ET. PATRON
 COLLEGIORVM
 FABR. ET. CENT
 DIOCLES. LIB
 DONVM. DEDIT
 L. D. D. D,

²
 APOLLINI
 BELENO
 C. AQVILEIENSIS
 FELIX

³
 APOLLINI
 BELENO. AVG
 TIB. CLARISTIO
 ET. CORNELIAE. Q. TICILAN
 CONIVX. CVM. FILIS. CLAVD
 CONSTANTE. FEROCLANO
 EVTICHIANAE. AERISTIONE
 EX. VOTO. POSVER. SIGNVM
 CVPIDINIS. L. D. D. D

His saxis, (quorum primum & secundum ex Gruteri pag.
 36. num. 11. & 12. postremum ex nostris schedis est desum-
 ptum) nomen *Apollinis* tributum *Beleno* vides. Caussam
 inferius perscrutabor. Literam singulariam C in secundo,
Colonia, explicat Reinesius Class. 1. num. 5 1, tanquam *Colo-*
nia Aquilejensis Felix aram hanc Beleno posuerit. Unde

damnat Auctores indicis Gruteriani, quod c. 23. lit. A. non intellectâ C singulariæ significatione, eam per *Cajum*, non per *Coloniam* exposuerint. Ita enim in 7. 491. C.B. est *Colonia Bononia*, in 6. 484. C.I. *Colonia Julia*, & in 5. 1142. C. Aquilejensi. *Felix* verò est epitheton *Coloniæ*: ut *Capua Colonia Julia Felix*, *Colonia Felix Augusta Nolana*, & aliæ passim. Sed deceptum ipsum doctissimum Antiquarium, & Auctores indicis rectè legisse *Cajum*, nullus dubito. Etenim *Caius Aquileiensis Felix* homo aliquis fuit, qui Beleno monumentum illud dicavit. Nam & in memoratâ inscriptione 5. 1142. quam ipse in argumentum suæ lectionis profert, C omnino *Caium* designat, non *Coloniam*, ut sensu ipso statim percipimus. Sic enim se habet suppleta ex nostris, nam Gruteriana tres tantummodo primos versus exhibit.

IALISSO. COIVG
ET. C. AQVILEIENSI
SVAVI
NEMESIN. L. C. FRENIO. SECVN
GRAMMAE

Certè *Nemesina* sepulcri titulum posuit *Jaliffo coniugi*, & *Caio Aquileiensi Suavi*, non *Coloniae Aquileiensis* nomen est familiæ seu gentis, cui præponitur prænomen *Cai*, sequiturque cognomen *Suavis*. Id aliis exemplis vetustatis confirmo. Saxa sunt *Aquilejensia*, quæ libentius hic exscribo, quod nusquam edita inveniantur.

I
 CAESARIS. N. SE
 FILIO. PISSIMO
 ET. L. AQVILEIENSI. AGATHIO
 ET. HELIO. COLONORVM

2
 T. AQVILEIENSIS
 STRATONICVS. SIBI. ET
 NVMISIO. TIBERIO
 BASILEO. FILIO. SSIMO
QVI. VIXIT. ANN. XXXVI. M. V
 D. XIIII

3 ^{fec}
 PETRONIAE. AQVILEIENSIAE
 M. IVLIVS. SOTER. CONIVGI
 INCOMPARABILI

Vides non tantum *Caji*, sed prænomina quoque *Titi* & *Lucii* genti *Aquileiensis* fuisse usurpata. Neque enim quis, puto, dixerit illud vocabulum designare Patriam. Nam cuilibet saxa antiqua vel summis digitis versanti notum est, eam esse sedem gentis, non patriæ. Et licet aliquandò inveniamus patriam inter nomen & cognomen locatam, ut notarunt clarissimi Antiquarii Reinesius ep. 46. ad Rupertum pag. 388. & Fabrettus inscript. domestic. cap. 4. p. 340. in nostris hisce faxis id non patimur, ne homines illos prænomine & cognomine notatos, absque nomine cogamur fateri. Et rem extrà dubium videtur ponere *Petronia*, quæ si patriam signare voluisset, se *Aquileensem*, non *Aquileiam* vocasset. Cujus inflexionis in *Veronia* muliere exempla præbent inscriptiones 4.485. & 4.746. Florentiae in *Vineâ Strozziâ* hoc extat epigramma exscriptum nuper ab eruditissimo Montfauconio : *Libius Abascantus Aquileiae Speni coniugi suae benemerenti*. *Libius hic Abascantus, per-*
mu-

mutatâ priori literâ , idem fortassis ille est *P. Vibius Abascantus* , qui in lapide inferius recitando *Sevir Aquileiensis* signatur . Unde & conjugi eandem fuisse patriam conjicio , à qua nomen *Aquileiae* sumpserit . Porrò nomina familiarum sëpius ab urbibus deducta ostendo cap. 1. inscriptionis *M. Aquilii* . Vel cùm utrosque , virum & mulierem , Llibertos credam , prodente nominum charactere , mulier libertate donata ab ipsâ Coloniâ Aquilejæ , simul etiam nomen accepit . Nam servis urbium cùm manumitterentur , ipsarum nomen cum libertate datum fuisse , pluribus exemplis demonstrat Fabrettus cap. 6. pag. 434.

Tiberius Claristio in tertio epigrammate cum conjugi & filiis signum *Cupidinis Apollini Beleno ex voto posuerre* . Signa & donaria in templis alienorum deorum collata passim occurunt in literatis saxis . *Helvius Felix* signum *Apollinis* dicat *Fortunæ Primigeniæ* in 1.77. eidem signum *Libri Patris* , simulacra duo *Spei* , & signum *Æquitatis* eadem paginâ consecrantur . At plura alia exempla erudita congerit Fabrettus in *Apologemate* pag. 7. Fortè inter hos conjuges dissolutam concordiam & amoris vinculum restituisse *Cupido* credebat ; gratia autem accepti beneficij in *Belenum* relata , perinde ac si , tanquam tutelare urbis numen , civium patrocinia apud alios deos ageret & negotia procuraret , ex eorumque numero esset , quos procurantes , & *prefectos* , & *präsidés* vocat *Tertullianus* in *Apologet.* cap. 24.

1
 BELINO. AVG
 SACRVM
 VOTO. SVSCEPTO
 PRO. A. AQVILIO
 C. F. POM. VALENTE
 IIII. V. I. D. DESIG
 PHOEBS. LIB
 V. S. L. M

3
 BELEN. AVG
 IN. MEMOR
 IVLIOR
 MARCELL. ET
 MARCELLAE. ET
 IN. HONOREM
 IVLIARVM
 CHARITES. ET
 MARCELLAE. FILIAR
 ET. LICIN. MACRON
 IVNIOR. NEPOTIS
 C. IVLIVS. AGATHOPVS
 IIII. VIR. AQVIL,
 L. D. D. D

4
 BELENO
 AVG. SACR.
 L. CORNELIVS
 L. FIL. VELL
 SECUNDINVS
 AQVIL
 EVOC. AVG. N
 QVOD. IN. VRB
 DONVM. VOV
 AQVIL
 PERLATVM
 LIBENS. POSVIT
 L. D. D. D

5
 BELLENO
 AVG
 P. VIBIVS
 ABASCANTVS
 IIII. VIR. AQVIL
 DONVM. DEDIT

6
 BELINO
 AVG. SAC
 L. IVNIVS
 SVCCESSVS
 V. S. L. M

Belenus hisce inscriptionibus AUGUSTUS vocatur. Alios quoque deos simili cognomento seu epitheto insignitos frequenter conspicimus. Caussam querunt eruditi. Sponius Recherch.d'antiq.dissert.29.pag.481.occasione lapidis *Nymphis Augustis* dicati, ait hoc epitheto designari, deos conservationi familiæ Imperatorum invigilare. Reinesius epist.

epist. 69. ad Rupertum pag. 654. ubi Deos plures , quibus *Augusti* nomen inditur , collegit , id nominis diis tributum putat in adulationem summarum potestatum , quas diis æquare consueverunt; & cum diis suis supplicare videri vellet, simul Augustos suorum temporū adorare & colere. Cui sententiae confert mos inductus , quo Principes nominibus ipsis deorum appellabantur . Templum Hierosolymitanum impiâ profanatione sibi dicari jussit Caligula , titulo *Jovis illustris novi Caji* , teste Philone legat.ad Cajum . Geta & Caracallus vocantur *novi Soles* in numismate Græcis characteribus insculpto apud Morellum in specim. pag. 26. Feminas quoque Imperatorum eadem insania incessit. Unde Julia Sabina *nova Ceres* , Julia Pia *nova Vesta* , aliæque sunt nuncupatae, ut notavit Cl.Bonarota in suis observat. pag. 40. & 70. Imperatoribus etiam viventibus templo , adorations , & sacra instituta fuisse nemo ignorat. Quare cum Apollinem *Augustum* , Silvanum *Augustum* , Belenum *Augustum* offendimus , non alia hæc numina sunt , quam ipsi Cæsares tunc viventes , quibus vota sua nuncupabat stulta gentilium adulatio . At fortassis aliò ire licet . Nomen Augusti ex sui origine , *sanctum & consecratum* significat , ut ait Festus. Et Ovidius Fastor.lib. 1. vers. 609.

Sancta vocant augusta patres : augusta vocantur

Templa sacerdotum rite dicata manu .

Hinc Octavio Cæsari hoc cognomen additum , ut scilicet , ait Florus lib. 4. cap. ult. in fin. jam tum dum colit terras , ipso nomine ac titulo consecraretur . Et Suetonius in vita cap. 7. quod loca quoque religiosa , & in quibus augurato quid consecratur , *Augusta* dicantur. Dio lib. 53. p. 507. postquam dixit , quare nomen *Augusti* suscepisset , hæc addit: *Tanquam aliquid esset supra hominum conditionem : nam quæ in honore atque cultu sunt , ea Augusta vocantur.* Unde qui græciabant τεβασὸν vocabant , quasi *sanctum* . Nomen ergo *Augusti* Diis proprium , ex primæva vocabuli notione: quibus opus non est , ut illud ab Imperatoribus tan-

tanquam precariò mutuentur. Nam quis magis *sanc̄tus* & *sacer* falsæ religionis judicio, quam Juppiter, Apollo, & cetera deorum vocabula? Inscriptus est lapis apud Reinesium Clas. I. 108. & 148. DIS SANCTIS. & 260. DIANAE. SANCTAE, 64. & 65. HERCVLI SANCTISSIMO, nec plura exempla vacat referre. Appulejus lib. 6. Metam. *Supplicanti*, inquit, *se Juno cum totius sui Numinis augusta dignitate præsentat*. De ipso Augusto Cæsare dixerat Naso versu antecedenti,

Hic socium summo cum Jove nomen habet.

Juppiter ergò *augustus* ante Octavium, qui in societatem nominis per adulationem adscitus fuit. Unde facilè suspicor, Belenum & Deos ceteros *augustos* vocatos, propriæ dignitatis merito, non ob consortium divinitatis cum Imperatoribus, vel quòd eorum custodiæ excubarent. Non negaverim tamen, ævo Cæsareo frequentius id usurpatum, ut intenderetur erga Principes reverentia, quibus æqua cum Diis tituli majestas esset.

Primum epigramma monet, *Belenum* vocatum quoque fuisse *Belinum*. Eundem characterem præferunt duo hæc ex Grutero pag. 36. 14. & pag. 1066. 8.

¹
BELINO. SACR
L. VECTONIVS. L. L
SECVNDVS IIII III

²
BELINO
SEX
CAESERNIVS
FAVSTVS
IIII I. VIR
V. S. L. M.

In textu Græco Herodiani, cuius verba recitavi, legitur *Beλίνιον*. Salmasius ad Capitolinum, loco itidem laudato, scribendum censet *Beλίνιον*. Rectè ad fidem nostrorum lapidū. Discriminis caussam puto, quòd, qui *Belinum* usurparint, Græcam terminationem sint sequuti: qui vero *Belenum*, Romano more vocem extulerint, quod frequentius

receptum fuit, ut in saxis, & latinis Scriptoribus appareat. Hinc verum nomen potius *Belenum* fuisse crediderim, & ex E in I. transitione, enatum *Belinum*. Nam eæ vocales, cum magnam habeant inter se communitatem, ut inquit Varro de ling. lat. lib. 5. in scribendo & pronunciando altera in alterius locum immigrabat apud antiquos, ex Agellio noct. Attic. lib. 10. cap. 24. Donato in Terent. Phorm. & Quintiliano lib. 1. cap. 4. Exempla, quæ ad rem marmorariam pertinent, peti possunt ex Gruteri indice xix. & notis Reinesii ad inscr. 2. Class. 1. Et hoc sanè magis arridet, si eam originem habet Belenus, quam inferius proponam. At *Belenum* pessimè corruptit Ravissus, *Tellenum* deum Aquilejensium tutelarem effigens, in Officinâ cap. de Diis némorum. Qui poterat *Tellinum* quoque Brixiensium deum, pro Marte habitum, de quo plura Octavius Rubeus in Memor. Brix., in *Belinum* induere. Quamquam Reinesius æquior est in Ravisium, quem scripsisse ait *Belenum*, increpans amicum Christianum Dau-mium, quod imponi sibi à futili typographo passus fuerit, epist. 93. ad eum datâ pag. 237. At aliâ viâ peccarunt Gyraldus Syntagm. de DIS lib. 1. & Rhodiginus var. lect. lib. 4. cap. 17. *Felenum* vocantes Aquilejensium Deum. Pejus lapsus est Marquardus de Susannis celebris Juris-Consul-tus Utinensis, qui in tract. de Judæis part. 3. cap. 1. num. 26. Aquilejenses duo numina tutelaria coluisse scribit, *Felenum* videlicet & *Belenum*, horumque templa alterius scilicet Feleni in honorem S. Felicis, ubi verò Belenum venerabantur fuisse Abbatiam Belinensem. Miror Henricum quoque Palladium rerum Forojul. lib. 5. pag. 82. extra lapides, quo-rum non paucos exscribit, *Belenum* & *Belinum* præferen-tes, etiam, *Felenum* cum Gyraldo, quem citat ad marginem, quæsivisse. Erroris eadem illi caussa cum cive suo Mar-quardo, ex sacrâ scilicet Æde S. Felicis Martyris, quem curâ vulgo incolæ S. Fel. vocitent, putavit eodem loco *Feleni* templum olim stetisse, non obscurâ, ut ait, nominis allu-sione.

sione. At mutilum illud est & corruptum, ex ingenio nostri idiomatici, *S. Felicis* vocabulum, non *Feleni*, quem nusquam Aquilejenses novere. Rectius coniicit Palladius, à *Beleno* seu *Belino* fluxisse appellationem *Abbatiae*, ut loquimur, *della Beligna*, templo D. Martini insignis.

Andreas Dandulus, cuius Ms. Codex in Bibliothecâ Vaticana asservatur num. 5842, narrat lib. 6. cap. 1. Eliam Patriarcham, qui labente sexto seculo Ecclesiam Aquilejensem regebat, quoddam Paganorum templum in honorem Bethel in contiguo litore in mon. Puellarum sub S. Petri Apostoli vocabulo transmutasse. In sacris Literis *Bethel* locus est, ubi lapidem unxit Jacob, Gen. xxviii. à quo nomine & ritu *Bæthylia*, seu *Bæthulia* lapides alicui Gentilium deo consecrati, profanis Scriptoribus vocantur. Hos animatos putabant, ut est apud Sanchoniatonem: unde moveri, & in aërem ferri scripsit Damasius in vita Isidori apud Photium Cod. 242, ubi plura legere est de *Bæthyliis*. Bochartus tamen Geograph. sacr. lib. 2. cap. 2. mendum esse in Sanchoniatone contendit, & lapides *unctos*, non verò animatos scribendum. Quod derivationem à sacro Hebreorum ritu ad idololatricum morem traductam propius designat. Bethel quoque lapidem illum appellant veteres, quem Saturnum vorasse fingunt, ex Hesychio, & Prisciano lib. 1. & 6. & βαῖθηλ *Bæthel* divinum templum Suidas interpretatur. De his plura videsis apud Scaligerum in Eusebianis num. 2150, Seldenum de DIs Syris Synt. 1. cap. 5. Marshamum in Canon. Chron. ad Seculum iv. pag. 55. Sed nihil horum ad rem nostram. In Templo enim Aquilejensi non lapidi honorem à Paganis habitum fuisse, sed cuiquam Deo facile intelligimus. Quare corruptum esse eum locum Danduli puto, & pro *Bethel* legendum *Belenum*. Saudit affinitas vocabuli, & quod Belenus celebre fuerit Aquilejensium numen, Bethelis verò nusquam sit mentio. Ceterum, ut obiter moneam, vox illa in Mon. supplenda est

ex aliis Danduli exemplaribus, in quibus legitur, *in Monasterio*. Quamobrem Ughellus, qui eodem Vaticano Codice usus est, recitans ea verba tom. 5. Italiae sacr. pag. 38. malè scripsit *in monte*. Nusquam enim est, nec esse potuit Aquilejæ mons aliquis, cùm tota ea regio se iu latissimam planitiem diffundat. Et sensus ipse id suadet: nam Elias templum Beleni *transmutavit in Monasterium* (donandum seculo Danduli, qui dixit, *in Monasterio*) *Puellarum sub vocabulo S. Petri*. Quod porrò nō ità accipiendum, ut tunc falsi numinis cultus in eo maneret; olim enim Aquileia, gentili superstitione expulsâ, Christo Domino nomen dederat. Sed pius Antistes templum illud adhuc extans Christiano ritu inaugurarit, & locum, qui tituli infamiam nondum exuerat, sanctiori vocabulo expiavit.

In quinto versu secundi lapidis reposuit Reinesius Class. 1. inscr. 52. MARCELLINI, quòd ibi sit sermo de filiis Juliis, de filiabus Juliabus in sequentibus. Audax correctio: at quoisque sensus verborum aliter resungi nequeat, eam sequi cogimur. Nam lapidem ità loqui, exemplum nuper ad me transmissum fatetur.

Civibus Aquilejensibus patrii Numinis religio ita inhæsit, ut vota adhuc absentes ipsi nuncuparent. In quarta inscriptione *L. Cornelius Evocatus Augusti donum quod in Urbe uoverat Aquilejam perlatum libens posuit*, obtinuitque locum à decurionibus civitatis, quod significant literæ, *L.D.D.D. locus datus decurionum decreto*. Civem hunc Aquileensem fuisse, denotat tum tribus VELLina, ex qua Aquileja Colonia deducta fuit, ut docent alii lapides quos alibi proferam, tum expressi characteres, AQUILLEJENSIS. Ex hac gente Corneliā traductam in proximam Coloniam Forojuliensem familiam Cornelii Galli, qui summus Poëta & Augusto carus, Ægypti Præfetus infelici casu occubuit, facile suspicor. De quo iterum pauca alio loco retexam.

In-

Interim inultum abire non patimus Nicolaum Chorierum, qui de antiquit. Vienn. lib. 3. §. 24. priores duos lapides nobis surripere ausus est, ut Viennæ suæ conscriberet. Sanè adhuc visuntur Venetiis in ædibus Grimanis, nec Viennæ in Galliâ esse possunt, nisi, quod negant Philosophi, multiplicatio corporum detur. Errandi illi fons est ex Grutero lippis oculis inspecto. Pag. 36. num. 10. signatur inscriptio *Viennæ Allobrogum in æde D. Petri*: sub hac, num. 13. jacet nostra, cum hoc titulo, *in alia ara ibidem*: & inferius num. 16. similis epigraphe, *in alia*. Itaque cùm prima verè ad Viennam pertineat, sequentes quoque, ex verbis præscriptis, *ibidem* extare putavit. At progrediendum erat ordine numerorum ducente: nam cùm undecimus lapis Aquilejæ consignetur, ceteri omnes usque ad septimum decimum, non interruptâ serie, *ibidem* collocari debent. Reliquas inscriptiones Beleno dicatas exhibeo.

BILIENO. AVG.
NALVIUS. PINTITVS

In hoc epigrammate, quod supra etiam produxi, nomen Beleni novâ characterum formâ procusum est. Fabrile mendum haud dubito, cum Reinesio (qui illud extare ait Venetiis in ripâ S. Claræ) Class. I. 51. ubi pluribus exemplis docet, sæpius I pro E in veteribus libris & lapidibus irrepisse. Culpat quoque marmorarium, quod Nalvius pro Naevius scripsit, & Pintitus pro Pinutus. Mihi tantum licere non arbitror, & artificem libenter noxæ eximo,

1
FONTI BELENO

C. AQVILEIENSIS DIADMENVS

B. V. S

2
FONTI. B. . .3
M. HOSTILIVS

AVCTVS

IUNI VIR

B. S. D

4
BELENO
MANSVETIVS

VERVS

LAVR. LAV

ET. VIBIANA

IANTVLLA

V. S.

5
T. MARIVS. APTVS
VERCELLEN
ET
ASIATICVS
MAN. BELENO
V. S. L. A

Primum hunc lapidem mirum in modum affixit Reinesius loco proximè laudato, & Fontem Belenum obstruere conatus est. Eum trajectis vocibus ita legebat: BELENO Coloniae AQVILEIENSIS FONTeius DIADMENVS: fontem in virum, hunc in Coloniam novâ metamorphosi traducens. Nec enim sibi persuadere poterat, Belenum, vel fontem aliquem fuisse, vel fontem sub nomine Beleni cultum. At demum secundis curis, & Fontem & Belenum in sua divinitatis jura reposuit, quòd vidisset aliud saxum apud Gruterum 94. 4, secundum ex nostris hic descri-

scriptis, dicatum FONTI Beleno; & Fontem esse deum prodant tam *Fontinalia Romæ* celebrata, quam delubrum juxta portam Capenam ipsi positum. Imò & FONS non minus quam *Juno, Lympha, Diique Novenfiles, domicilium possidebat* in secunda cœli regione, apud Capellam de nupt. Philolog. lib. 1. pag. 16. Addo Sextum Empyricum qui adversus Mathem. lib. 8. pag. 311. edit. Græcolat. Colon. an. 1620. tradit, *Veteres Solem, & Lunam, & fluvios, & FONTES Deos existimasse*. Unde apud Fabrettum cap. 6. pag. 430. ara est dicata *Fovi Optimo Maximo Caelestino FONTIBUS & Minervae*. Gruterus ex Smetio legebat *Fontejus*: pejus Reinesius *Brontaeo*. Sed ita emendavit clarissimus marmororum restitutor ex authographo ejus Museum exornante. Similes inscriptiones ibidem legere est. Itaque *Fons* suus *Beleno* maneat, & lapidi scriptura: in quo legendum *Cajus Aquilejensis*, non *Colonia*, ut de aliis suprà monuimus. Præterea labitur Reinesius dum illum cum tertio M. Hostili conjungit, nam uterque distinctus est in nostris schedis, & postremi ultimæ literæ B.S.D. sunt explicandæ, *Beleno Sacrum Dedit*, scilicet *Hostilius Sevir Aquilejensis*, non *De suo Dedicat*, ut ipse putaverat, D pro B reponens.

Hæc penè omnia, quæ retuli, Aquilejensia epigrammata vota nuncupata & soluta *Beleno* repræsentant. Id enim significatur his siglis, V. S. *votum solvit*, V.S.L.M. *votum solvit libens merito*, & huiusmodi. Vovebant gentiles, quod est nuncupare vel suscipere vota, donaria, signa, ornamenta, vel viætmas; & voti compotes facti, Deo cui voverant, vel extructâ arâ, thure & vino, aut victimis faciebant, aut dona statuebant, nisi in templo essent dedicanda. Sexcenta eiusmodi vota soluta produnt veterum lapides, quibus tempus, personæ, res dicatae, & similes circumstantiæ adnotabantur. Locus porrò statuendi aram nonnisi permisso publico eligebatur, unde frequens hæc formula etiam in nostris saxis, L.D.D.D. *locus datus Decur-*
rio-

Dùm de Beleno agimus, non prætermittam lepidissimum distichon, quod extare sculptum marmori in agro Tiburtino testatur Antonius del Rè in antiquit. Tiburtin. Italicu idiomate cap. 5. part. 2. ubi de Villâ Hadriani in fine.

ANTINOO ET BELENO PAR AETAS FORMAQVE PAR EST.
CVR NON ANTINOVS SIT QVOQVE QUI BELENVS.
Q. SICVLVS.

Antinous puer Hadriano in deliciis fuit, gratiâ apud ipsum & honoribus florens, quem fatô abreptum in Ægypto, vesanus Imperator, in perditu amoris argumentum & doloris solarium, templis & oraculo consecratum pro Deo coli iussit: nisi populi in adulationem principis hoc fecerint, ut scriptores aliqui prodiderunt. Extant numismata eius consecrationem præferentia, de quibus antiquarios consulas. Cum igitur Q. Siculus Antinoum videret summo loco apud Cæsarem haberi, queritur non eadem forte acceptum esse Belenum, qui nec ætate nec formæ elegantiâ Antinoo concedebat. Hunc Belenum Aquileiensem fuisse non inani coniecturâ suspicor. Quòd scilicet ex patrii Numinis appellatione nomen sortitus sit. Non insolens quippe fuit Romanis Deorum nomina hominibus indere. Exempla lapidum producit Reinesius epist. 69. ad Rupertum pag. 655. & Cl. Cuperus in monum. Antiq. post libellum de Harpocrate pag. 188. nihil ex eruditâ antiquitate prætermittit. His interim auctarium faciet noster Belenus; ad dasque & Phoebum in inscriptione superius memorata pag. 261.

A Carnis, ubi Aquileja, ad finitimos Noricos Beleni religionem migrasse certum videtur. Nam Belenum his fuisse cultum disertè tradit Tertullianus cap. 24. Apologetici jam indicato: *Unicuique etiam provinciæ & civitati suus est Deus, ut Syriae Astarte, ut Arabiae Disartes, ut Noricis BELENVS, ut Africæ Cœlestis.* Et iterum adversus Gen-

Gentes loco itidem sub initium prolato . Antiqui Codices Tertulliani non *Belenum*, sed *Tibilenum* præferebant . Petrus Pithœus adversar. subseciu. lib. 1. cap. 4. cùm in Ausonio Beleni mentionem offendisset, suspicatus est, textus Septimii corruptos, & ipsum *Belenum* reponendum. Quam conjecturam veteri manuscripto munivit, & exinde eam amplexa est universa Literatorum natio . At verè non omnium primus Pithœus correxit Tertullianum . Siquidem Jacobus Nicolaus Loënsis miscellaneor. epiphill. lib. 5. cap. 15. inter Criticos Gruteri tom. 5. pridem mendum detexerat, & pro Tibileno dium *Belenum* legerat . Eâ sanè ratione, quòd Aquilejensis regio, ubi Belenus colebatur, proxima sit Norico, quod pluribus ostendit, quàm opus fuisset in re Geographis notâ . Si tamen audiamus Germanos Scriptores, qui *Tibileno* antiquæ Tertullianeæ lectionis jura asserere contendunt, à Noricorum finibus eliminandus est *Belenus* . Tuentur eam opinionem Rhenanus ad marginem primæ edit., Althamerus commentar. in Taciti Germ. adducti à Pamelio, Fabritius origin. Saxonice. lib. 1. Joan. Saubertus de sacrific. vet. cap. 5. & nuperus Auctor Hector Gothofredus Masius in Schediasmate historico de Diis Obotritis, seu Idolis Mekelburgens. cap. 2. §. 3. Nimirum *Tibilenum* ex Norico in reliquam Germaniam transgressum autumant: nam etiam hodie malus Dæmon eo nomine ipsis Germanis vocatur . Inde *Tibilenum* eundem esse ajunt quem Slavi, *Zernebok*, seu *nigrum deum* appellabant, teste Helmoldo lib. 1. Chron. Slavorum cap. 53. Nostri quoque Slavi montana Fortijulii, quâ Carnioliam spectat, incolentes, adhuc eodem planè vocabulo utuntur: *Zerne* quippe iis est niger, *Bech* deus. Præterea & Vandalos adhibuisse ea nomina reperio . Nam deum malum appellabant *Zernebuk*, bonum vero *Belbuk*: erat enim illis *Bel* albus, *Zerne* niger, & *Buk* deus . Et in conuiuiis & compotationibus suis pateram certis verbis consecrabant sub iis nominibus boni & mali dei . Ita Krantzius

lib. 3. rerum Vandalic. cap. 37. & Munsterus lib. 3. Cosmograph. Primum horum deorum eum fuisse *Bielem* puto, apud Thuringios ingenti superstitione cultum, cuius idolum S. Bonifacius semel iterumque dejecit, uti refert Johannes Letznerus, qui ex veteri MS. vita ejusdem Germanorum Apostoli scripsit, penes Nicolaum Serarium Moguntiac. rerum lib. 3. not. 21. pag. 474. Nescio an hujus nominis antiquorem originem repetere possimus à *Veleda*, ut legit Rickius, quæ cum tempore Vespasiani in Germaniâ latè imperitaret, etiam numinis loco habita fuit, teste Tacito de mor. Germ. cap. 8. & histor. lib. 4. cap. 61. Primæ sanè literæ B & V frequenter permutantur. At videant viri docti, num idem liceat in numinis sexu. Alterporrò *Zernebok*, ex nominis significatione, is potuit esse *Jopher niger*, alii legunt *Jovem nigrum*, de quo Bollandus in actis S. Julianæ 16. Februarii pag. 875.

Attamen in eam significationem nil certi Germanos adducere testatur idem Pamphilus Rhenanum & Althamerum referens. Et Vossius, qui lib. 1. de idololatr. cap. 38. ire in Fabritii sententiam visus est, in nota marginali eundem deceptum fuisse magnoperè veretur, cùm à Tibileno *Tifel* esse non possit. At ego verè deceptos Germanos non dubito. Quia cùm Tertullianus deum illum præsidem Norici fuisse dicat, induci non possum ut credam, Noricos in tutelare gentis numen malum dæmonem adsumpisse. Quamvis enim superstitione gentilitas etiam deos malos, ne nocerent, divinis honoribus cumulaverit; nunquam tamen, quod sciam, nisi bonos & faustos in tutelam & præsidium Urbium regionumque adoptavit. Hujusmodi deprehendas eos omnes, quos Minucius & alii mihi superiorius laudati memorant. Percurras etiam longum deorum topicorum seu localium catalogum apud Gyraldum Syntagm. 1. Ipsimet Dii provinciarum præsides Tertulliano recitati, omnes boni sunt, & ex eorum numero, quos coelestes & majorum gentium vocarunt antiqui. *Astarte* Syriae est

est Venus, *Dis artes* Arabiæ Bacchus, *Cœlestis* Africæ Juno. Quare omnino verum videtur, etiam Noricorum deum, inter ipsos recensitum, eiusdem ordinis & dignitatis fuisse, & certè Belenum qui Apollo interpretabatur, non verò *Tibilenum*, cā notione, quam Germani ingerunt, malum dæmonem & improbum deum. Quare Tertulliano & Noricis deus Belenus reliquendus est.

Ab Aquileiâ nostrâ & Norico, ingens terrarum spatiū emensi, in Galliam transmittimus, ut BELENVM plurimâ religione apud eas gentes celebrem conspectemus. Ausonius de Professoribus Burdigalensisbus carm.

4. hæc habet:

Tu Baiocassis stirpe Druidarum satus,
Si fama non fallit fidem,
BELENI sacramum ducis è templo genus.
Et inde vobis nomina
Tibi Pateræ: sic ministros nominant
Apollinaris mystici.

Et carmine 10.

<i>Non reticebo senem,</i>	<i>Stirpe satus Druidarum</i>
<i>Nomine Phœbitium,</i>	<i>Gentis Aremoricæ,</i>
<i>Qui BELENI Ædituus</i>	<i>Burdigale cathedram</i>
<i>Nil opis inde tulit.</i>	<i>Nati operâ obtinuit.</i>

Sed tamen, ut placitum,

Patet hinc Belenum cultum fuisse potissimum in Aremoricâ provinciâ Galliæ ad Oceanum, in quâ Bajocassis Urbs sita erat, ex Valesio in Notitiâ Galliarum, & Pithœo, qui hoc idem observat, expendens recitatos versus Ausonii; Advers. subsec. lib. 1. cap. 3. Inter populos verò Aremoricæ præcipui accensentur Veneti apud Cæsarem lib. 3. de bell. Gallic. Quæ hic adnotata, deinceps usu venient. Porrò Belenum Galli quoque interpretati sunt Apollinem; cognomina enim quæ huic congruunt, ministris Beleni indita fuisse, monet Ausonius. Atque hic fortassis est Apollo, quem coluisse Gallos tradit idem Cæsar lib. 6.

A Beleno etiam derivatum volunt deum *Abellionem*, de quo inscriptiones in Convenis Novempuloniæ apud Gruterum pag. 37. num. 5. 6. & 7. & *Belanetensis* mons in Arvernis à Beleno appellationem traxit, ut placet Valesio in eadem Notitiâ pag. Imò *Belatucadrum* Britannorum deum eundem Belenum esse, non ambigit doctissimus Seldenus de Dis Syris Syntagm. 2. cap. 1. Fortè à Gallis, qui illùc migrarunt, religio traducta est, ad regionis loquendi consuetudinem nomine accommodato. Nam & Britanos habuisse Druidas refert eodem libro Cæsar, & Tacitus annal. 14. cap. 30. Qui cum mystæ fuerint Beleni, ut jam didicimus ex Ausonio, omnino verisimile est, ipsos nomen dei & sacra in vicinam insulam importasse; siquidem in eâ, Gallorum *sacra* deprehendi *superstitiosâ persuasione*, dixerat idem Tacitus in Agric. cap. 11.

Jam satis BELENI religionem apud Aquilejenses & Gallos, significationemque Apollinis indicatam literata, faxa & scriptorum testimonia commonstrarunt. At nullus veterum caussam nominis, & originem numinis prodidit. Viri docti, quos nostra ætas & superior tulit, cùm omnes penè antiquitatis latebras eruditâ perquisitione solicitaverint, hanc quoque provinciam pertentarunt. Joannes Ger. Vossius de idololatr. lib. 2. cap. 17. Belenum ab Hebræo *Beel*, unde *Beelsamen*, deducit, cùm omnis ferè superstitionis ab Oriente. Ludovicus Thomassinus in tractatu Gallico des Langues lib. 3. cap. 10. nu. 4. Belenum, ut & Abellionem ab ἥλιῳ seu Sole derivat, mutatâ aspiratione in B, qui transitus non insolens est. Bolducus ineptissimè à *Belo-Enos* seu *Deus Enoscis*, quem fusè confutat Reinesius Class. 1. 5 1. Ceteri omnes Belenum esse à *Belo* contendunt, & religionē nomenque ab Oriente in Europam traductum. Ita Seldenus eodem Syntagm. 2. cap. 7. Bochartus Geograph. sacr. part. 2. cap. 42. Elias Schedius de Djs Germanorum Syntagm. 1. cap. 7. Jacobus Sponius in miscellan. erudit. sect. 1. art. 1. & Recherch. d'antiq. dissert. 3. pluresque alii quos

prætermitto. *Betus* celeberrimum apud Orientales numen, quod in sacris Literis *Baal*, *Baalim*, & *Beelphegor* audit, quamvis passim pro Jove habitus fuerit, ut apud Hesychium, Herodotum in Euterpe, Xiphilinum in Caracalla, & alios, Solem nihilominus etiam significavit, quod jam memorati Auctores fusiùs ostendunt. Quarè cùm Sol Apollo sit, Belenusque Apollo, à Belo Belenum natales suos ducere, non dubitant. Inde Schedius loco indicato Solem in Beleno quærens, literis in numeros mysticè transpositis, uti à Basilidianis & Gnosticis olim in Abraxis tentatum, elicuit numerum dierum anni, quem Sol cursu suo disternat, hoc modo :

B	H	A	E	N	O	Σ)
2	8	30	5	50	70	200) 365

Curiosum sanè ingenii commentum, magis quàm verum. Non enim advertit doctus Auctor, non tām secundam, sed etiam primam syllabam in Beleno per scribi, ut vidimus in Herodiano; & Latinis brevem efferri, quod constat ex duobus Aufonii locis, & versibus Q. Siculi de Beleno puerō jam adductis. Ac proinde si reponamus literam & cui quinarius numerus respondet, decurtato mystico illo 365. dierum numero, tota Schedii ἰσοψηφία evanescit. Prætereo, superstitionis hæc numerorum mysteria Ægyptiis & Orientalibus tantùm fuisse usurpata, quibus Belenum nusquam notum invenimus.

Attamen quæ de Beleni hac derivatione doctissimi viri cogitarunt, mihi probata esse nequeunt. Persuasum quippe habeo, *Belenum*, qui perpetuo scriptorum & lapidum consensu Apollo dicitur, Solem esse non posse, ac proinde neque *Belum*. Arduum hoc profectò & audax effatum, cùm vel pueris, ut inquit Seldenus, notum sit, Apollinem cundem esse ac Solem. Fateor ultrò: & Macrobius lib. 1. saturn. cap. 17. id longā disputatione ostendit, & post ipsum, uberiori eruditioñis copiā idem Vossius lib. 2. cap. 12. & Aleander junior in explicatione tabulæ

He-

Heliacæ. At si in Gentilium religionem penitus introsperixerimus, & horum sententiam veram esse, & nostram haud falsam, patebit. Theologiam suam in tria genera distinxere veteres, in Mythicam scilicet, seu Fabulosam, Physicam, & Civilem, ut ex Scævola & Varrone tradit D. Augustinus lib. 4. de Civit. dei. cap. 27. & lib. 6. cap. 5. Sallustius philosophus de Diis & Mundo cap. 4. in quinque species distribuit, quæ ad has facile reduci possunt. Ad primam referabant eam partem, quæ ad physiologicas naturalium rationum interpretationes pertinet. Hinc Dii omnes vel ut corpora naturalia culti sunt, ut Sol, Luna, astra: vel, ut animalia, ex historiæ vel fabularum traditione, quales putabantur Juppiter, Bacchus, Apollo, & ceteri. Atque hi, quos *ingens evexit ad æthera virtus*, ut ait Poeta, *ob merita virtutum, aut munerum, aut artium repertarum in memoriam sunt consecrati*, inquit Lactantius lib. 1. de falsâ rel. c. 5. Quare Apollo historicè seu fabulosè sumptus, unus quis Deus est animalis, diversus à Sole, qui inter naturales censematur: idem verò cum Sole, si physiologicè. Julianus Cæsar in orat. iv. quæ de Solis laudibus est, Apollinem eundem utique cum Sole pronunciat; at quomodo id intelligendum sit, optimè in rem nostram sic explicat, ex versione Petavii: *Sunt aliqui, inquit, Solis cognati & congeniti Dii, quorum vires & effectus participat, quasi extrema principia, & ab omni corporum commercio sejuncta, quibusdam interpositis mediis, in unum à rege Sole coacta, circà ipsum copulantur. Ita fœvis vim effectricem continet, Apollinis eandem intelligendi simplicitatem, & substantię stabilitatem & actionem, Bacchi verò multiplicabilem & dividuam efficientiā. Ita ut hæc & alia Deorum nomina in singularem & primariam unitatem Sol componens omnia perficiat, fecundet, & alat. Ex quibus sparsim in eâ oratione à Juliano dictis apparet, Apollineni verè aliud esse à Sole natura suâ, quamadmodum sunt etiam Juppiter & Bacchus: ceterum eundē participatione virtutis & effectuum convenientiā;*

tiā; quare aptius *socium Solis & affessorem* appellat p. 285, & 269. Plura in hoc argumentum ex aliis congerere possem.

Sapientes igitur & Mythologi, qui sub fabularum tegumentis latenter philosophiam, tūm moralem tūm physicam, denudarunt, & theologicas fabulas, ut ait Sallustius loco indicato, sunt sequuti, quæcunque de Apolline tradita fuerant à Poëtis, ad vires actionesque Solis patefacientes transtulerunt, atque ideo Deum unum, idemque Numen pronunciarunt. Ceterū vulgus Gentilium, omnesque qui religionem, non ratione sed sensibus hauserant, Deos quoscunque, prout sibi à Poetis fingeabantur, pronā superstitione amplexati, Apollinem Jove & Latonā progenitum, è cœlo quondam dejectum inter homines Admeti armenta pascentem, Musarum patrem, auguriorum & sagittandi artis inventorem, non eundem esse Solem putarunt, quem Hyperionis & Thyæ filium, in summo cœli vertice diei, lucisque moderatorem conspectabant. Hanc popularem religionem sequuti Magnesii & Smyrnæi in fœdere inter ipsos sancito, cuius formula extat in marmore Oxoniensi primo, jurant *per Terram, SOLEM, Martem, &c. APOLLINEM &c.* utrosque inter se diversos non ambigentes. Ita lapis Ultrajectinus apud Sponium in Miscellan. erudit. sect. 3. pag. 72, positus est *Jovi O.M. summo, exuperantissimo, SOLI Invicto, APOLLINI, Lunæ &c.* Et Scriptores populo religionem & cultum tradentes, duos esse distinctos Deos docuere. Varro apud eundem Augustinum lib. 7. cap. 7. viginti Selectos Deos recenset, ex quo numero duo sunt, *Apollo, & Sol*. Hunc Artemidorus inter Deos cœlestes, illum inter æthereos reponit, lib. 2. Oeneirocrit cap. 35. *Rhodo favere Solem, Tymbræ Delion,* nempe Apollinem, dixit Sidonius Carm. 9. ad Felicem v. 168. ac 173. & vetus epigramma Græc. *Delphos, ait, tutetur Pythius, & paullò post: est tutela Rhodos beata Solis.* Demum Callimachus in hymno de Apolline, gesta ejus, honores, habitus, cultum, & cognomina celebrat, nullâ omnino

ninò Solis mentione interiectâ. Nimirum hymnodia popula-
lare erat carmen, ad vulgi aures & religionem accōmoda-
tum; & ex hymnis, ut notat Natalis Comes Mytholog.
lib. I. cap. 16, quæ cuiusque Dei natura, & quis ille esset
quem laudibus, & precationibus prosequabantur Gentili-
les, dignoscitur. Homerus quoque prolixum in Apolli-
nem hymnum texit, ortum ejus, perigrinationes, templa
exstructa, totamque rerum ab eo gestarum seriem comple-
xus, nec uspiam de Sole vestigium aliquod prodit. Etenim
ut Deum animalem populo colendum exponebat Poēta.
Hūcque est referendum tertium jam memoratum theolo-
giæ genus, *mixtum* Sallustio vocatum, *quod*, inquit Augu-
stinus ex Varrone, *in urbibus cives, maximè Sacerdotes,*
nosse atque administrare debebant. *In quo est, quos Deos pu-*
blicè colere, quæ sacra ac sacrificia facere quemquam par sit;
unde illud ad ceremonias spectare, ait idem Sallustius.
Idcircò in hac civili, seu populari religione alia Apollini
sacra, victimæ, templa, simulacra statuebantur, alia Soli.
Longum esset ire per singula. Ex re nummaria tantùm in-
dicabo, Apollinem, specie juvenis arcum intendentis, con-
spici in numismate Licinii Valeriani, Lyram & pateram
gestantis, Antonini Pii: Sol verò utique sub forma iuve-
nis, sed capite radiato, cum globo in manu sinistrâ, in
nummis Hadriani, Gordiani minoris, Aureliani, aliorum-
que Imperatorum.

Quæ, supra quām res ipsa fortè exigat, explicata in id
collimant, ut ostendam, Aquileienses & Gallos cùm Apol-
linem, sub Beleni cognomento, populari religione cole-
rent, de Sole non cogitasse. Nullum uspiam Solis vesti-
gium in Beleno, ubique Apollo dicitur. Ita Herodianus,
Capitolinus, Ausonius, & lapides quotquot recensui. In
numismate Cunobileni regis Britanni, cuius ab hoc numi-
ne augustius nomen, Belenus insculpitur Lyram pulsans,
ut refert Seldenus loco indicato: quod Apollini proprié-
convenit, nec nisi physiologicè Soli. Ex uno, ut fa-
tear,

tear , Ausonii versu , quem retuli , nescio quid de Phœbo , qui Sol est , deprehendi posset . Sed ille potius Poëtæ iocu s est , in vocabulo Phœbicii ludentis . Certè Gallos Apollinem coluisse tradit Cæsar . Imò nil ab Ausonio timendum . Nam Phœbus nomen est Apollinis proprium , Solis translatitium . Dicitur enim à Poëtis Jovis & Latona x filius , qui ipse est Apollo ; ut apud Homerum in hymno proximè laudato . Sed ab Aquileiâ nostrâ non recedamus . Alia in eâ urbe templa & aræ Apollini Beleno , alia Soli fuerant dicata . Aras in saxis jam vidimus . Templa Beleni tria mihi videor detexisse . Alterum ad Ecclesiam S. Cosmæ , ubi reperta fuit inscriptio jam relata , signum Cupidinis in templo Beleni dicatum præferens . Secundum , de quo meminit Dandulus sub nomine corrupto Bethel . Tertium eo loci fuit , quo nunc Ecclesia S. Martini , sub Belignæ vocabulo Belinum seu Belenum recondens , ut supra memoravi . Et Jo: Candidus Commentarior . Aquil . lib . 4 . pag . 18 . refert Maxentium Patriarcham , qui sub initium seculi noni Aquileiæ sedis , ex templi ruderibus prisci patrii Belis Dei Monasterium Benedicti Monachis Belinense extruxisse . Templum verò Solis aliâ urbis parte extructum . Eius vestigia paucis ab hinc annis detecta sunt , ibique hæc inscriptio effossa .

DEO SOLI
DIOCLETIANVS. ET. MAXIMIANVS
INVICTI. AVGG

Templum hoc statuisse Diocletianum , dum Aquileiæ esset , vero simile arbitror . Nam in eâ urbe transegisse docent Acta S. Chrysogoni . Id contigit anno Chr. 304 . Nam superiori anno ad 12 . Kal . Decembres Romæ celebratis Vicennialibus , petiit Ravennam , ubi Kalendis Januariis eiusdem anni 304 . Consul processit & post æstatem Nicomediam profectus est , ut in notis ad Lactantium de morti-

Nn

bus

bus Persecutorum cap. 17. collegit vir clarissimus Stephanus Baluzius. Tunc ergo necessariò fuit Aquileiæ, quæ Ravennâ rectū est iter in Illyricum & Bithyniam, ut ex Itinerario Antonini constat. Ibidem verò aliquandiu degisse ex iisdem actis dignoscitur. In hoc itinere morbo corruptum vexatumque Diocletianum tradit idem Lactantius. Quam ob caussam, si coniecturæ locus est, Aquileiæ templum Soli dicavit. Nam Solem ægris propitium putabant Gentiles; ideo apud Gruterum pag. 31. 10. lapis est positus Soli, Aesculapio, & Hygeiae, & pag. 32. 11. Soli aeterno Sacr. pro Salute P. Valerii Crispri. Porrò in nostro lapide nomen quoque Maximiani visitur, quia operibus & actis publicis ambo Collegæ imperii inscribebantur.

Quòd igitur BELENUS sub nomine Apollinis ubique cultus fuerit, & Apollo religione populari alias sit Deus diversus à Sole, facile crediderim, nomen Beleni à Belo, qui Sol apud omnes habetur, ortum non habuisse. Et sanè caussam doctissimi viri, qui aliter opinati sunt, mihi demonstrassent vellem, cur Belus qui ab Oriente in Europam transuectus, ipsis jubentibus in Beleno nomen retinuit, congenitam tamen & antiquam significationem Solis abjecerit, ut in Apollinem migraret. Non ità se Belus ipse transformari passus est, cùm sub Aureliano sacris Romanorum inferretur. Narrat enim Zosimus hunc Imperatorem devictis Palmyrenis simulacra Solis Beli, ut legit Salmasius ad Vopiscum in ejus vitâ cap. 35, in magnificentissimo templo Romæ exstructo & Soli dicato, translata, collocaſſe. Nec Mithra, qui pro Sole Persis colebatur, in Romanam religionem adoptatus, juri suo decessit; sed semper Sol idem, nunquam Apollo vocatus fuit, ut ex tot monumentis, in superiori dissertatione de Mithrâ mihi producatis, liquido constat. Quidni igitur Belus nomen originis, Solisque significationem etiam in Beleno non retinuisseſet? Quare Belenus à Belo esse nequit.

Aliâ viâ ad Belenum ivit Pithœus eodem lib. 3. ad-
ver-

vers. cap. 3. Nimirum ejus nomen deductum ait à Βελένῳ Sagittā, unde Apollo εὐβέλῃ & ἐκαβελέτης seu eminus jaculans fuit dictus. Quæ sanè originis ratio non aliena videatur, si illud cognomentum seu epitheton ad ipsum Apollinem deum animalem, qui sagittipotens passim à Poëtis dicitur, ob sagittandi artem inventam, & Pythonem sagittis confectum, referatur, non verò ad Solem, qui radiis, quasi jaculis, terram ferit, ut vult idem Auctor. Ità enim Belenus esset Sol, quod falsum hucusque demonstravi. Reinesius in notis ad inscriptionem 51. s̄xpius laudatam, prætermissâ nominis originatione, putat Gallos, cùm in Italianam per saltus ignotæ anteā viæ transgressi sunt, uti narrat Livius lib. 39. tunc etiam Belenum, qui apud eos colebatur, Aquilejensibus tradidisse. Sed Romanos, ejus gentis, quam triennio nondum exacto post adventum, sedibus depulerant, opidumque construi cœptum deleverant, ex eodem Livio, religionem & numina retinuisse, non est credendum. Præterea Reinesius non explicat unde Gallis ipsis numen illud advenerit.

Ergò Belenus ubique quæstus, nusquam est. Nunc verè id recurrit, quod Tullius dixit: *utinam tam facile vera invenire possim, quam falsa convincere,* l. 1. de nat. Deor. Attamen in tantâ remotioris ævi caligine, & scriptorum silentio conabor aliquid: & non tam nominis originem, sed etiam tempus & populos, qui religionem Beleni in Gallias & nostram Carnorum regionem invexerunt, pertentabo. Fateor sanè, iter quò pergam, uti novum nec aliis tritum, ità lubricum & anceps futurum. Conjectamus, ariolamur; & si mavis, ingenio ludimus, & nugamur. Hæc præfatus, id fortasse consequar, ut præjudicata audaciæ conscientia audaciam ipsam excusat.

Ex Trojanis ducibus, qui captâ urbe sedes quæreabant, Antenorem in extremis Adriatici oris, unâ cum Henetis Paphlagonum gente, à quibus regio nomen accepit, confessisse, penè omnibus antiquis Scriptoribus tra-

ditum fuit. Ammianus Marcellinus lib. 15. cap. 9. ex Timogene narrat, Græcorum manum, post excidium Troiæ, loca vacua Galliæ occupasse. Hos quoque ex eadem Henetorum & Trojanorum sociâ gente fuisse, indè facile colligi potest, quod populi ad littus Oceani Aremorici simili prorsus appellatione vocati sunt Veneti. Nec scrupulum facit, quod Marcellinus Græcos appeleret, quia id etiam Halicarnasseo usurpatum, qui libro primo histor. passim pro Trojanis Græcos habet; quod re verâ una gens fuerit. Vel cùm mixtîm Græci, Trojanî, & Heneti hanc expeditionem suscepérint, potuit Timagenes Græcos tantummodo recensuisse. Ità Venetos, tâm nostros quâm Gallos Aremoricos, socios invicem, uniusque originis facimus. At cùm Deum etiam eundem colverint (nam Belenum apud Aremoricos potissimum fuisse celebrem ex Ausonio jam didicimus) necesse est fateri, communi aliqua occasione & caussâ utrosque eam religionem hausisse. Id quomodo acciderit, sic divino.

Pyrrhum Achillis filium, excisâ Troiâ, in Epirum navigasse comite & expeditionis auspice ob claritudinem augiorum Heleno Priami filio prodiderunt Dio Prusseus in Troicis, Pausanias in Atticis pag. 19. & in Corinthiac. pag. 127, & Virgilius lib. 3. Æneid. Huius itineris socium Antenorem quoque fuisse, non inverisimile arbitror. Tempus quo uterque expeditionem absolvit, convenit. Pyrrhus enim post Ilii casum primus in Epirum appulit, teste Pausania in Atticis. Antenorem verò inter primos quoque navigasse palam est ex codem libro Virgilii, & Ovidio lib. 3. Fast. qui multò ante Æneam Italianam tenuisse asserunt. Eum verò comitem potuit sibi adiunxisse Pyrrhus, quod de Græcis bene meritus esset, & vetusti iure hospitii, ut ait Livius initio lib. 1. & quia pacis, reddendæque Helenæ semper auctor fuerat. Ideo Menelaus, quod se & Ulysses Helenam repetentes hospicio accepisset, & ab insidiis Paridis servasset, parem gratiam reddens eum captio Ilio invio-

violatum dimisit, ut refert Servius ad lib. I. Aen. vers. 242. & Pausanias in Phocicis pag. 662. prodidit, Græcos pro Antenoris ædibus suspendisse in vestibulo Pardi pelle, quæ tessera fuit, ne eius domus violaretur. Plerisque etiam Antenor patriæ proditor audit, unde enarrator Lycophronis ei dat lucernam ad evocandos Danaos, & reclusionem equi lignei; nec Livius dissimulat, & Virgilii innvere videtur locis indicatis, ut notat idem Servius. Nil mirum ergo quod Pyrrhus amicè usus fuerit Antenore, eumque in societatem expeditionis admiserit. Parem gratiam erga Glaucum & Erimanthum ipsius filios habuit Menelaus, quos secum in Africam traduxit, ut tradit Scholiares Pindari Od. 5.

Cum itaque Græcorum, Troianorum, Henetorumque mixta manus ad Epiri oras appulisset, sicut Pyrrhus Heleni vatis monitu in eâ regione consedit, teste Pausaniâ loco quem proximè adduxi, itâ verisimile est, quod eodem Heleno auctore & auspice, pars una sociorum cunii Antenore rectâ per Adriaticum navigaverint, ceteri verò, flexo itinere, dûm fata Italiam Aeneæ spoponderant, in Gallias migraverint. Igitur ad lœtas, uberrimasque sedes delati, Heleno qui futurorum conscius, divino instinctu & ductu, viam direxerat, sortem felicissimam acceptam referentes, ipsum pro Deo habuerunt, & Apollinem vocarunt. Nomenque & appellationem Apollinis, qui vaticiniorum pater auctorque antiquis habebatur, facile apud superstitiones gentes, summo beneficio affectas, demereri potuit Helenus, quem vaticinandi arte clarum testantur Eustathius & Hyginus, & Aeneas apud Virgilium his verbis compellat lib. 3.

*Trojugena interpres Divum, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarii laurus, qui fidera sentis,
Et volucrum linguas, & præpetis omnia pennæ.*

Imò ab ipsomet Apolline sub serpentis speciem, dûm in ejus templo cum Cassandra versaretur, vatem summum effe-

effectum Helenum, narrat Græcus Scholiastes Euripidis in Hecubâ vers.87. Nec abludit, longâ navigatione perfunctos religionem ergâ Apollinem usurpasse, cui etiam Argonautæ sacra fecisse ob felicem è navibus descensionem eius auspiciis confectam, refert Apollonius lib.1. Argonaut. Ceterum divinos honores Heleno delatos nil mirum, cum id aliis etiam Trojanis Heroibus factum fuerit. Nam Iliensisibus cultum Hectorem, imò & Helenam, Athenagoras ait in legat. pro Christianis, & Clemens lib.10. recognition. Sarpedonem indicat Plinius lib.13.cap.13. eiusque Oraculum memorat Tertullianus de animâ cap.46, & Philostratus in Heroicis. Imò Græcis etiam qui bello Troiano interfuerunt, sacra sunt instituta ; ut iidem Ilienses Aiaci, & vicini Sigeenses Achilli, & Patroclo, teste Strabone lib.13. pag.596.

Quæ, Musis non invitîs, si vera esse possint, iam Beleni originem apud priscos Venetos Gallosque tenemus. Nam *Helenus* ab his in Deum adoptatus sub nomine *Apollinis*, sic ut suprà exposui, facile in *Belenum* transire potuit. Frequens enim est aspirationis in B migratio. Damascius in vitâ Isidori apud Photium Cod. 242. *Phœnices*, ait, & Syri *Saturnum* vocant *Hel*, *Bel*, & *Bolathen*. Qui etiam ex eodem vocabulo *Hel* regi imposuerunt nomen *Beli*, teste Servio ad *Æneid.* lib.1. vers.729. Pamphilii pro ῥιλὶς dicebant Βεβελὶς, ut ex Heraclito refert Caninius apud Fridericum Sylburgium in notis ad Pausaniam pag.291. v.7. Unde verisimile fit, ipsos Trojanos eam in Heleno mutationem induxisse, more vicinæ Pamphiliorum gentis. Seu fortasse sicut *Heneti* transferunt in *Venetos*, ita primùm *Helenus* dictus fuit *Velenus*, deinceps *Belenus* ex promiscuâ harum literarum V & B permutatione, cuius passim exempla occurunt. Hinc disertè ad rem nostram notavit Scaliger in digressione de literarum Jonicarum origine, quæ extat inter animadversiones Euseb. post num.1617. pag.119., notavit, inquam, ex Servio *Æolen-*
fes

ses Græcos pro *Elena* extulisse *Velena*, & Romanos Græcam vocem *Ελία Veliam*, quæ Stephano etiam dicitur *Βελέα*. Ob quam inter has literas cognitionem nemo non videt, quām facilè fuerit, ut *Helenus* migraverit in *Belenum*.

Hæc sanè, quæ de origine Beleni differui, incerta omnia & ex longinquo petita. At nescio quo fiat, ut animus aliquid audeat, cùm mecum ipse reputo, duas gentes, Gallos & Venetos, remotis adeò inter se regionibus dissitas, quæ olim cognatae ejusdemque originis fuerint, in unum eundemque Deum, aliis perindè populis ignotum, consensisse, & non etiam conjectare fas sit, illum Deum ab eodem principio parique ex caussâ derivasse. Et, si nomen *Beleni*, significationem *Apollinis*, caussamque cultus in *Heleno* reperimus, cur exinde ipsius *Beleni* originem, natalesque non liceat repetere.

Rursus conjecturas conjecturis addo. Pars Venetiæ, quæ circà Aquilejam est, *Carnia*, populique *Carni* vocati sunt. *Carnutum* itidem regio appellatur in meditullio Galliæ sita; & quidem ea præcipua sedes Druidarum, qui, ut dixi, *Beleni* Sacerdotes erant. Nonne is consensus appellationis communem aliquam originem designat? Hanc ex eodem principio petimus. Apollo antiquissimis temporibus, ante Trojanum bellum, apud Græcos *Carnei* cognitum obtinuit. Docet Pausanias in Laonicis, in Messeniacis, & in Corinthiacis, concinitque Callimachus hymno jam laudato in eundem Apollinem vers. 71. Hinc festa in ejus honorem instituta, quæ *Carnea* dicebantur, ex Pindaro in Pith. od. 5. Athenæo lib. 4. cap. 9. & Plutarcho in *Sympos.* lib. 8. quæst. 1. & Sacerdotes *Carnei* memorantur Eusebio in *Chron.*, nec ulli præterea Scriptori, ut notavit Scaliger in *animadver.* ad eundem num. 889. Igitur suspicabar, Trojanos & Henetos partem earum regionum, ad quas beneficio Apollinis delati fuerant, in ejus memoriam, nomine ex Græcorum sacris petito, dedicatam

catam ita appellasse. Sanè memorat Cæsar lib.6. de bell. Gall. Druidas certo anni tempore , in finibus Carnutum, *in loco consecrato* (an non Apollini Carneo?) consedisse . Præterea refert Pausanias in Laconic.p. 184. Apollinem vocatum Carneum ob divinandi artem Carno traditam . Fortassis eam regionem, ad quam ejusdem artis ductù ab Apolline seu Heleno se directos putabant, idcirco Carneam indigitarunt . Nec in eo hærendum ; quòd cognomen in Græciâ enatum populis Trojanæ originis ignotum fuerit. Præterquam enim & Græci, ut dixi , socii iis fuere , Trojanos cum Græcis sacra & religionem magnâ ex parte communem habuisse , satis constat . Imò etiam lingua Phrygiam non fuisse diversam à Græcâ , nisi dialecto, probat adversus Bochartum Theodorus Rickius in dissertatione de primis Italix Colonis cap. 12. num. 50, quæ extat ad calcem Holstenii in Stephanum de Urbibus ab ipso editum . Habes hic obiter nostræ gentis Carnorum pri- scam originationem: in quâ deducendâ cum ceteri Scriptores nec speciem veritatis sint sestat, mihi etiam conjectandi licentia esse debuit,

At quid ad hæc Carnuntum Urbs quondam celeberrima superioris Pannoniæ ? Nescio an adhuc ariolari liqueat, à Carnis nostris, qui eò migraverint, nomen illud fuisse inditum , non admodum immutatò vocabuli schemate. Verùm Jo: Ludovicus Schönleben in apparatu ad Carnioliam antiq.cap. 1. §.8. Carnutes, qui auctore Livio lib. 5. cum Heduis, Arverniis, aliisque Galliæ Celticæ populis in Germaniam, mox in Italiam transgressi sunt, Carnunto nomen dedisse suspicatur . Utram libeat opinionem sequi , Carnuntum quoq; ab Apolline Carneo appellationis originem derivat. Sed num etiam communionem Numinis cum Carnis vel Carnutibus habuit ? extat apud Fabrettum cap. 4. pag. 258. Inscriptio : Ælio Aug. lib. Tatiano Prox. à libr. Sacerdotal. DEI CARNUN. Vir doctus pag. 325; Deastrum hunc Carnuntem tutelarem patriumque Canunti

ci fuisse credidit: at nomen incompertum aliis inquirendum dimisit. Si memorati populi in hanc Urbem migrarunt, nonne & Apollinem *Carneum*, seu Belenum detulerunt, qui postea in *Carnuntum* abiit?

Porro si quæras, cur inter populos, qui latè Venetiam nostram incolebant, postquam Romani juris facti sunt, soli Aquilejenses Beleni religionem retinuerint, caussam hanc configere possumus. Aquilejæ ità successu temporum Beleni cultus excreverat, ut oraculum, aruspices, & sacra sollemniori ritu instituta obtineret, & cives ejus numen in tutelam & præsidium Urbis peculiari nuncupatione adoptaverint, uti initio dissertationis abundè ostensum est. In quam religionis auctoritatem apud alios populos Venetiæ enectum fuisse non constat. Romani itaque particularia hæc sacra, quæ *municipalia* vocantur in lapide olim laudato, & Deum patrium & municipalem Minutio & aliis appellatum, Aquilejensibus retinere permiserunt, tradito instituto a Pontificibus, qui *domitis nationibus*, ut ait Festus, *municipalia sacra*, quæ ab initio babuerunt, ante Romanam civitatem acceptam, observare voluerunt, & eo more facere, quo adfuerent antiquitus. Non ità in aliis Venetorum Coloniis: quibus cum Belenus eâ municipali & celebriori prærogativâ non coleretur, sacris Romanorum cedere jussus est. Apud Gallos verò diu, etiam Romanis rerum potitis, Beleni cultus permanit, ob eandem celebrioris ritus religionem, quam Druidarum sacerdotes, quamquam variæ sint de eorum duratione sententia, quibusdam saltē in locis sartam testam, incolumentque servarunt.

DIIS AQUILEJENSIBUS.

 Uniam hucusque BELENUS deus princeps & præses Aquilejensium mihi narratus est, non abs re fore duxi, addere etiam deos alios, non dignitatis nomine sed cultu minores, quos è saxis Aquilejensibus eductos gratia novitatis apud eruditos commendaret. Nam eorum aliqui obscuris falsæ divinitatis characteribus sunt exsculpti, nominaque seu cognomenta aut nova, aut rara admodum præferunt: & inscriptiones ipsæ, si unam aut alteram demas, necdum planè sunt editæ. Hinc mihi pretium erit operis, nisi præclarè in earum explicatione positi, (id enim neque ingenium, neque temporis angustia sperare sinit) hoc saltem titulo, quòd eos primus in lucem hominum produxerim. In quo tamen potior laus est Josephi Capodalei Utinensis, qui ut erat rerum Forojuliensium sedulus indagator, & edito libro Italico cui titulus, *Udine Illustrata, de patriâ suâ etiam plus æquo benemeritus, conjectis scilicet inter præclaros nobilissimæ ejus Urbis cives aliis etiam totius ferè provinciæ Forojuliensis illustribus Viris, sesquicenturiam inscriptionum Aquilejensium summo studio ac diligentia penè omnes ex archetypis saxis collegit. Cujus autographum MS. cùm nuper in meas manus inciderit, inde aliquas, quæ de Diis sunt, huc transtuli, notisque tumultuariis utcumque illustrare conatus sum. Et quoniam ab Jove principium Musæ, Iuppiter ipse initium faciet, ducetque insulanum hoc superstitione gentilitatis deorum agmen.*



Venetus in Edibus Grimanis.

Simulacrum hoc Brotontis, quod cum aliis Aquileiensibus monumentis Venetas olim in nobilissimas ædes Grimanorum translatum fuit, ante biennium vulgavit Joannes Antonius Astorius, & eleganti dissertatione commentatus est. Quo sanè cum argumentum occupaverit, pauca mihi dicenda erunt, quæ ab erudito viro non acceperim; qui ad me transmisæ perhumaniter tabellâ creâ, ut ipsū quoque Brontoniis ectypum ei deberē, effecit. Summa verò tantum capita Astorianæ lucubrationis decerpam, quæ ornent nostra, non onerent.

Sensum inscriptionis ita reddit: *Jovi Tonanti Deo domestico sacrum. Βροτάνος namque, sive Βροτών tonans ἀπό της Βροτών idest tonare. Idemq; est Broton Aquileensis, ac Bron-*

ton in *saxo apud Gruterū p. 17. JOVI SANCTO BRON-*
TONTI AUR.POPLIUS. Et in alio pag. 34. quod superius exscripti in dissertatione de Mithrā pag. 166. Literam N in nostro vel prætermisit imperitus artifex, vel morosior ad vitandam cacophoniam præcidit. In primo Gruteriano Juppiter disertè dicitur *Bronton*, ut nihil aliud hoc sit quam *Juppiter Tonans*. Tonantis Jovis templum erat in Capitolo. Leguntur in Sponii miscellaneis sect. 3. pag. 73. & 74. Jovi *Tonari*, & *Taranauci* adjecta epitheta, quæ Britannicā & Cambricā linguā, *Tonantem* sonant. Ita Labreus, Labradeus, vel Labradensis in Cariā fuit dictus, quòd securim pro trisulco fulmine gestaret. Aliisque subinde cognomantis passim Juppiter donatur. Hunc verò Jovem deum Larem fuisse subdit, ex addito epitheto seu appellatione, *BONO DEO*, quasi *domestico deo*. Lar enim idem ac Genius, qui Græcis Α'γαθος Δαμων, *Bonus Genius* vocatur. Demum Jovem pileatum ideò effictum ait (nam tegumentum illud, quo caput simulacri exornatur, pileum esse putat) ut *Liberator & Servator* designaretur; sicuti *Castor & Pollux* pileati, quòd Liberatores Græciæ sint habitu, & Bruti Romanæ libertatis vindicis imago pileata. Cur verò pileatus cùm Tonans? Nempe quia supervacaneum fuisset Jovi Liberatori symbolicam expressionem addere: ubi verò Tonantis ob-signatur epigraphe, Libertatis symbolum pileo erat indicandum. Subinde tentat, non sequitur aliam interpretationem. Cum Vulcanus in focis domesticis ponetur, idemque aliquando jacere fulmina sit creditus, an non ipse est *Tonans*, & *Bronton domesticus*? Hæc summatim ex Cl. Astorio: nos pauca addimus.

Brontonitem saxis Gruterianis exsculptum *Tonantem* esse non dubitat Joannes Meursius exercitationum crit. part. 2. cap. 2. At quærit, nec nodum expedit, cur in eorum altero *Bronton* coniungatur cum *Hecate*? Id in lapide non video; sed Zosimus *Sacerdos Dei Brontonis & Hecate* dicitur. Illum exscripti supra pag. 166. Nil vetat, quod unus idem-

idemque homo plurium deorum sacris sit iniciatus. Pag. 28.
 2. Sextilius est Pater Patrum dei Solis Mithræ, Hierophanta
Hecate, & dei Liberi. Et in 6. Cejonius augur Diana, Antistes Mithra & dux Taurobolii magni, quod genus erat
 sacrificii expiatorii. Petierim potius ab eruditis, cur in alio
 lapide inscripto *Jovi Sancto Brontoni*, sculptus sit Apollo
 crinitus, in rupe lyram tangens, & sub ipsâ rupe lupa:
 item virgines duæ, una poculum altera lancem ferens? Ita
 describit Gruterus; & Boissardus antiq. Rom. par. 5. pag. 83.
 schema ipsum delineatum exhibet. Quid enim Jovi to-
 nanti cum Apolline Citharædo, ceterisque figuris? Porrò
 etiam Fabrettus, qui dubitaverat, num *Bronton Aquilejen-*
sium deus proprius esset, & Beleno suppar, postquam vidit
 id esse epitheton Jovis apud Gruterum, & Romæ quoque
 habuisse Sacerdotem, facile concessit in Astorii sententiam,
 cap. 10. pag. 698. Piaculum mihi esset tot viros doctos non
 sequi. *Bonum* quoque *deum* dictum Jovem *Brontontem*,
 facilè cum Astorio credam, quòd inter Genios & Lares fa-
 miliaæ esset adoptatus. Sanè Larem privatis ædibus locan-
 dum vel ipsius protome indicat. Deos etiam magnos &
 publicos inter penates fuisse adscriptos in tutelam familia-
 rum, satis demonstravi in explicatione lapidis M. Aquilii
 cap. 1. At leviusculè adhuc tentandus mihi est *Bonus deus*,
 & cur Iuppiter tonans hoc titulo donetur inquirendum.
 Deum quemcumque *Bonum* vocabant veteres, quem sibi
 propitium & faventem vellent, vel jam fuissent experti.
 Virgilius lib. 1. Æn. vers. 738.

Et tu lœtitiæ Bacchus dator, & BONA Iuno.

Servius explicat, hoc est *propitia*. Antinous in num-
 mo, quem refert Spanhemius differeat. 7. pag. 654. dicitur
 ΑΓΑΘΟC ΗΡΩC, quasi *Bonus* & *propitius Divus*. Hinc
 ἄγαθοι δημορει vocati boni & salutares Genii. Julianus
 Orat. 1. de Constantio pag. 84. vocat Constantinum Ma-
 gnum *BONUM Heroem*, uti vertit Petavius, sive ut alii,
propitium Divum. Apud Gruterum pag. 59. 1. lapis est po-
 situs

situs ΘΕΑΙ ΠΑΝΑΓΑΘΟΙ: extant alii pag. 101.7. & 8. BONO Eventui, hoc est *propitio*. Quo titulo cusi sunt nummi Severi & Getæ, de quibus inferius, cùm de Bona dea agam. Jam liquet, cur Iuppiter sub nomine Brontontis seu Tonantis, inter Lares familiæ præsides fuerit repositus, bonusque deus appellatus. Ut scilicet cùm è cœlo tonaret, propitius esset, nec quemquam è familiâ, in cuius tutelam vocabatur, fulmine laderet.

Quòd simulacrum hoc Brontontis pileo, seu petaso rectum velit Astorius, non admodum placet. Cuique liberum sit oculorum consilium sequi. Mihi tegumentum illud fascia est, seu diadema caput in orbem præcingens. Id cùm olim aperuissem Fabretto, cui primus dissertationem ejusdem eruditissimi viri communicaveram, facile assensit, & subinde loco mox citato Brontontem Aquilejensem tamquam diadematum descripsit.

Begerus in thesauro antiquit. Palatin. pag. 2. figuram Jovis barbati delineatam exhibet, eadem planè diadematī formâ conspicuam. Jovem siquidem deorum hominumque regem, ut putavit vesana antiquitas, insigne hoc regium decet quam maximè. Nec magis rex est, imperiumque in homines exercet, quam cùm tonat, & fulmine terras concutit. In nummo aureo Antonini Pii spectatur figura sedens cum fulmine & hastâ, additâ epigraphe: IMPERATORI, teste Spanhemio dissert. 5. pag. 396. Quâ representari Jovem non ambigo. Nam & apud Tristianum tom. 2. pag. 74. extat numisma, cui duo fulmina insculpta sunt, & inscriptio: JOVI IMPERATORI. Ita & sceptrum, quod manu gerit Iuppiter, imperii ipsius indicium est, ait Phurnutus de nat. deor. cap. 9. Signum Jovis Imperatoris Prænesti de vectum Romam narrat P. Victor in regione 6. Ubis: & eodem titulo *Imperatoris* simulacrum à Verre sublatum Syracusis refert Cicero in Verrinâ 4. cap. 57. ubi tria signa Jovis *Imperatoris* in orbe terrarum pulcherrimè facta subdit. Jovis REGIS templum memoratur

ratur Pausaniae in Baotic. pag. 602. dicatumque saxum JOVI REGI visitur apud Gruterum pag. 1065. 3. Quin & novo vocabulo Iuppiter appellatur PRAEFECTVS ORBIS in nummo Severi, ex eodem Spanhemio in Cæl. Juliani pag. 20. At satis cum Jove lapide loquuti sumus: ceteros quoque deos saxeos adeamus.

I I.
FONIONI
SACR
SEIA. IONIS
MAG
D.D

Aquilejæ propè S. Stephanum.

Nostri Aquilejenses græcissare non desinunt. Nuper Jovem, nunc Martem Hellenisticâ vocabuli figurâ induunt. Seja Jonis Magistra hanc aram Fonioni dedicat. Epitheton hoc est Martis à Græco φόνος cædes, homicidium, unde φόνος homicida, sanguinarius & cædibus contaminatus. Orpheus in hymno Martis: Αἴγες φόνοις πεταλαγμένος. Ab hoc alia composita Martis cognomina derivantur. Idem Orpheus proximè in sequenti versu: Mars αὐδρούω, sanguine humanae cædis gaudens. Homerus Iliad. 5. vers. 455. μιαιφόνε, fædatus cædibus. Et Phurnutus de nat. Deor. cap. 21. rectè, ait, Mars vocatur μιαιφόνε, occisor & interfector, ut vertit interpres. Quare Phonion, seu ut in nostro lapide scribitur, Fonion, non aliud quam Mars. Prætero Latinorum exempla, maximè Poetarum, quibus passim sanguineus, cruentus, & occisor dicitur. Uaui tantummodo produco Martiani Capellæ, qui lib. 1. pag. 21. ita Martem describit: Ruber juvenis ac vorax omnium, sifiorque etiam sanguinis gradiebatur. Seja Jonis MAGistra Martis dicitur. In collectione Capodalei tres illæ literæ punctis distinctæ apparent. Sed emendavi ex exemplari, quod nuper ex ipso saxo Aquilejæ exscriptū habui. Magister & Magistra nomen est mini-

ministerii in sacris deorum , ut ostendam inferius . An verò Seja Magistra erat ipsiusmet Martis cui aram dicat ? Reperio Martis Sacerdotes non tantum viros , qui Salij dicebantur , sed etiam feminas Salias fuisse . Pompejus Festus in hoc verbo : *Salias* (alii legunt *Saliares*) *virgines Cincius ait esse conductitias , quæ ad Salios adhibeantur , cum apicibus paludatæ . Quas Ælius Stilo scriptit sacrificium facere in regiâ cum Pontifice .* Potuit ergò Seja Jonis inter has Saliares *Magistra* fuisse , prima scilicet & aliarum præcipua . Vel si nomen vulgatâ significatione accipias , Seja ceteras Saliares docebat saltationes , quas dūm essent vocatæ ad Martis sacra , peragere consueverant . Nam Salii , cùm moverentur Ancilia , per Urbem discurrentes saltabant .

III.

VI. DIVINAE
SACRVM
C. VETTIVS. C. F
CAVOLVS.

Ara est tribus lateribus inscripta , Aquilejâ Venetias deportata , ut refert Gruterus ex Pighio pag . 94 . 5 . Capodaleus in suis collectaneis inscriptionum formam aræ rudi-
ter delineatam exhibit , eamque ex suburbanis Aquilejæ inter alias nonnullas Beleno dicatas , quas suo loco retulimus , Joannem Savorgnanum anno 1548 . Venetias dono misisse Joanni Grimano Patriarchæ Aquilejensi narrat . Ce-
teri ferè omnes lapides in Grimano amplissimo Palatio adhuc visuntur ; hunc nusquam inveniri nuper ab amico ac-
cepi : seu omnino perierit , sive alicubi neglectus delitescat . Inter ignotos , obscurique nominis Deos hunc refero ; nam VI DIVINAE aram seu templum dicatum nusquam me legisse memini . Adeoque incertum quodnam id numen fuerit , sicuti Vim divinam variâ significatione usurparunt veteres . Vim divinam aliam voco theologicam , aliam natu-
ralem . Primùm de primâ . Gentiles religionis lumine de-
stitu-

stituti, cum summum aliquid & supremum, quo res humanae aguntur & certa lege cohibentur, esse scirent, ecquid tamen illud esset, & an in Deo vel extra Deum positum, ignorantes, inani vocabulo conficto, VIM DIVINAM vocarunt, seu *Fatum* & *fatalem necessitatem*. *Strato physicus*, ut refert Cicero de nat.deorum lib.1. cap.13. omnem VIM DIVINAM in natura sitam esse censem, quae caussas gignendi, augendi, & minuendi habeat. Chrysippus Stoicus, idem Tullius loquitur cap.15. ait VIM DIVINAM in ratione esse positam, & universa natura animo atque mente. Et paullò post: idemque etiam legis perpetuae & æternæ VIM, quæ quasi dux vita & magistra officiorum sit, Jovem dicit esse, eandemque fatalem necessitatem appellat. Hanc necessitatem, quam cogere & superare nequimus, Phurnutus cap.13. appellat *Fatum*, quod est sempiterna quedam & indeclinabilis rerum series &c. Quo Vim divinam, de qua loquimur, designare videtur. *Fatum* hoc ipsum Jovem aliqui putarunt, ut Chrysippus mox relatus; & Laërtius lib.7. in vita Zenonis unum, ait, *deum esse, ipsumque, & mentem, & Fatum, & Jovem*: alii potestatem quandam & vim, cui Juppiter ipse subjectus sit, & parere cogatur. Virgilius initio lib.10. cum in concilio deorum disceptaretur, favendumne esset Teucris vel Turno, Juppiter in nullius partes se esse profitetur, vers.108.

Tros, Rutilusue fuat nullo discrimine habeo.

Et vers.112.*rex Juppiter omnibus idem; esse tamen potestatem aliam statim subdit, quæ rei eventum disponat: Fata viam invenient.* Quo Poeta videtur ostendisse, ait Servius, aliud esse *Fata*, aliud *Jovem*. Nitente Fato Juppiter apud Homerum servare nequit Sarpedonem. Et apud Ovidium Metam.9.vers.431. *Me quoque, ait, Fata regunt.* At in adversum stat Pausanias, qui *Fata parere Jovi*, scripsit in Corinth. p.75. Quocumque hæc futile & vana theologiae Gentilium commenta ducamus, VIS DIVINA, cui Vettius aram Aquilejæ posuit, *Fatum ipsum est, quod res hu-*

manas agere credebatur ineluctabili lege : *divinum* idē dictum, quod à deo manaret, vel deus ipse esset. In quam sententiam egregium est testimonium Capellæ lib. i. pag. 19. *Fatum*, dicitur etiam *VIS Sacra Jovis*, ut legit Grotius. Et vim *divinam* ipsam *fatalem necessitatem* vocavit Chrysippus, ut vidimus. Quā Fatorum vi ad abjiciendum Imperium ductus Diocletianus cum collegâ, ut conjicit doctissimus Spanhemius in saepius laudatis annotationibus ad Cœsares Juliani pag. 385. percussit nummum trium Parcarum figuris sculptum, cum epigraphè; *FATIS VICTRICIBUS*. Nam Parcæ ipsa Fata dicebantur. Quare *VIS DIVINA* in nostro saxe Aquilejensi ipsum est *Fatum*: nam & *FATIS* dicatos lapides cernimus apud Gruterum pag. 98. 1. & 2. Præterea ad Vim divinam revocari posset *Nemesis necessitatis insolubili retinaculo mortalitatis vinciens fastus*, ut ait Ammianus Marcellinus lib. 24. prope fin. Quæ etiam *Adrastea* appellabatur, hoc est ultionis divinæ inevitabilis seu inefugibilis necessitas, & quæ nullo modo vel evitari, vel declinari possit, inquit Phurnutus cit. cap. 13. Hinc in nummis fundam gestat, tanquam eminus feriens, nullâ reis spe fugæ relictâ. Videas Cl. Bonarotam in nummo XI. Macrini p. 223. Porro vim divinam alio sensu intellexit Manilius lib. 1. Astron. vers. 247.

*Hoc opus immensi contractum corpore mundi,
Membraque naturæ diversâ condita formâ.
Aëris, atque ignis, terræ, pelagique jacentis,
VIS animæ DIVINA regit.*

Quæ est anima mundi Platoniorum, seu spiritus, qui ipsum alit & agitat apud Virgilium 6. Æneid.

Alia notione VIM DIVINAM acceptam dixi, eamque *Naturalem* vocavi; quod scilicet ex naturalibus & physicis caussis promanet, quamvis veteres ad vim fatorum retulerint. Ulpianus ex Servio l. C. hæc habet in l. 24. §. 4. Dig. de damno infecto: *Si ex ædibus promissoris vento tegula dejectæ damnum vicino dederint, ita cum teneri, si ædifici*

cii vitio id acciderit : non si violentiâ ventorum, vel quâ alii ratione, quæ VIM habeat DIVINAM. Idem Ulpianus l.25. §.6. D. locati, alio nomine vocatam docet : Vis major, quam Græci θεος Blas iudest VIM DIVINAM appellant, non debet conductori damnsa esse. Vis itidem major dicitur in l.9. §.2.eod.& fatale damnum ac vis magna in l.2.in fin.D. de peric. rei.vend. Quid verò eo nomine signetur, disertè docet Plinius lib.18.cap.28.in fin. Ante omnia autem duo genera esse cœlestis injuria meminisse debemus. Unum quod tempestates vocamus, in quibus grandines, procellæ, ceteraque similia intelliguntur : quæ cum acciderint, vis major appellatur. Meminit quoque Columella lib.1.cap.7.& Seneca de benef. lib.4. cap.pen. Sanè verius puto huc respexisse Vettium, & VI DIVINAE aram dedicasse, ut grandines, procellas, ceterasque tempestates ab agris suis, fictitio hoc numine invocato, averteret. Nam & aram, ut antè dixi, in suburbanis Aquilejæ positam, numini alicui campestri propitiando destinatam facilè intelligimus. Novum porrò nequaquam est, ventis, nubibus, aliisque è cœlo ingruentibus tempestatibus templo & sacra dedicasse vesanam antiquitatem. Circio vento Galliæ Narbonensi infesto, Divus Augustus templum, cùm in Galliâ moraretur, & vorvit, & fecit, ut prodidit idem Seneca nat. quæst. lib.5. cap.17. Et templum Tempestatibus dicavit Cornelius Barbatus ex antiquissimâ inscriptione, quam illustrarunt doctis Commentariis Sirmondus & Aleander. Id intellexit Ovidius, cùm lib.6. Fast. vers.193. cecinit.

*Te quoque Tempestas, meritam delubra fatemur,
Cum penè est Corsis obruta classis aquis.*

Et Cicero lib.3.de nat.deor. Quòd si nubes retuleris in deos, referendæ certè erunt Tempestates, quæ populi Romani ritibus consecratæ sunt. In Gruteriana inscriptione 3.pag.61. ara dedicata est incendiorum arcendorum causâ. Græci quoque ventos colebant; nam in Sicyoniz Urbe Titane, ait Pausanias in Corinthiac.pag.106.ara est ventorum, ad

quam nocte unâ quotannis Sacerdos Sacrum facit, additque certa etiam arcana peregisse, ad placandam ventorum saevitiam. Cùm Xerxes ingenti exercitu conflato adventaret, Oraculum Delphicum jussit, Græcos ventis supplicare, ideoque, ait Herodotus lib.7. cap.178. in delubro Thujæ ara est ventis constituta, iisdemque sacrificatum. Et Aristophanes per calumniam traducit Socratem, tamquam Nubes deas coleret, iisque Sacra faceret, in Nubibus act.1.Sc.3.

I V.

SOLI. DEO

INVICTO

SACRVM

FERONIVS. CENSOR

SIGNI

V. S. L. M.

In domo apud Turrim vulgo d'Arena.

Solem cultum Aquilejæ in dissertatione de Beleno notavi. De cognomine *Invicti* satis etiam scripsi, cùm de Mithrâ agerem. Huic *Votum Solvit Libens Merito Feronius Censor Signifer*, vexillarius scilicet, seu imaginifer legionis alicujus, qui etiam Censor erat Aquilejæ. Nam milites, cùm essent in Colonias adscripti, publicis muneribus fungebantur.

V.

¹
SILVANO
AVG
ELEVTHER
C. ARR
C. P. P. VIL
D. D

In domo Capodalei.

²
SILVANO
AVG. SAC
C. OPETERIVS
AGATE. MER
V. S. L. M

In fronte Ecclesiae della Beligna.

³
SILVANO
SACRVM
C. PETRONIVS
ANDRONICVS
EX. VISO

In Insula Gradeni in Cemeterio.

⁴
SILVANO;
AVG. SAC
IN MEMORIAM
C. RVFI. ANTHI
IIIIRI VIRI
TALLVS. LIB
D. D

Apud Ecclesiam Metropolitanam.

Quatuor hæc saxa sacra sunt *Silvano Augusto*. De hoc cognomine vel epitheto actum cùm de Beleno; quod frequenter inditum Silvano docent lapides Gruteriani. In 2.65.visitur Silvanus *Larum Cæsaris*. Erat enim Præstes Larum, ut Pluto Manium, Juppiter Deorum, & Janus Geniorum, uti observat Meursius exercit.crit.part.2. c.1. Plura de eo Poëtæ fabulantur, & Mythologi scribunt. Pauca mihi sunt dicenda, eaque tantummodo quæ nostras inscriptiones illustrare possint. Vetus scriptor Agrorum in collectione Wilelmi Goessi pag.294. tres Silvanos facit: unus dicitur *Domesicus* (quo nomine sæpius apud Gruterum & Reinesium vocatum invenies) possessioni consecratus: alter dicitur *Agrestis*, pastoribus consecratus: tertius dicitur *Orientalis*, cui est in confinio lucus positus. Lapides hi erant finales Silvano sacri, ita diversis locis possessionis collocati; quia Silvanus, ait idem vetus Auctor, primus in terram lapidem finalem posuit. Unico tamen nomine *Silvanus* universæ rei rusticæ deus habitus fuit: unde Virgilius Pelasgos lucum sacrasse, ait, *arvorum pecorisque deo, Ænei.8.*
vers.

vers. 60 i. Hocque sensu , saltem in primo epigrammate accipiendus est Silvanus ; cùm ab Arrio *Vilico* (ita enim frequentius per unicum L. scribitur hoc nomen in vetustis saxis, uti notarunt Dausquejus, & Fabrettus inscript. cap. i . pag. 2. quibus adde exemplum alterius inscriptionis apud Timavum repertæ , quam infra produco) dedicatio facta fuerit . Quamvis enim *Vilicus* nomen sit ministerii variis officiis addicti , ut observat Reinesius Clas. 1. 125. & Fabrettus cap. i. pag. 38. , *Vilici* hic nobis est rusticum munus; & Arrius videtur præpositus rusticis rationibus hominis alicuius , qui latet sub singulariis C. PP., fructibus percipiendis , & universo operi rustico , quæ descriptio est *Vilici* in lib. 8. D. de instrum. leg. & l. si cum *vilico* D. de instit. act. & videsis Cujacium lib. 10. observ. 37. Hinc *Arrius vilicus aram* , seu quid aliud dedicavit *Silvano Eleutherio* , hoc est *Liberatori*, ut agros & possessiones ab injuriis cæli & tempestatibus servaret & liberaret . Eodem penè cognomine erat Romæ templum Sancti *Silvani SALUTARIS* in hortis & prædio C. *Julii Nymphii*, apud Reinesium Cl. i. num. 105.

Tertium saxum *Silvano* posuit Petronius EX VISO . Frequens hæc formula in vetustis monumentis . Eidem *Silvano* & *Libero Patri Cædicius* ex viso donum posuit , indicatâ Clas. 1. num. 106. Apud Gruterum pag. 93. 3. EX VISV ædes *Plutoni* & *Proserpinæ* vota dicitur . Alia exempla dabit Fabrettus p. 469. Ex visu idem est ac per somnium . Quidquid enim somniabant superstitioni Gentiles , sibi à deo immissum arbitrabrantur . Et inde tamquam religione admoniti , aras , donaria , victimas offerebant numini , quod sibi per somnium apparuisse putabant . Unde Maximius Julianus *Libero Patri* VISV MONITVS pro salute suorum donum dat , in 112. Reines. Cl. 1. Nam morborum curationem potissimum sibi à Diis monstrari per quietem credebant . An *Æsculapius* , ait Cicero lib. 2. de divinat. an *Serapis* potest nobis præscribere PER SOMNIUM

NIUM curationem valetudinis, Neptunus gubernantibus non potest? Adde Suetonium in Vespasiano cap.7. adductum à Fabretto cap.6. pag.469. ubi lapidem dicat *Deo Serapi M. Vibius Onesimus EX VISU*; quem podagrâ liberatum putat vir doctus, ob sculptum infimi cruris articulum. Hinc qui morbo aliquo essent affecti, in templis pernoctabant, ut per quietem à diis monstrata remedia acciperent. Quod dicebatur *deo alicui incubare*. Inde liberati, in eodem templo quæ quisque remedia à deo accepisset, descriptis tabellis consignabant. Hujusmodi tabularum exempla in insulâ Tyberinâ, ubi templum Æsculapii erat, reperta, producit Gruterus pag.71. Eorum alterum exscribo: *Lucio affecto lateris dolore, & desperato à cunctis hominibus, oraculum reddidit deus (supplendum per somnum) veniret, & ex Dibomo tolleret cinerem, & una cum vino commisceret, & poneret supra latus, & convaluit*. Hinc Philostratus de vitâ Apollonii Tyanæi lib.1. *Hydrope verò laborabat, & vinolentia deditus, siccitatis nullam rationem habebat; unde nec ejus Æsculapius ipsi IN SOMNIUM respondebat. At hæc deliria verè somniantum, & commenta quibus per fraudem Sacerdotes turbę gentilium imponebant. Ceteræ inscriptiones nil observatione dignum præferunt. In quartâ lineâ secundæ legendum, Mater; ut simul Opeterius & Agate ejus mater votum solverint Silvano.*

VI.
DITI
PATRI
IVLIA. BARACHVS
FECIT. VIVA. SIBI
In Ecclesia Monialium.

Sepulcrale hoc est monumentum quod *Julia* adhuc *viva sibi fecit*, dicavitque *Diti Patri*. Manes sive defunctorum animæ sub *Ditis seu Plutonis* potestate erant; unde

Sum-

Summanus dictus, nempe summus Manum, uti explicat Capella lib. 2. p. 40. Quamvis antiquioribus incertus hic deus haberetur; unde Ovidius lib. 6. Fast. vers. 731.

Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur,

Tunc cum Romanis Pyrrhe timendus eras.

Hinc etiam, ut puto, *Pater* in nostrâ inscriptione, ac s^epius in aliis, appellatur. At Cicero aliam vocabuli significacionem indicat, lib. 2. de nat. deorum: *Terrena*, inquit, *vis omnis atque natura DITI PATRI dedicata est*, qui dives, ut apud Græcos Fluton, quod recidant omnia in terras, & orientur è terris. Ceterum Patris epitheton deorum omnium erat: *Juppiter Pater, Janus Pater, Marspiter, Liber Pater*. In quam rem vide Agellium lib. 5. cap. 12. Servium ad vers. 699. lib. 1. Æneid. & versus Lucilii apud Lactantium lib. 4. cap. 3. Julia Barachus, ut benè apud inferos secum Dis ageret, hac dedicatione sibi eum adhuc vivens conciliare studuit, & Patris miti & benigno nomine compellatum propitium invocavit. Non pr^{et}ermittas eam feminæ masculinam terminationem notare.

V I I.

IVNONIBVS. SACRVM
 M. MAGIVS. M. L. AMARANTVS
 IIIII VIR. ET
 MAGIA. M. F. VERA. MAGIA. M. L. ILIAS
 AEDEM. SIGNA. III. PORTICVM. MACERIS. II.
 CVLINA. ET. LOCVM. IN. QVO. EA. SVNT
 VOTVM SOLVERVNT
 LOCO. PRIVATO
Apud Metropolitanam Ecclesiam.

Habes hoc epigramma etiam in magnò Thesauro Gruteri pag. 24. 2. Junonem sororem coniugemque Jovis nemo est qui nesciat. At plures Junones non ita obvium est reperire, nec interpretari prouum. Jacobus Sponius sect. 3.

sc̄t. 3. Miscellan. num. 25. pag. 83. binas producit inscriptio-
nes Junonibus dicatas, atque ita explicat. Junones erant
deꝝ unicuique mulieri pr̄sidentes, sicuti viris Genii: ita
muliebres Genios non malē nominaremus. Plinius lib. 2.
cap. 7. deorum multitudinem apud se repetens, & quasi
subridens: *major*, inquit, *Cælitum populus quam hominum*
intelligi potest, cū singuli quoque ex semetipſis totidem deos
faciant, Junones Geniosque adoptando ſibi. Seneca ep. 110.
memineris majores nostros, quia crediderunt hoc, Stoicos fuisse:
singulis enim & Genium & Junonem dederunt. In eandem
explicationem consentit Reinesius epist. 69. ad Rupertum
pag. 655. Fabrettus cap. 2. pag. 73. id firmat inscriptione ex
collectaneis Archinti, quæ dicata est *Genio Magi Germani*, &
deinde *Junoni Cissoniae*, tanquam Juno Genius
effet mulieris. Exempla cumulat ex Grutero, quibus ſuus
Genius viris, mulieribus Juno tribuitur. Exinde notat Ju-
venalem Satyrā 2. stylum acuere in adulatores effemina-
torum Romuli Nepotum, qui non per eorum Genium, uti
de viris decuifset, ſed per Junonem novo more, tanquam
in mulieres verorum, jurabant.

Et per Junonem domini jurante magistro.

His addiderim Tibullum, qui puellam ſuam alloquens
ait.

Hæc per sancta tua Junonis numina juro.

lib. 4. eleg. 13. Quamobrem mulier improba apud Petronium,
Junonem meam, inquit, *iratam habeam, si unquam*
&c. Et quoniam Genius erat hominibus natalis deus, unde
idem Tibullus lib. eodem eleg. 5. cū supra Genium
Cherinthi nuncupasset, carmen ita claudit:

At tu natalis quoniam deus omnia sentis;
ſic mulieribus Juno dea natalis habebatur. Idem Poëta
proximè inſequentem elegiam exordit.

Natalis Juno sanctos cape thuris acervos,

Quos tibi dat tenera docta puella manu.

Optime hæc quidem: nec enim dubitaverim, Juno-

nem mulierum genium fuisse; sed cur hæc nostra inscriptio, pluresque aliæ apud Gruterum, Junonibus dicatæ sunt, tamquam non una sed plures Junones feminis pro tutelâ fuissent tributæ? Non sum nescius, duos etiam Genios, bonum & malum, cuique præsides ex veteribus nonnullos putasse; at video in saxis perpetuò unicum tantummodo Genium signatum, ut percurrenti indicem Gruterianum cap. I. patebit. Præterea & viri ipsis Junonibus vota nuncupant. Quo sit, ut ubicumque Junonum sit mentio, nisi etiam plures mulieres adsint, eas feminarum Genios dici posse, admodum verear. Observabam Augustas Imperatorum vel uxores, aut sorores, seu filias, dearum nominibus, Junonis potissimum, saepius vocatas. Eruditissimus Spanhemius dissert. 7. pag. 607. Mediceum nummum producit, cui caput Liviae sculptum est, & ab alterâ parte hæc epigraphe: BIAN HRAN, seu Liviam Junonem; nempe juxta Prudentium

Adjecere sacrum, fieret quo Livia JUNO.

Et Ovidium lib. 3. de Pont. el. 1.

Cum tibi contigerit vultum JUNONIS adire,

Fac sis personæ, quam tuare, memor.

Tristanus tom. I. pag. 243. numisma aliud Græcum exhibet, cum hoc titulo: *Sabinæ Poppææ Augustæ JUNONI;* additque tritum fuisse Imperatores Jovis nomine insignire, Augustas JUNONIS. Sanè impudenti adulazione easdem Augustas aliis quoque dearum nominibus appellatas reperies. Livia in nummo apud Spanhemium pag. 608. *Diana Lucifera* dicitur: Faustina *Venus Genitrix*, tab. 48. Oiseili: *Sabina nova Ceres*; *Julia Pia nova Vesta*, pluresque aliæ in præclaro volumine Bonarotæ pag. 40. An igitur Junones, quæ saxis nostris signantur, Augustæ ipsæ sunt tunc simul viventes, vel post mortem consecratæ, quibus insana religio aras, & templa, & Sacerdotes dicaverat? Siquidem & in Gruteriano lapide 8. pag. 101. Aponia Montana memoratur *Sacerdos DIVARum AUGUSTARum*; in 2. pag.

pag. 322. Cantia Sacerdos DIVAE PLOTINAE ; in 5. Sennia Sacerdos DIVAE FAUSTINAE . Alia exempla piget referre . Nec secus interpretor Veronensem lapidem pag. 24.4. JUNONIBUS AUGUSTIS SACRUM ; ut respiciat Augustas ipsas sub Junonum nominibus cultas . Nam & dedicationem fecit Metella non tam de nomine suo , sed etiam T. Flavii Hermetis viri sui . Ita Aquilejenses nostri Magius Amaranthus & Magia Junonibus , Augustis scilicet , seu Imperatricibus , voto soluto ædem ceteraque , in inscriptione contenta , dedicarunt . Hæc tantum eruditis propono , dubia mihi quoque & incerta .

Dabo aliam explicationem fortassis meliorem . Juno variis nominibus fuit appellata , prout diversis officiis eam praesesse putarunt Gentiles . Juno Pronuba , seu Jugatina , quod matrimonia jungeret : Domiduca , cum sponsa duceretur domum : Cinxia , quia sponsus cingulum sponsæ solveret : tandem Lucina , quod partui , non secus ac Diana , presideret . Hinc tot Junones creditæ , quot muneribus una Juno præfiebatur . Et hæc quidem munera inter utrosque conjuges communia . Quamobrem vir & uxor , ut saepius in inscriptionibus , & in nostrâ etiam , vel vir tantummodo , ut in aliis , potuit Junonibus vota nuncupare , ut omnia hæc feliciter cederent , vel solvere , cum prosperè evenissent .

Cetera in saxo nostro enarrata prosequor . Magius & Magia Junonibus dicarunt ædem , atque in eâ tria signa , quæ fortasse Junones ipsas , quæcumque tandem illæ fuerint , repræsentabant ; porticumque ante ipsam ædem , maceria duabus circumductam , & culinâ instructam . Maceria in re funeribri murus cementitius erat , concludens spatium sepulcro destinatum quoquoversus . Hic quoque murus est intelligendus , seu septum clusum , uti vocatur in inscriptione 125. Clas. 1. apud Reinesium & Fabrettum cap. 1. inscr. 9. lorica scilicet seu ambitus circum ædem construtus , & locum in quo ea sunt circumpletens . Quod ex-

pressius notatur in epigrammate Gruteriano 5. pag. 61. ubi
Q. Vibius aram Vulcano, maceriaque aream sapientam cu-
ravit. Intra septum seu maceriam hæc fieri vetitum erat,
ex alio lapide pag. eadem num. 3. Hac. lege. dicata. est. ne.
cui. liceat. intra. hos. terminos. ædificium. extruere. manere.
negociari. arborem. ponere. aliudue. quid. serere. Sacris enim
faciundis locus ille destinabatur, ut verba quæ statim se-
quuntur, demonstrant. Culina, inquit Festus in hoc verbo,
vocatur locus in quo epulæ in funere comburuntur. In hunc
sensum Culinam aptavit Sponius Voyage de la Grece tom. 3.
pag. 47, explicans inscriptionem Tiburtinam, quam Gruberus
quoque refert pag. 49. 3. Ubi cum dicatur Sulpitium
restituisse Herculi Saxano inter alia etiam Culinam, hanc
fuisse ait locum propè templa, in quo dapes funerum pa-
rabantur. At cùm in hac inscriptione, & in nostrâ, omnia
que dicata vel restituta dicuntur, ad deorum sacra perti-
neat, non video cur Culina ad rem funebrem sit traducen-
da. Sacris peractis epulæ semper parabantur: quas ex-
ecrati Christiani, idolis immolatos cibos interdixerunt. Hæ
quidem in ipsis deorum ædibus appositæ, ut inter alios
meminit Halicarnasseus lib. 2. vel in loco ubi sacrificium
erat peractum. In nostris tabulis Arvalium, quas nuper re-
pertas dixi in explicatione lapidis M. Aquilii cap. 7, Lici-
nus magister ad aram immolavit Porcilias piaculares 11.,
ibique Baccham, nempe Vaccam, honorarium albam ad fo-
culum immolavit. Sacerdotes in trestulo considerunt, & ex
sacrificio epulati sunt. Quidni igitur Culina non tam locus
erat, in quo funerum epulæ, sed etiam sacrorum, paraban-
tut? Hoc igitur sensu in utraque inscriptione Culina est in-
telligenda. Porrò, ne postrema verba nostræ inscriptionis
præteream, loco privato ædem & cetera dedicarunt Ma-
gius & Magia. Ædes sacræ aliæ publicæ, aliæ privatæ,
quæ nec sanctæ nec sacræ erant, sed religiosæ. Quod enim
privati suæ religionis caussâ aliquid earum rerum deo dedi-
cent, id Romani Pontifices non existimarunt sacrum, ait Fe-
stus verbo Sacer.

VIII.

¹ BONAE. PAGANAE RVFRIA. C. F. FESTA CASILIA. Q. L. SCYLACE MAGISTRAE D. P. S	² DECIDIA L. L. PAVLINA ET PVPIA. L. L. PEREGRINA MINISTRAE BONAE. DEAE AEDEM. FECERVNT
<i>In quadam domo Capituli.</i>	<i>In eadem domo.</i>

³ AVGVSTAE. BONAE. DEAE CERERIE. SACRVM YSTIS. L. TICHE AEDEM I. DEPECVNIA. SVA. FECIT FASTVS BARBONIVS III. VIR. D. D.
--

Inter has inscriptiones primam & secundam retulicetiam Fabrettus cap. 10. pag. 665. ex schedis Vaticanis, sed corruptas. In primâ pro *Paganæ* legit *Faganai*; & nomen secundæ feminæ, *Caecilia Q. L. Cinnamis*. In posteriori habet, *Decidia Lep. Pauli*, & loco *Deae*, sibi. Nostris sanè exemplaribus nemo fidem ampliorem negaverit. Quænam fuerit *BONA DEA* veteres ipsi ignorarunt. Macrobius lib. 1. Sat. cap. 12. refert, *Labeonem* eam putasse *Majam*, *alios Terram*; *at Faunam*, & *Opem*, & *Fatuam* Pontificum libris indigitari. Rursus alii *Funonem*, alii *Proserpinam* dixere. De ejus sacris arcano ritu celebratis pañim agunt Scriptores; nec est cur sæpius ab aliis prolata retexam. Explicationem cognominum, quæ Bonæ deæ in nostris saxis tribuuntur, tantummodo persequar; cùm alibi non occurrant.

BONA PAGANA ea quidem dea est, uti arbitror, quæ in *Pagis* colebatur, & præsidium, tutelamque *Pagorum* agere credebatur. *Paganalia*, sive *Paganicæ* feriæ à *Pagis* dictæ sunt, inquit Varro de lingua Lat. lib. 5. De sacris pagorum mentio est apud Siculum Flaccum de condi-

tioni-

tionibus agror. pag. 25. laudatæ collectionis Goesii. JOVI PAGANICO inscriptum est saxum Gruterianum pag. 21. 11. Aliud Diis CAMPESTRIBUS apud Fabrettum de Aqueduct. pag. 106. Cum ignotum esset numen *Bona dea*, inter Campestres quoque & Agrestes eam retulerunt, & sub nomine *Paganæ* coluerunt. Et dea quæcumque esset, quæ Agriculturæ præsideret, eam *Bonam* vocarunt. Vidi mus enim, cùm de Brontone actum est, *Boni* epitheton diis additum nil aliud, quām *propitium*, significasse. *Fortunæ BONAE domesticae*, lapis est dicatus pag. 74.5. BO NAE Deae *Veneri*, apud Reinesium Class. I. 92. & Juno nem BONAM Deam vocatam ait Fabrettus, quasi *faventem & propitiam*, pag. 667

Eo cognomine (ut rei nostræ exempla propiora referam) commenti sunt veteres deum agris præsidem, quem Varro initio lib. I. de re rust. ita invocat: *Necnon precor Lympham, & BONUM EVENTUM: quoniam sine aqua omnis arida atque misera agricultura: sine successu & BONO EVENTV frustratio est, non cultura.* Boni Eventus templum in regione IX. collocat P. Viator. In nummo Ge tex apud Oiselium tab. 41. n. 6. visitur juvenis nudus, stans ante aram accensam cum paterâ in dexterâ, & spicâ ac papavere in sinistrâ manu, additâ epigraphe: *BONUS EVENTUS*. In alio Severi numero proximè insequenti, sub eadem inscriptione *BONI EVENTVS*, scalpta est matrona decorè culta cum paterâ frugibus plena in dexterâ, & spicis in sinistrâ. Quam profectò, si divinare liceat, non aliam deam esse puto, quām nostram *Bonam Paganam*, præsidio agrorum, culturæ, & frugum donatam, ut iis bonum & propitium *eventum & successum* tribueret. Hucq; revocandum est secundum ex nostris saxis, AUGUSTÆ BONAE DEAE CERERIE SACRUM. Ideo *Cereria* vocatur *Bona dea*, ut pateat ejus præsidio dicatos agros & fruges: nam *Ceres* dea agrorum & frugum habebatur. Simili appellationis schemate Magna Deorum Mater dicta est

est Ceraria in lapide Gruteriano 2. pag. 1010. M. D. M.
CERARIAE. Mater Deum Terra est Macrobio lib. 1. Sat.
 cap. 21. Terra autem frugifera ipsa Ceres. Quare nostram
 Bonam deam Cereriam tellurem frugiferam apposite vo-
 camus, eandemque cum Bonâ Pagana facimus. Extat in-
 scriptio pag. 26. 9. **CERERI AVGUSTAE MATRI AGRO-**
RUM. Et ne dubitaremus, hanc eandem esse quæ in pagis
 colebatur, tamquam agrorum præses, eandemque rursus,
 quæ in nostrâ inscriptione *Pagana* nuncupatur, monu-
 mentum illud *L. Benius primus Magister PAGI, & Benia*
Primigenia Magistra fecerunt.

In primo epigrammate sive Aram, seu Ædem Bonæ
 Paganæ posuerunt *Rufria & Festa Magistra* D.P.S. hoc
 est, *De Pecuniâ Suâ*, uti expressum est in tertio. *Magistræ*
 Sacerdotes erant Sacris dearum præpositæ, ut notavit Fa-
 brettus ad hanc ipsam inscriptionem; qui pag. 342. alia
 exempla producit, nec non cap. 10. num. 173. ubi *Athenais*
 visitur **MAGISTRA Bonæ dæ.** In secundo Decidia &
 Pupia non *Magistræ* sed **MINISTRÆ** Bonæ dæ dicun-
 tur, quod Sacerdotes inferioris conditionis essent.

I X.

¹ AVGVSTÆ. B. . . . CASTRENSI. EX FERONIA LIBANI. LIB TI. CLAVDIVS. STEPHAN	² DOMNAE. B. SACRVM SEX. BEBIVS BAI.FIL. VET.EX. CLASSE VESTIARIVS V. S. L. M
--	--

In fronte cuiusdam domus Capituli.

In alia domo Capit.

In utroque epigrammate longa ætas Deam abstulit.
 Bonam eam esse ex priori literâ B. facile suspicaberis. Sed
 quid Bonæ dæ cum castris & bellis, unde cognomen *Ca-*
strensis? Num Bonam deam, quæ personam singularum
 dearum induit, ut diximus, etiam Castris præfecerunt
 Gen-

Gentiles, & Bonam dixerat, ut in rebus bellicis favens & propitia esset? Ita Bona dea Castrensis ipsa Bellona est. Imò si aliter lacunam suppleas, non ineptè legere poteris: *Augustae Bellonea Castrensis* & in secundo: *Domnae Bellonea*.

At videant eruditi antiquitatum, num præfixum vocabulum, DOMNAE, viam aliam interpretationi sternat. Julia DOMNA fuit uxor Severi, materque Caracallæ & Getæ. Plurima ejus mentio in saxis & nummis, passimque vocatur MATER CASTRORUM. Illa exhibent Gruterus p. 1085. & Fabrettus cap. 10. p. 679. hos *Tristanus* tom. 2. pag. 131. aliquique numismatum descriptores. Jam priorem ex nostris inscriptionibus coniungas cum secundâ, hancque legas: *Domnae Bonae deae*: illam, *Augustae Bonae deae Castrensi*; & *Domnam Imperatricem Castrensem deam agnosces!*, quæ alibi Mater *Castrorum* est, & sanè BONAM, quia Mater. Profectò potuit vocari *Augusta Bona dea*, quæ in nummo apud Patinum pag. 284. Græcis literis dicitur *Augusta Domna Fortuna*. Et in aliis sub figurâ Cereris & Lunæ Luciferæ pingitur. Nummus Corinthiorum in quo Juliæ Domnæ caput scalptum est, ex altera parte Minervam galeatam cum Victoriâ dexteræ impositâ præfert; quod Victoriæ signum, inquit Vaillantius, forsan Corinthii Domnæ tamquam Palladi bellorum præsidi tribuerunt. Passim Augustas, ut alibi ostensum est, figuris & nominibus Dearum consecratas intuemur. Julia Mamæa non unâ divinitatis notâ contenta, plures simul induit Deas, in rarissimo nummo ex maximo ære Musei Corratii, cuius descriptionem nec dum, quod sciam, evulgatam, à viro Cl. Canonico Blanchino acceptam exhibeo. Caput Mamææ toto pectori & brachiis extantibus, cum symbolis multiplicibus, scilicet flore Isidis, Lunâ Dianæ, Alis Victoriæ, Cornucopiaz Face & spicis Cereris: circum literæ: JULIA MAMÆA AVGSTA. in parte altera: FELICITAS. SAECVLI. Mamæa sedens tribus figuris stantibus circumdata, quarum una ei pomum offert. Numis-

misima est singularis pulchritudinis, optimæ cælaturæ, cum circulo, & æruginine smaragdinâ obductum. Si velis Domnam stare loco Dominæ, ægre calculum feram. Nam apud veteres nunquam nisi nomen proprium est *Domnus* & *Domna*, ut probant celeberrimi antiquarii, *Tristanus* eodem tomo pag. 120. & *Spanhemius* dissert. 7. pag. 626. Præterea vocabulum illud per syncopem solis Ecclesiasticis Scriptoribus inferioris ævi usurpatum.

X.

D I A N
AVG. SAC
FLAVIVS. SEVERVS
CVM. SVIS. LAB.
RESTITVIT

In domo Nobb. de Nordis.

Diana numen satis notum. In schedis Capodalei est, *cum suis* LAR. At in archetypo lapide, quem Aquilejæ adhuc extantem exscribi nuper curavi, legitur LAB. hoc est *Labris*. *Labrum* vas amplum dicitur, in quod aqua è fonte decidit. Fontes Dianæ dicatos nemo nescit. De *labris* Dianæ mentio est apud Ovidium Fast. lib. 4. vers. 761.

Nec Dryades, nec nos videamus LABRA Diana,

Nec Faenum, medio cum premit arva die.

Itaque Flavius Severus Fontem aliquem Dianæ sacrum labefactatum & corruptum *cum suis LABRis*, marmoreis scilicet conchis ad aquam excipiendam, restituit. In lapide Veronensi pag. 39. 6. *Licinia signum Diana*, & *venationem*, & *SALIENTES*, aquas, fieri jussit. Cùm Sylla Scipionem, Norbanumque consules in Campaniâ profligasset, grates Diana (inquit Vellejus lib. 2. cap. 25.) cuius numini regio illa sacra est, solvit, & aquas salubritate, medendiisque corporibus nobiles, agrosque omnes addixit deæ.

X I.

ISI. SACR
 L. MAGIVS PHILEAS VI. VIR
 AQVIL. OB
 SALVT. GRATTIANI
 FILII. ET. GRATTIAE

Sertorius Eques Ursattus hunc lapidem Patavio trubuit, Monum. Pat. lib. 1. sect. 7. & 9. Quod in collectaneis Capodalei sit descriptus inter Aquilejenses huc transtuli. Si lapis sit Patavinus, saltem Magium qui illum dedicavit, Aquilejensem civem agnoscimus. De votis *Isidi* solutis ob restitutam valetudinem nec plura nec meliora dici possunt, quamquam quae concessit Fabrettus cap. 6. à pag. 469. ubi hanc quoque inscriptionem ex Thomasino recitat. *Isidem* sanitati restituenda praesesse putarunt Gentiles, unde & *Servatricis* nomen apud Arcades, ex Pausania lib. 8. adepta est. Potissimum curationes pedum *Isidi* acceptae referebantur. Hinc figuram pedum non semel exsculptam invenimus, quae offerebatur, tanquam tessera curationis. Junctum numen cum sit *Iris* & *Serapis*, ab hoc quoque sanationes sperabantur, remedii immixtis per somnum, ut indicat formula EX VISV, quae saepius in ejusdem inscriptionibus occurrit. Cetera apud Fabrettum invenies. Addam tantummodo carmina Tibulli, quibus denotatur tabellas curationum indices in templis *Isidis* suspensas fuisse lib. 1. eleg. 3.

*Nunc dea, nunc succurre mibi, jam posse mederi,
 Pitta docet templis multa tabella tuis.*

Quemadmodum & naufragi in templo Neptuni tabellas dicare consueverant, quibus depicti essent casus & pericula naufragii; imò & veste, cum quibus evaserant, suspensas parieti consecrabant. Vtrumque expressum reperies apud Horatium lib. 2. Sat. 1. vers. 33. & lib. 1. carm. Od. 5. ejusque interpretem. De tabellis in templo Æsculapii positis jam dixi.

An-

Antequam deos Aquilejenses deseram ; Scriptorum nostrantium haud levem lapsum adnotabo. Palladius senior rerum Foroiuliens.lib.8.pag.128., sequutus Candidum Comment. Aquil. lib. 2., memoriae prodidit, Maximino Aquilejam obsidente, mulieres Aquilejenses, cum deessent civibus nervi ad immittendas sagittas, de capillis funes fecisse : in cuius, inquit Palladius, facinoris memoriam Senatus sub ea tempestate, in perpetuum matronarum Aquilejensium decus, Romæ templum Veneri Caluae dicavit. Egregium quidem id facinus narrat Capitolinus, quem Palladius citat ad marginem ; at templum ea occasione dicatum nequaquam dicit. De verba ex cap.7. in vita Maximini junioris : Prætereundum ne illud quidem est, quod tantâ fide Aquilejenses contra Maximum pro Senatu fuerunt, ut funes de capillis mulierum facerent, cum deessent nervi ad sagittas emittendas : quod aliquando Romæ dicitur factum. Unde in honorem matronarum templum Veneri Caluae Senatus dicavit. Postrema hæc verba ad proxima, quod aliquando Romæ dicitur factum, referenda esse patet, non ad priora de mulieribus Aquilejensibus. Id Romæ contigit in obsidione Capitolii, in quâ cum nervorum copia defecisset, matronæ abscissos crines viris suis obtulere pugnantibus, uti narrat Vegetius de re milit. lib. 4. cap. 9. Nil sanè hic auctor de templo Veneris Caluae ; at supplendus est ex Lactantio divinar.institut.lib.1. cap.20. Urbe, inquit, à Gallis occupata, obsecsi in Capitolio Romani, cum ex mulierum capillis tormenta fecissent, ædem Veneri Caluae consecrarunt. Itaque Capitolinus huc respexit, non verò ad facinus mulierum Aquilejensium; neque in earum decus perpetuum Senatus templum Veneri Caluae dicavit.

Qui commentationem hanc de Diis Aquilejensibus inchoaverat Juppiter, idem quoque peractio erit. Siquidem memoria exciderat opportuniiori loco referre, celebre Jovis templum & Capitolium, ad Urbis dominæ imita-

mentum, Aquilejæ stetisse. Utriusque mentio est in actis Sanctorum Felicis & Fortunati, quorum exemplar tum apud Mombritium prostat, tum in vetusto Codice, octavi minimum sæculi, in chartulario Ecclesiae nostræ Foroju-liensis. Cumque venisset in Civitatem Aquileiensem (sermo est de Euphemio Præside) in Templum Jovis ingressus, immundas hostias obtulit. Præcones clamabant, ut legitur in alio exemplari: omnes concurrerent cum hostiis ad Capitolium Jovis, & sacras hostias Imperatori (Diocletiano) per plateas ponerent &c. Capitolia habuisse illustres urbes, Ravennam, Florentiam, Mediolanum, Carthaginem, pluresque alias, suam in primis Augustam, colligit doctissimus Marcus Velserus rerum Vindelicar. lib. 5. pag. 259. postremæ edit. Addimus Aquilejense Capitolium, quod quâ urbis parte locatum fuerit, omnino latet. In excelsissimo loco construi jubet Capitolium Vitruvius lib. 3. cap. 2. Unde in Concilio Eliberitano can. 59. prohibetur, ne quis Christianus aut Gentilis ad Idolum Capitolii sacrificandi causâ ascendat. In quem Canonem videoas quæ eruditè adnotavit Ferdinandus Mendoza. Ceterum quamquam Romæ Capitolium non tam Jovis templum, sed alia quoque delubra, ædificia, ipsamque arcem complectebatur, Aquilejæ idem Capitolium ac templum Jovis fuisse verba recitata suadent.

XII.

DEO RUBIGO
SACRVM

In Villa Comitum de Maninis in suburbano Forijulii.

Censum Deorum Aquilejensium absolvimus. At unus & alter adhuc in tabulas mitti postulant; jure quidem suo quod iisdem Carnorum populis priscâ religione colerentur. Aram hanc nostrates Forojulienses Deo RUBIGO dicarunt. Extat in pago suburbano, vulgo Rubignaco, cui nomen à deo mansisse nemo dubitaverit. *R*obigus seu *Rubigus*, ut in nostra inscriptione, à rubigine segetibus infestâ

stā dictus , inter insanos Romanorum deos non ultimus, non ut prodesset , colebatur, sed quemadmodum Febris & ejusmodi mala & sinistra numina , ne noceret. Inter deos quos initio operis de re rusticā invocat Varro , Robigum quoque recenset : *Quartò ROBIGUM & Floram : quibus neque rubigo frumenta atque arbores corrumpit, neque non tempestive florent. Itaque publicæ Robigo feria, Robigalia, Floræ ludi, Floralia instituti .* Et quia Ceres quoque segetum dea erat , communi religione simul colebatur ; unde lapis Romanus apud Reinesium visitur : ROBIGO . ET . CERERI . ET . FLORAE . SACRUM . Iterum Varro lib.5. de ling.Lat. *Robigalia dicta à ROBIGO: secundum segetes huic deo sacrificatur, ne rubigo occupet segetes .* Sacrificii genus docet Ovidius lib. 4. Fast. vers.935. nimirum Cane & Ove faciebant .

*Thura focis vinumque dedit, fibrasque bidentis,
Turpiaque obscenæ vidimus ora canis.*

Ubi quoque recitat verba , quibus Sacrificulus invocabat Rubigum , & ne laderet segetes, precabatur . Canemque immolatum subdit ad placandos nimios Canis Syrii æstus, quibus fruges adurit. Hucque respexit Festus verb. *Rutilæ, ubi & rutilas & feminas Canes mactatas docet : Rutilæ Canes, idest non procul à rubro colore immolantur canario sacrificio pro frugibus, deprecandæ sævitiae caussâ sideris Caniculae .* Eademque ferè habet in voce, *Catularia*. Porrò *Robigalia Festa agebantur VII. Kal. Majas , seu die 25. Aprilis , ut notatur in veteri Kalendario , & eodem libro Ovidii vers.901. Festo in verb. Robigalia, & Plinio lib.18. cap. 29. ubi Robigalia à Numa instituta fuisse ait , anno regni undecimo .* Itaque in pago Rubignaco Festa hæc Rubigo deo celebria erant : qui sanè pagus cùm sub ipsis mæni- bus Urbis Forojuliensis situs sit , disces nostros hoc quoque ritu imitatos fuisse Romanorum morem , qui non longè ab Urbe , ut innuit Festus verb. *Catularia , sacrificia Robigalia peragebant.*

XIII.

C. VELLAEV. A. L. EROS
SEX. VIR. ARAM. SEDILIA
STRATVM. DAT

Forojulii in hortis olim Venustorum.

Hoc loco inscriptionem hanc Forojuliensem profero, quod Diis dicatam perscripti characteres prodant. Merito quoque suo vulganda erat, quod notas rari in lapidariâ suppellectile pretii contineat. Etenim *Aram* frequentissimè positam omnes norunt, nec explanatione opus est, nusquam, ni fallor, addita *sedilia* & *stratum* quispiam inveniet. Pompejus Festus verb. *Solla* lucem plurimam affundit: *Solla*, inquit, siue *solia*, uti legit Scaliger, appellantur **SEDILIA** in quibus non plures singulis sedere possunt; ideo *solla* sternere dicuntur qui *sellisternum* habent, & *solaria* vocantur *Babylonica*, quibus eadem sternuntur. Non satis bene Valearius Chimentellus in eruditissimo opere de honore Biselli cap. 21. lapidea aut marmorea libentius *sedilia* putat, ex Plinio lib. 5. epist. 6. ubi elegantissimam villam suam describens ait: *sunt locis pluribus disposita sedilia è marmore.* Nam Evander apud Virgilium *Æn. I. 171.*

Gramineoque viros locat ipse SEDILI.

Et Georg. 4. 350. Nymphæ vitreis aquarum **SEDILIBVS** imponuntur. Quare quodcumque genus sedis potest *sedile* dici. *Stratum* lectus est ad incubandum. Haud segnis *STRATO* surgit *Palinurus* &c. inquit idem Poëtarum summus *Æn. 3. 5 13.* Hinc *Lectisternia* dicta, quasi *lecti strati*, qui tam hominibus parabantur, quam Diis ad epulum, ut scitè distinguit Gutherius de jure Pontif. lib. 3. cap. 9. *Triticum* est, Sacerdotes post sacrificium epulatos, ut alibi indicauimus. *Arā* ergo exstructā pro sacrificio, Vellæus Sacerdotibus quoque dedit *sedilia* & *stratum*, ut accumberent ad mensam. Vel funebris hic apparatus est. *Ara* scilicet Diis Manibus siue Inferis, *sedilia*, *stratumque* ad epu-

epulum emortuale. Nam in parentalibus & inferiis Gentiles largiter epulabantur; unde toties in inscriptionibus cenam, epulum, sportulas legatas observamus. In Bergomati pag. 753. 4. *Lectisternium tempore parentaliorum inter alia præberi jubet P. Appius in memoriam Albinæ filiæ.* Quæ ad nostram referri posse videtur. At cur sedilia & stratum distinctum? Alio spectasse Vellæum sanè libentius affirmo. Ea fuit Gentilium insania, ut Deos suos ad cenam invitantes *Lectisternia* onusta dapibus in templis pararent, & lectos ad accubitum tamquam epulaturis sternenterent. Plura veterum testimonia prætermitto. *Habent,* inquit Arnobius lib. 7. *Dii lectos, atque ut STRATIS possint mollioribus incubare, pulvinorum tollitur, atque excitatur impressio.* *Sellisternum habere,* de quo antea Festus, idem est ac sellam sternere; sicuti *lectisternia* lectos. Utrumque nomen Diis accommodum. Unde Tertullianus inter sacros apparatus numerat *solisternia*, & *lectisternia*, ad nationes lib. 1. cap. 10. & Festus laudatus, *sistere fana*, esse ait ex Labeone, *Lectisternia certis locis & Diis habere*, verb. *sistere*. Id tamen in more positum, ut lecti seu *STRATA* Diis maribus, *Sellæ*, sive *SEDILIA* feminis ponerentur; instituto ab hominibus ad divos traducto; quod egregiè in rem nostram expressit Valerius Max. lib. 2. cap. 1. num. 2. *Femineæ*, inquit, *cum viris cubantibus sedentes cenitabant; qua consuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit.* Nam *Jovis epulo ipse in lectulum, Juno & Minerva in sellas ad cenam invitantur.* Quare Caius Velleus Eros Cajæ Libertus Sex vir Forojuliensis cùm aram sacrī faciundis erexisset, certis diis paraturus *lectisternium* sive *epulum*, fortasse ipsi Jovi ac Junoni Minervæque, quibus in Capitolo Romæ cenam dare mos erat, unde *epulum Jovis dictum, stratum quidem seu lectum*, Romano more, Jovi, deabus verò Jvnoni & Minervæ *sedilia* sive *sellas* dedicavit. Ni cui placeant hæ dapes, melioribus paratis lubens accumbam.

Alterum Deum extra Aquilejam nostris Forojulien-sibus prisca gentilitatis vesaniâ celebrem , prodit Strabo lib. 5. Geograph. pag. 214. in ipso, inquit, intimo sinus Adriatici Timauum est, Diomedis templum memorabile . Habet enim portum , & elegantem lucum , & fontes septem potabilis aquæ , statim in mare alto & lato excidentis amne . Situm templi Diomedæ ad ipsos fontes Timavi collocat Clu-verius lib. 1. pag. 195. ubi nunc divo Joanni ædes sacra est, pagusque ab eo appellatus S.Giovanni del Carso . Sanè hunc locum priscis quoque populis habitatum , produnt vetustatis monumenta inibi reperta , quæ hic profero .

S. A. I. PROSAI
AQILINI
VILICI AVGG
ET. TITI. IVLI
AQVILINI
IVLIA
STRATONICVS

SPEI. AVGVSTAE
C. SACCONIVS
VARRO, TRIB. CO
H. IMILIANAE
DELMATARVM
V. S.

Imò fontes ipsos Timavi numini Diomedis sacros fuisse arguit plumbea fistula his caracteribus sculpta .
AQUA. DEI. ET. VITAE. Nisi velimus pertinere ad saluberrima calidarum aquarum balnea , quæ non longè à Timavo visuntur , & Plinio quoque memorantur lib. 2. c. 103. Eum sanè tubum ad balnea ipsa repertum narrat Jacobus Valuafonus in descriptione Forijulii quæ M.S. circumfertur .

Incertum porrò mihi est an verba, quæ paullò post habet Strabo , ad hunc ipsum locum apud Timauum sint referenda . Memoriae, inquit, proditum est , Diomedi apud Venetos esse aliquos honores decretos . Nam & albus equus ei immolatur , & duo monstrantur luci: unus Junoni Argivæ , alter Diana Ætolice . Nam cum idem Geographus Aquilejam extra Venetorum fines statuat , Timauus itidem , qui ultra hanc Urbem ad Orientem excurrit , in-

Ve-

Venetis eodem auctore esse nequit. Quamobrem vereor etiam assentiri Leandro Alberto, & nostris Scriptoribus Forojuliensibus, qui lucos Junonis & Dianæ eos esse putant, qui nunc accolis vocantur S.Geltrudæ, & S.Margaritæ. Hi enim in interioribus Alpium collocati ad Carnos utique spectant. De Venetorum finibus, & de Timavo, quem veteres & recentiores pluribus quæstionibus, quam ipse fontibus fluat, involuerunt, non pauca dicenda essent; nisi in diversa abire ratio instituti operis vetaret. Interim consulas Cluverium Italæ antiq.lib.1.cap.20.& Pignorium in libello Italico originum Patavin. cap.14.



COLONIA FOROJULIENSI

DISSERTATIO ALTERA.



UM in priori hujus voluminis parte ad inscriptionem M. Aquilii cap. 2. in fin. de Scaptiâ tribu mentio esset injecta , dixeram in eadem tribu censam fuisse Coloniā *Foro juliensi* , idque vetustos lapides , qui adhuc inibi extant , demonstrare . Tunc quoque nonnulla adornaveram , quæ iis illustrandis , patriæque urbi ab oscura antiquitate utcumque vindicandæ conferre putabam ; sed aliena ab instituto , opportuniōri loco producenda seposueram . Nunc quoniam inter saxa Aquilejensia versati sumus , eadem quoque Foro juliensi , calenti adhuc à simili arguento manu , rursus contrectate visum est ; & prisca vicinarum urbium monumenta quodam veluti cognationis jure conjungere . Non nullis igitur quæ ad FORI JULII , ipsiusque Aquilejæ , ac Concordiæ , originem spectant , præmissis , exempla ipsorum lapidum producam : tūm Magistratus & Sacerdotia , quorum iis sculpta sunt nomina , levi manu , quòd id argumenti genus jam docti viri fermè exhauserint , pertentabo : intermixtis in rem natam plerisque earumdem Coloniarum inscriptionibus , nunc primum evulgatis .

FORVM IULII Civitas in eâ Italix regione sita est , quæ olim Carnorum , nunc prouincia Foro juliensis , quæ sit ab urbe principe appellatione , nuncupatur . Mediam secat Natiso fluvius , prisca Scriptoribus memoratus : tergum Alpes Juliæ claudunt , frontem ingens planities , uberi solo nobilis , expandit . Originem ipsimē nomini insculptam agnoscimus . Paullus Diaconus , qui octauo seculo inclinante historiam Longobardorum literis mandavit , hæc habet

bet lib.2. cap.14. *Hujus Venetiæ Aquileia Civitas exiitit caput, pro qua nunc FORUM JULII, ita dictum quod Julius Cæsar negotiationis forum ibi statuerat, habetur.* Rescri-
re id potuit Paullus, qui *Civis Foro-juliensis fuit, ut de se ipse testatur lib.4.cap.39.* licet passim *Aquilejensis vocetur, ob munus sacrum, quo in hac Ecclesia defungebatur.* Ve-
nantius Fortunatus proximâ ad Plavim regione ortus, iter
è Galliâ Ravennam describens, de Vita S.Martini lib.4.cir-
ca finem ait:

Inde Foro-juli de nomine Principis exi.

An uti nominis auctor, ita conditor Opidi Cæsar fuerit, in
obscuro planè latet. Potiori conjecturâ diceres, locum an-
tea non incelebrem, foro & nomine ab eo Principe au-
ctum; sicut in Baetica, ut simili prorsus exemplo utar, Illi-
turgim Forum Julium appellatum tradit Plinius lib. 3.
cap.1. Blondus Foroliviensis illud putat Opidum, quod à
Gallis conditum, Marcellus etiam invito Senatu, tradente
eodem Plinio lib.3. cap.19. delevit, tunc à Cæsare instau-
ratum. Henricus Palladius, qui summâ dictionis elegan-
tiâ, & Latini sermonis puritate *rerum Foro-juliensium* histo-
riam ad Attilana tempora perduxit, cum populari apud
suos errore Utinum, si Diis placet, Forum Julii faciat, ve-
stigia quædam antiquitatis in eâ urbe à se deprehensa eo-
rumdem Gallorum esse opera suadere nititur; additque il-
lud Opidum, quod nunc Utinum esse ait, deinde instauras-
se Triumviro, qui Aquilejam Coloniam deduxere, lib.2.
& 3. Nobis eatenù sapere, aut tam oculatis esse non li-
cuit, ut tot retrò sœcula veluti præsentia introspective, in
nostrâ Civitate, quam Forum Julii esse scimus, quamvis in
eâ appareant, plus etiam niinium, ædificia & monumenta
merum senium & cariosam etatem redolentia, inveniremus
puteum & subterraneos fornices manu Gallorum factos.
Nec, fateor, digito monstrare audemus turrim triangula-
rem, muros circa collum ductos, imò & privatorum ædes pro-
pè arcem ac vicos, ab iisdemmet Triumviris non temerè,

sed ut Romanam majestatem decebat, post multa inter eos agitata consilia, excitatos & exstructos. Neque adhuc, quod sanè invidiam facere possit, sub oculos ponere ipsam antiqui Opidi faciem & formam, propugnacula, ut ea ferebat ætas veterum Romuli nepotum, munitissima, mœnia in Occidentem exponrecta, binas turres latus utrumque murorum jungentes, portas ad Occasum & Septentrionem, quibus tres aliæ additæ fuerunt, quadratae ejus civitatis triumviralis, quam ita describit Palladius, aditū reserantes. Dolendum porrò numismata illa P. Cornelii Scipionis Nasicae, C. Flaminii, & L. Manlii Acidini à quibus Colonia Aquileja deducta est, in fundamentis turris triangularis ab iisdem Triumviris conditæ, duobus ab hinc seculis, uti narrat Palladius verbis Josephi Sporenii, dum nova Utinensis arx, quæ nunc extat, construeretur, reperta statim ac lucem viderant, nullâ vetustatis reverentiâ tenebris suis iterum damnata, in fundamenta eiusdem arcis collocata fuisse. Profectò tam præclara remotioris antiquitatis vestigia auro contrà redemissa nostri Antiquarii, qui nusquam id genus monumenta in suis Cimeliis ostentare queunt; atque a Triumviris percussa fuisse numismata in condendis Coloniis, stante Republicâ, adhuc ignorant. Sed ad seria revertamur.

Forum hoc instituisse Cæsarem, dum utramque Galliam proconsule cum imperio regebat, uti certum videtur, ita annum & tempus definire haud facile est. Idem Palladius pag. 61. & 62. ad ejus Consulatus initium refert, quo tempore stativa ad Aquilejam Cæsar habuit, legionesque ab hibernis eduxit, ut ipse narrat I. 1. de bell. Gall. Cum enim, inquit Palladius, bello nihil tunc esset, quod ageret, ne Consulatum suum obscurum posteritati transmitteret, Forum in provinciâ instituit. Non unum peccat hic Auctor. Nam Cæsar cùm Gallias administrabat, nunquam Consul fuit. Et sanè initio belli Gallici quo eum Consulem facit Palladius, Proconsulatum cù Consulatu confundens, cum ab hibernis legiones deduxit, ipsem et signat Consules L. Calpurniū Pisō nem

nem & A. Gabinium. Tunc verò quis credat otii tantisper superfuisse Cæsari, nihilque eum habuisse quod bello age-ret, cùm magnis itineribus, ut ipse narrat, in Italiam profectus ad legiones conscribendas, & eas quæ circùm Aquilejam hiemabant, ex hibernis educendas, eadem celeritate in ulteriore Galliam rediit, atque eâ ipsâ estate tribus præliis confectis Helvetios & Germanos profligavit? Itaque magis vero similia perscrutemur. Utramque Galliam Cæsar proconsule administrans, quotannis per hiemem in Italiam contendere instituerat, quemadmodum testatur initio lib. 5. ibique Conventus peragebat, ut statim com-memorat, & sèpius aliis historiæ suæ locis. Mos erat Ro-manis, ut cùm Prætor seu Proconsul in prouinciâ esset, in aliquem locum Conuentum indiceret, eoque provinciales homines evocaret jurisdicundi caussâ. Idque agere Con-ventum sive Forum dicebatur. Nam utrumque vocabulum eandem significationem habet. Cicero ad Atticum scribit, *Forum se egisse ex Idibus Februariis Laodiceæ.* Virgilius

Indicitque Forum, & patribus dat jura vocatis.

Hirtius de Cæsare ait: *In Gallia citeriore jus dixit, ac paucos ibi dies moratus, cum celeriter omnes Conventus percur-riisset, publicas controversias cognovisset, in Belgium se rece-pit.* Quæ loca Sigonius profert, de antiquo jure Prouin-ciari. lib. 2. cap. 5. Eandem utriusque vocis significationem reperies apud Festum verb. *Conventus & Forum.* De Præ-fecto Hispaniæ memorat Strabo lib. 3. pag. 167. *in mariti-mis solitum hiemari jus dicendo;* additque Casaubonus in notis, hoc esse *Conventus agere, sive Forum agere.* Cùm itaque Julius Cæsar singulis annis, ut vidimus, ad Con-ventus peragendos in citeriore Galliam proficeretur, palam est, locum juri dicundo nostris populis Carnorum, qui tunc eidem provinciæ accensebantur, hunc ipsum dele-gisse, cui postea eâ de caussâ nomen FORI mansit, addito in memoriam institutoris JULIO cognomine. Plutarchus in vitâ tradit, Cæsarem in Conventibus hominum ani-mos

mos captasse, quos aut muneribus, aut spe plenos dimittebat. Quæ cumulatiū cùm foretasse præstisset gentibus Carnorum, ideo ipsi beneficiorum gratiam referentes, institutum Forum ab ejus nomine nuncuparunt. De Tarsen-sibus ita scribit Dio lib. 47. pag. 342. Adeo Cæsari priori, & ac eius gratiâ etiam posteriori favebant, ut urbem suam pro Tarso Iuliopolim vocaverint. Porrò provinciales homines, qui ad caussas peragendas conveniebant, alia quoque negotia pertractasse, & commercia exercuisse oportet; unde est quod etiam Forum negotiationis à Cæsare institutum, cum Paullo Diacono possimus dicere. Interini monitum Lectorem cupio, Opidum aliud in Carnis à Cæsare conditum, & Iulium Carnicum dictum, male cum Foro Iulio à quibusdam confundi. Nam idem Paullus utrumque manifestè distinguit; illudque in montanis ejus regionis, quam hodie quoque Carniam appellamus, Plinio, Antonino in Itinerario, & Ptolomæo, qui Noricis tribuit, memoratum, hoc ad montium radices in planicie situm est. Nunc etiam illius vestigia, vetustatis aliquot monumentis insignita, apparent, nomenque Zulii manet, priori tantummodo literâ immutatâ, non Thuscâ prolatione, ut scribit Palladius, Annium fabulatorem sequutus, sed ex more vernaculi idiomatis.

Exinde Forum Iulii ad Colonias prærogativam & nomen traductum est. Ptolomæus lib. 3. cap. 1. in sextâ tabulâ Europæ ita scribit:

In Mediterraneis Carnorum

Forum Iulii Colonia.

Aquileia Colonia.

Concordia Colonia.

Titulum referendum ad priorem Coloniam arbitror, quæ sola in mediterraneis verè posita est, Aquileja & Concordia propemodum mari adiacent. Nec Forum Julii ante Aquilejam, quæ longè illustrior urbs fuit, collocasset Ptolomæus. At Palladius, qui Forum aliquod Coloniam quoque

que dicere non est ausus, *Forum Iulii non Coloniam*; sed prærogativis Coloniæ tantummodò donatum scribit; unde etiam irreplisse sine dubio putat ex vulgi errore nomen *Coloniæ* apud Ptolomæum, vel culpâ librarii *Forum Julium Coloniam* factum. Mihi nec grauissimum Geographum deceptum, nec exscriptorem peccasse certum videtur; cùm nulla sit caussa, cur *Foro Julio* verum nomen *Coloniæ* invideamus: alioquin id nominis Aquilejæ etiam & Concordiæ, quas eodem loco, & sub unâ verborum serie *Colonias* vocat Ptolomæus, esset abrogandum. At has certò constat *Colonias* fuisse. Nec insolens est, *Fora* aliquando, inductis postea colonis, in *Colonias* transisse, nullo pristini nominis dispendio. Quod exemplo mox ostendam. Qua verò occasione & tempore ex *Foro* in *Coloniam* *Forum Iulii* evaserit, non satis constat. Pompejus Strabo Magni pater Transpadanis populis, inter quos Veneti & Carni (licet eâ de re apud eruditos non levis sit quæstio) jus Latii dederat. At quoniam qui jus Latii habebant, non plenam civitatem Romanam, quâ scilicet jura priuata continebantur, non publica, sed partem tantum ciuitatis adipiscabantur; integrum jus ciuium Romanorum Transpadanis donavit Julius Cæsar, cùm Romæ dictaturam inivit anno V. C. 704. Auctor est Dio lib. 41. p. 170. *Gallis qui cis Alpes trans Padum incolebant, quod suo sub imperio fuissent, ciuitatis jus dedit.* Cùm Gallos audis, qui trans Padum sub imperio Cæsaris fuerant, ne Venetis quoque & Carnis jus illud tributum dubites; nam & ii in Galliâ Cisalpinâ & sub ejusdem imperio erant. Eâ loquendi formâ usus est Dio, ut Gallos solummodò excluderet, qui cispadanam regionem incolebant. Exinde Veneti jus quoque adipiscendorum honorum obtinuerunt, quod inter jura Quiritium nequaquam censebatur. Cùm apud Tacitum An. 11. c. 23. in Senatu agitaretur sub Claudio Cæsare, num primoribus Galliæ Comatæ, qui pridem civitatem Romanam adsequuti fuerant, jus etiam adipiscendorum in Urbe hono-

honorum esset tribuendum, querebantur aliqui ex Senato-ribus, quod Veneti & Insubres curiam irruperint, quod est, grandiori Taciti phrasí, eos populos in Senatum fuisse admissos. Itaque Forum Julii à Julio Cæsare jus Civitatis Romanæ unà simul cum Gallis obtinuit; & cum Venetis, paullò ante Claudiana tempora, jus quoque honorum adipiscendorum. Quo in jura omnia, quæ civibus Rom. patebant adscriptum fuit: at nondum tamen Colonia dici poterat. Plinio Opida Istriæ ciuium Romarum sunt *Ægida* & *Parenium*, solummodo *Pola Colonia*, lib. 3. cap. 19. Ea propriè Opida *Coloniæ* sunt, inquit Aggenus de limit.agrор. inter Scriptores de re Agrariâ collectos à Goesio pag. 58. quæ ex eo nomine accipiuntur, quod Romani in eisdem civitatibus Colonos miserunt. Et Siculus Flaccus de condit. agror. apud eundem Goesium pag. 2. *Coloniæ*, ait, inde dictæ sunt, quod populi Romani in ea municipia miserint colonos. At duo coloniarum genera constituit Vellejus lib. 1. cap. 14. unum earum quæ *Senatus jussu* deductæ sunt: alterum *militarium*, cuiusmodi ferè omnes numerantur post Eporædiam, Mario VI. & Valerio Cos. missæ. Hinc cum veram coloniam Forum Julium, Ptolomæi testimonio, statuerimus, militarem eam fuisse oportet. Deductionis tempus quamvis in obscuro sit; haud levem coniecturam nihilominus proferam, cùm inferiùs de coloniâ Concordiâ sermo crit. Interim ex Foro factam coloniam, manente nomine, exemplum, ut ita dicam, cognatum docebit.

In Galliâ Narbonensi vetusta urbs, *Forum Julii* eundem ac nostra auctorem nominis *Julium Cæsarem* agnoscit. Neque enim ii audiendi sunt, qui appellationem Augusto tribuunt, quamvis colonias ab eo deductas *Julias* quoque vocatas constet. Nam Forum Julii Narbonense in epistolis Planci inter Ciceronianas lib. 10. ep. fam. 16. & 17. antè quam Cæsar Augustus imperio esset potitus, memoratur. Exinde Colonia effecta est, manente priori appellatione. Tacitus lib. 2. hist. cap. 14. & in vita *Agricolæ* cap. 3. *Coloniæ*

niam Forojulensem vocat. Perperam Leander Albertus in descriptione Italiæ, Regione. 8., aliique scribunt, nostram hanc esse Forojulensem Coloniam, hic Tacito memoratam. Amore patriæ aliorum lapsus non adoptamus. Rursus Mela lib. 2. cap. 5. ait: *Forum Julii Octavanorum Colonia;* & totidem verbis Plinius lib. 3. cap. 4. ubi addit, appellatam quoque *Pacensem & Classem*. Consentivit nummi apud Goltzium in Domitianus: COL. FOR. IVL. & in Augusto: COL. IVLIA. OCTAV. Et quidem colonia militaris fuit, militibus legionis octavæ ad eam incolendam inducetis. Ideo Melæ, Plinio, & in nummo laudato, cui alterum Neronis addas apud Harduinum pag. 171. *Octavanorum* colonia dicta. Coloniae enim militares s̄epius à legionibus, quæ in iis collocabantur, sibi nomen peperrunt. Ita eodem Melæ loco legitur, *Secundanorum Arausio, Sextanorum Arelate, Septimanorum Blitera.* At Valesius in Notitiâ Galliarum pag. 200. *Octavanorum* nomenclationem ablegat, atque apud Plinium, Melam, & in nummis, *Octavianorum* legendum autumat, quòd Octavius Augustus id nominis coloniâ deductâ imposuerit. Contrà doctissimum Scriptorem, præter Scaligerum, Lipsium, & Simondum, quos ipse citat, stant ceteri, Bucherius in Chorographiâ Provinciæ tom. 1. pag. 247. Hardinus loco laudato, & Vaillantius de Coloniis pag. 5. tom. 1. Si quid nobis post clarissimos viros hac in re liceat, haud ineptam conjecturam expono. Idem Vaillantius alio opere de numism. Imp. tom. 2. pag. 168. nummum Gallieni describit cum hac epigraphe: LEG.VIII. PAC. quam explico, *Legio octava Pacensis.* Jam Forum Julii ex Plinio didicimus coloniam *Pacensem* vocatam. Profectò hoc nomine donata est, quòd in eam legio octava *Pacensis* fuerit inducta; & subinde ab eadem quoque legione octavâ coloniæ *Octavanorum* appellationem quæsivit.

Ad nostram FOROJULIENSEM pedem refero. Postquam coloniæ & municipia civitatem Romanam im-

petrassen, quoniam jus adipiscabantur suffragii in Urbe ferendi, in tribum aliquam ex xxxv. adscribabantur, in qua suffragium in Comitiis Romanis ferrent. Unam verò eandemque ciues omnes cujusque urbis profitebantur, & perpetuò fermè retinebant. Hinc frēquenter in vetustis saxis, præcipuè militum, signatam observamus *Tribum*, quæ inter nomen & cognomen reponebatur, ut alibi monimus. Passim in magno Gruteri thesauro exempla occurserunt. Carnorum populi cum jus Latii à Pompejo Strabone, civitatem Romanam beneficio Cæsaris, utpote in Gallia citeriore positi, obtinuerent, suffragii lationem in Urbe simul indepti sunt. An uniuersi in unam, eandemque tribum tunc essent conjecti, vel unumquodque Opidum suam agnosceret, incompertum planè habeo. Hoc certum est, tres colonias, quas Carnis Ptolomæus accenset, Forum Iulii, Aquilejam & Concordiam, in tres diuersas tribus relatas fuisse. De Foro juliensi primùm agam, non dignitatis merito, cùm Aquileja longè illustrior & nobilior fuerit, sed quòd ea hujus dissertationis argumentum faciat, Aquileja, & Concordia in transitu sint dicendæ. Haud paucos lapides literatos, quos prisci decoris reliquias, & Romanæ ætatis vestigia dixeris, in urbe Foro juliensi, fato & tempori superstites, servamus. Hos inter tres sunt, qui ejus olim cives *Tribui SCAPTIAE* adscriptos luculento testimonio demonstrant. Nobiliorem hunc primum hisce characteribus insculptum cernimus.



T. VETTIDIVS
 T. F. SCAPT
 VALENS
 ILL. VIR. IVRID
 QVINQ. PONT
 SIBI. ET
 T. VETTIDIO
 POTENTI. FIL.
 EQVO. PVBLICO
 ANNOR. XX. M. III. D. V
 T. F. I

Mirum quantum affligerint hunc lapidem antiquarii,
 hue illuc locis alienis transferentes; cum nusquam nisi in
 nostrâ Forojuliensi Civitate habitaverit. Antiquissimum
 omnium, qui inscriptiones collegerit, testem produco Joannem
 Marcanovam, qui in suâ collectione anno 1465.
 adornatâ nostram recitat sub hoc titulo: *Ad Cividatum*
Forojuliensis Patriæ Civitatem in marmore formoso propè
portam majorem. Ex Authographo Marcanovæ Venetiis
 exscripsit ornatissimus vir Apostolus Zenus. Hodie extat
 propè portam veterem Civitatis ad S. Petrum in pariete pu-
 blici armamentarii. Characteres sunt grandiores & nitidi,
 & saxum ingens, ut nemo aliunde exportatum suspicari
 possit. At Gruterus pag. 486. 1. ex Smetio & Appiano *Pata-*
vii Forojulii in porta extare scribit, dupli lapsu, lapidem
 Patavium, hanc Urbem in Forojulium traducens. Erroris
 caussam inferius exponam. Eques Ursattus cum apud
 Gruterum ea verba legisset, deperditum putavit. Cum
 Raphael Fabrettus, quoties mihi laudandus, toties defen-
 dus, operi suo postremo inservisset non paucas ex nostris
 Inscriptionibus, quas sibi à me traditas cum honoris fœno-
 re in præfatione epistolari commemorat, hanc tamen, malo
 fato ex schedis Penianis descriptam, *Forolivio* tribuit pag.
 715. haud semel deinde conquestus, se nō antè opportunius

à me monitum. Literarum inter hanc urbem & nostram affinitas non saxa tantummodo, sed homines quoque nobis surripuit. Nam Forolivienses Cornelium Gallum poëtam celeberrimum, qui gratiâ & honoribus apud Augustum Cæsarem eximiè floruit, civem suum facere non dubitant. Eusebius in Chronico ad Olympiadem CLXXXVIII. ita loquitur: *Cornelius Gallus Foro julienensis poëta, à quo primum Aegyptum rectam supradiximus XLIII. etatis sue anno propriâ se manu interfecit.* Flavius Blondus amore patriæ, uti rectè observat Lilius Gregorius Gyraldus in dialogo 4. de Poetis Latinis, primus omnium ausus est legere, *Foroliviensis.* At quotquot impressi Codices Eusebii circumferuntur, ad unum omnes habent, *Foro julienensis.* Hos inter binos emendatissimos laudo, primum ab Arnoldo Pontaco editum typis Burdigalensibus anno 1604. qui, ut testatur in Apparatu, contulit non tantum verba sed etiam syllabas & literas cum decem & octo codicibus MSS. & octo variis editionibus: alterum Josephi Scaligeri, quem ex antiquissimis MSS. exemplaribus, potissimum Bongarsiano ante mille annos conscripto, se adornasse ait initio animadversionum pag. 6. Ne locum hunc obruam Codicum MSS. copiâ, quorum duo eminent aucto Caroli Magni exarati, unus Bibliothecæ Regis Christianissimi, alter majoris Ecclesie Lucensis, Spartam hanc lubens dimitto Justo Fontanino, qui cùm opus de Scriptoribus Foro julienibus, ut alibi memoravi, adgressus sit, jam integrum manum Cornelio Gallo posuit. Sanè cùm res ejus gestas, fortunæ casus, scriptaque summo studio pertractaverit, ea eruditio nis copiâ & argumentorum pondere patriam afferuit, ut Forolivienses Scriptores ad incitas redegisse non dubitem. Rursus parcant Forolivienses, si eos amicè compellavero, ecquâ tandem auctoritate etiam Berengarium Everardi Ducis Foro julienensis filium, Italæ Regem & Imperatorem, Civitate suâ donaverint, eiusque simulacrum in parte urbis illustriori decreto publico collocaverint? Haud equi-

equidem credam, doctos nobilissimæ eius urbis cives, quorū non paucos impensè colo, ut tam grandem fabulam murī agerent, suffragiis suis permisisse. Neque enim iis palatum ità malè sapit, ut posthabitum tot gravissimis Scriptoribus, Alexandrum Paduanum sequi velint, in historiâ adeo hospitem, ut in commentar. Plinii apud Ughellum Italix Sacrae tom.2. col.607. non tam Cornelium Gallum & Berengarium, cui satis insulsè cognomen *de Berengariis* affigit, sed etiam Paullum Diaconum, qui ipsem luculenter scribit se Forojulii ortum, ciuem Forolivensem faciat, eumque vocet *Paulum Vamfridum Diaconum Papensem*, quem Paullum Warnefridi Diaconum Aquilejensem omnes sciunt; subdatque *libros quatuordicim historiae Eutropii* addidisse, hoc opus incertum ei tribuens, illustriori alio, eoque genuino & vero, historiæ Longobardorum, vel ignorato vel abjudicato. Sed vereor, ne ego quoque ineptus sim, qui hujusmodi nugas diutius persequor.

Interim dum res nostras nobis reposcimus, binos hos quoque lapides, quos Gruterus ex Appiano & Scardeonio pag.379. 5. & 858. 10. Patavio liberaliter donat, in nostram urbem inferamus. Eques Ursattus monum. Patav.lib.1.sect.2. p.47. ingenuè fatetur se nescire, quomodo *Paduae in Foro Julii* apud Gruterum secundus collocetur, cum nullum Patavii sit Forum, Julii nomine, & minus in Foro Julii Patavium situm sit. Marcanova utrosque *ad Cividatum Forojuliensis Patriæ ciuitatem* collocat. Hinc puto erroris fons. Nam descriptores pro *Patriæ*, quo titulo donatur Forojuliensis provincia, scripsierunt *Paduae*. Omnium pessimè deceptus est Sigonius qui secundum Feltriae adscribit, lib.3. de iure Ital. cap.3. in fin. At lapides satis iam evagari coactos, patriæ suæ restituamus. Extant Foro Julii non longè ab Ecclesiâ S. Dominici, ad portam semirutam interni antiquissimi murorum *Civitatis ambitus*.

I
C. ARRIVS. C. F
MONVMENT
SIBI. FIERI. IVSSIT
SEX. ACILIVS. C. F
HERES. FECIT

2
Q. CAEDIVS. P. F.
PVP. SEXVIR
TERGESTE. V.F
VINISIA. Q. F. MAXVMA
VXOR
APVSIDIA.C.F. SECVNDA
MATER
CAEDIVS.P.F.FRATER

In utroque cognominis defectus potentissimum vetustatis est indicium. Gruterus in secundo post literas P.F *Publii filius*, addidit PVB. tanquam hæc nota esset tribus *Publiciæ*. Nostri scriptores, & Lazius de Rep. Rom. lib. 12. sect. 6. cap. 2. legunt IV. P. quam notam numeralem & iunctum elementum nemo, ut arbitror, extricaverit. Nuper curavi exemplar correctum ad me trasmitti. At exscriptor queritur detritos esse characteres secundi versus, quos ipse ita reddidit, PVP. ita tamen ut flexus primæ literæ penè oculos fugiat. Ultima facilè inferiori sui parte exesa in B. transit. Quare libenter PVB. cum Grutero repono. Nam & colonia Tergeste, in qua Cædius munere Seviratus funetus dicitur, in Publiciâ tribu censebatur, ut testimonio aliorum lapidum ostendit Pater Irenæus à Cruce, qui typis Venetis historiam Tergestinam anno 1698. Italico sermone edidit, lib. 2. cap. 6.

At extra septa tribus *Scaptiæ* satis iam aberravimus. Duo supersunt monumenta, quibus in eam fuisse coniectos colonos Foroijulienses ostenditur. Primum, inter maiorem Ecclesiam & turrim eius sacram collocatum, uti est fædè lacerum & detritum producimus. Alterum integrum visitur in domo Nobb. de Frumentinis, quæ paternis meis ædibus continens est.

I	
.....	F. SCA
.....	TI
.....	III. AVG
....	PATRONO. ET
P. FABIO. P. L. VERECVNDO	
FIL. AVGVSTALI	
P.FABIUS. P.L. PHILETVS	T. SVTTIVS. L. F. SC
IIMI. VIR. V. F. ET	ATTEIA. L. F
FABIAE.P.L.FESTAE CONIVGI	POSILLA. VXOR
ADAVCTO. FIL. ANN. XX	M. T. F
FELICI. FIL. P. LIB	
FABIAE. P.L. COMPSE	
LIB. LIBQ	

*Huic supposita est ingentis magnitudinis arca sepulcralis, cum inscriptione,
LIBQ. POSTERISQ. EORVM*

Jam hisce Inscriptionibus incisas notas SCAPT.
SCA.SC.post nomina Vettidii, Sutii, & hominis alterius, quem abstulit vetustas, significare tribum SCAPTIAM, atque in eam Foroiulienses fuisse cooptatos, nemo in dubium vocaverit. Una hæc fuit ex tribibus rusticis, adeoque nobilior, ut ostendebam ad lapidem M. Aquilii in fine cap. 2. *Scaptiam dictam* refert Pompeius Festus ab Opido, quod Plinius lib. 5. cap. 5. in Latio numerat. Addita fuit simul cum Metia A.V.42 1. propter novos cives censos, uti narrat Livius lib. 8. cap. 17. Hos inter fuere Aricini. Gens Octavia Ariciae ortum suum debuit, teste Suetonio in Aug. cap. 4. Unde cum hic ipse Auctor cap.40.scribit, Augustum *Fabianis & Scaptiensibus tribulibus suis die comitiorum singula millia nummum divisisse*, Scaptia tribus intelligenda est gentilis familie Octavie, Fabia Julie, in quam Augustus iure adoptionis transferat. Hinc non levis accessio dignitatis Foroiuliensibus Colonis, quod hunc Imperatorem contribulem numeraverint. In partem quoque honoris sibi vertunt, ius mittendi suffragii in Romanis comitiis commu-

ne

ne habuisse cum nobilissima Coloniâ Florentinâ. Plerasque Inscriptiones affert Vincentius Borghinus lib. de origine Florentiaæ pag. 287. additque alias Valerius Chimentellus de honore Bisellii cap. 3. quibus eam Urbem Scaptiæ tribui fuisse censam demonstratur. Nos hic alteram apponimus, quæ nondum iuris publici effecta est.

M. MVNATIVS

M. F. SCAP.

ETRVSCVS FLORENTINVS

VIXIT. ANN. XIIIX

Q. MVNATIVS

MILES. CHOR. VII. PR.

FRATER. POSVIT

Utini en Aquileja apud Nobb. de Gurgis.

In tractu Foroiuliensi duæ reliquæ Coloniarum, quas cum Foroiulii Ptolomæus nominat, *Aquileia & Concordia*, uno fati crimine simul excisiæ, utrisque solo nomine adhuc superstite, diversis tribubus censæ fuerunt. Forum Julii Scaptiæ addictum mox vidimus: Aquileiam *Velina*, Concordiam *Claudiæ* tributas reporio. Id cum lapidum indicio ostendo, simul originem utriusque Coloniarum paucis expōnere, non alienum arbitror ab instituto, quo res Foroiulienses illustrandas ex natâ occasione suscepī. De Aquileiensi parum fuit laborandum, cuius deductionem disertis verbis tradidit Livius. *Illud agitabant, inquit lib. 39. c. 55. uti Colonia Aquileia deduceretur; nec satis constabat, utrum Latinam, an civium Romanorum deduci placeret.* Postremū Latinam potius deducendam Patres censuerunt. Libro proximè in sequenti cap. 34. *Aquileia Colonia Latina eodem anno (V. C. 569.) in agro Gallorum est deducta.* Tria millia peditum quinquagena iugera, centuriones centena, centena quadragena equites acceperunt. Triumuiri deduxerunt P. Cornelius Scipio Nasica, C. Flaminius, L. Manlius Acidinus. Huius mentio est in lapide Patavino, quem Gualdus

Vi-

Vicetiam exportavit, hodie maiori ex parte detritum, teste
Vrsatto in monum. Patavin. lib. 1. sect. 7. L. MANLIUS.
L. F. ACIDINUS. TRIV. VIR. AQVILEIAE. COLO-
NIAE. DEDUCONDÆ. Palladius lib. 2. cum apud Li-
vium legisset, Latinam coloniam Aquileiam deductam,
putavit ex Latinis hominibus conscriptos fuisse Colonos,
quod, inquit eos *proximis Carthaginensium bellis absumptos*,
eo oblato beneficio Romani sublevarent, & ad sociorum ani-
mos conciliandos, pag. 32. & 33. At minus recte. Nam La-
tinæ coloniæ dicebantur, non quæ ex Latio, sed quæ ius
Latii seu Latinitatis acceperant; civium vero Romanorum
quæ donatae erant iure Quiritium. Qua de re luculenter Si-
gonius lib. 2. de antiquo iure Ital. cap. 3. quem sequuti sunt
plerique omnes sacræ antiquitatis Mystæ. His quoque ea
sedet opinio, Latinas colonias, saltem ante legem Iuliam,
iure suffragii caruisse; nam cives in Latinam coloniam de-
ducti civilitatis iura amittebant. Quamobrem Aquileia La-
tina colonia, non statim à deductione A.V. 569. in ius suf-
fragii fuit admissa, & in tribum *Velinam* conscripta; sed
eunc demum cum Civitatem Romanam adepta est. Idem
Palladius initio lib. 5. scribit, eam fuisse Augusti Cæsaris
in Aquileienses animi propensionem, ut primus Coloniam
Civitati Romanæ donaverit. Serius quam par est, uti arbit-
tror. Nam antè Augustum Julius Cæsar Gallis trans Padum
Civitatis ius dedit, ex Dione supra laudato; ad quod res-
pexit Strabo lib. 5. pag. 210. ubi ait: *Tandem etiam cum Ro-*
mani Italos in societatem civitatis recepissent, placuit eodem
honore dignari Gallos Cisalpinos & Venetos, omnibusque
Italorum & Romanorum nomen tribuere: ne dubitaremus
sub nomine Gallorum, quo utitur Dio, venire etiam Ve-
netos. Quare tunc saltem Aquileienses, qui Venetis ac-
censebantur, Civitate Romanâ donati sunt. Tunc igitur
adepti etiam ius suffragiorum, ut agnoscerent in quam
tribum suffragia in comitiis Romanis mitterent, in VELI-
NAM adscripti fuere. Docent vetusta monumenta. Alte-

rum produxi in dissertatione de Beleno p. 263. ubi L. Cornelius VELL. (frequentiū & rectiū simplici L scribitur) nempe ex tribu *Velini*, idemque AQUILEiensis dicitur. Celiæ aliud extat huiusmodi ex Grutero pag. 857. 4.

ANTONINO. VELINA
AQVILEIEN. ET
T. ANTONIVS RESPECTVS
AMICO. OPTIMO

Dedit tertium Fabrettus, cui inter nomina plurium militum Urbanorum hoc quoque insertum legitur cap. 4. p. 340. M. ACILIUS. M. F. VELINA MARCELLVS. AQVILEiensis. Tribus *Velina* cum Quirinâ A. V. 512. addita, ex Livio in epitome lib. 19. triginta quinque tribuum numerum explevit. Horatius lib. 1. ep. 6.

— — — *Hic multum in Fabia valet, ille Velina.*

A lacu Velino in Sabinis nomen accepit.

Quæret quispiam quot numero ea fuerint iugera Colonis Aquileiensibus ex Livio assignata, & quotam agri Aquileiensis partem occupaverint? Curiosior fortasse nostrisibus hæc futura indagatio, quibus regionis facies, situs, positio, locaque omnia sunt perspecta. Ut iis faciam satis, Mensorem agrorum & Finitorem, seu ut verbo Ciceronis utar, Decempedatorem agam. Ævo Reipublicæ una Legio quaternis millibus peditum, sexaginta Centurionibus, Equitibus tricens constabat, uti ostendit Lipsius de militia Rom. lib. 2. dial. 5. 6. & 8. Cum Aquileiam tria millia peditum deducta fuerint, ex Livii verbis recitatis, hac ratione Centuriones 45. Equites 240. veniunt computandi. Hinc si quinquagena iugera peditibus, centena Centurionibus, centena quadragena Equitibus, eodem Livio teste attributa fuerunt, prodit iugerum summa 228000. Unumquodque iugerum pedes habuit quadratos 28800. (ex Goesio in dissertat. de antiquit. agror. post Sciptores

de re Agraria ab ipso editos cap.6. firmatque Fabrettus ex insigni lapide Portuensi 595. cap.3.) seu passus itidem quadratos 1152. qui in summam antedictam iugerum ducti, reddunt aream passum quadratorum 262656000. cuius singula latera continent passus 16000. neglectâ fracturâ, seu milliaria sexdecim. Jam verò cum in agrorum assignatione nihil amari aut incerti soli, nihil ardui & confragosi intervenierit, si paludes, flumina & torrentes qui in latissimos alveos his regionibus expanduntur, nec non silvas, quæ cultui idonea non essent, & præterea loca publica, subseciva, relicta, & insoluta, aliaque id generis non assignata Colonis in distributione, de quibus passim Scriptores de re Agraria in collectione Goesii, si hęc, inquam, omnia addas, & intermisceas territorio puro colonis tributo, facile intelliges nimium ultra xvi. mill. quoquoversus illud ita auctum excurrisse, ac maximam partem provinciæ Forojuliensis, ut quisque regionis peritus putare poterit, occupasse. Nec mirum uberiorem hanc agri distributionem Aquilejensibus factam (legimus enim terna aut septena ut plurimum, aliquando vicena jugera peditibus, quadragena equitibus, & ut summum Bononiam deductis Colonis septuagena fuisse attributa, imò Coloni eodem anno, quo Aquilejæ, quina Graviscæ & Mutinæ, octona Parmæ acceperunt) nil mirum, inquam, amplissimum hunc agri modum Aquilejensibus constitutum, quippe nuper Gallis depulsis universa regio vacua ferè habitatoribus, cultoribusque destituta (nam frequentes indigenas haud fuisse coniicio ex oratione quam Galli ipsis in Senatu dixerunt apud Livium lib.39.cap.54.) reperiebatur. Porrò cum ob insequita Istrorum bella, Aquileia civium infrequentia, agerque solitudine laboraret, postulantibus Aquilejensium legatis, verba sunt Livii lib. 43. cap. 17. ut numerum Colonorum senatus augeret, mille quingentæ familiæ ex Senatus consulto scriptæ, Triumvirique, qui eas deducerent, missi sunt, T. Annius Luscus, P. Decius Subulo, M. Cornelius Cethegus.

Hæc acta sunt anno V. C. 581. Ingens is numerus Colonorum, majorque sane quam in primâ deductione. Coloni itâ noviter deducti appellabantur *Adletti*, & *Adiuncti*.

Colonia *Concordia* Plinio in Venetis collocatur lib. 3. cap. 18. Ptolomæus eam Carnis accenset, loco superius recitato. Profectò regionem Carnorum eousque protensam nequaquam arbitror. Nunc in Foro juliensi provinciâ ad utramque Romatini fluminis ripam vestigia urbis supersunt, manetque loco priscum nomen, apud Scriptores haud incelebre. Lapidès quoque literati vetustatem loquuntur, vel inibi adhuc extantes, seu in proximum Portum Romatinum, vulgo *Porto Gruaro*, exportati. Horum frequenti testimonio discimus coloniam *Concordiam* in tribum *Claudiam*, quæ Romæ inter præcipuas ab eadem gente nobilissimâ nomen acceperat, fuisse adscriptam. Exempla profero accepta nuper ab Henrico Altano ex Comitibus Salvaroli, qui maiores suos plurimâ eruditione, studiorumque amœniorum cultu egregiè refert.

¹
C. AQVILIVS
C. F. CLA. MELA
EX. DECVRIA
ARMAMENTARIA
QVINQUE. VIR. BIS
FIERI. IVSSIT.

²
MEMOR. P. TERENTI
L. F. CLA. AED. II. VIRI
T. VETTIVS GNESIVS
IN. OPVS. ORNAMENT
HS. CCC. DED. XX. PR. D.

³
T. TREBELLENO. L. F
CLA. RVFO
Q. TR. PL. LEGATO
CAESARIS. AVGVTI
PLEBS

⁴
T. DESTICIO
T. F. CL
IVBAE. C. V
PRAETORIO
ORDO. CONCORD
PATRONO

Monendi sunt qui primam inscriptionem apud Gruterum pag. 100. 7. legerint, perperam in fronte perscripsum

ptum esse nomen CONCORDIAE , tamquam huic deæ dicata ea fuerit : ideoque & falsò in classem Diis dedicato rum lapidum coniectam , atque in indice Deorum Dearumque , verbo Concordia signatam . Cùm in exemplari hoc nomen Concordia , locum ubi saxum reperiebatur , denotans , Gruterus vel Pighius , à quo ipse habuit , offendissent , Deam pro Urbe importunè invexerunt . At nescio quomodò etiam Rbegii nomen irrepserit , quasi in hac urbe extet . Non insolens est collectoribus inscriptionum eiusmodi lapidum transplantatio .

Itaque hisce tabulis scripta tribus *Claudia* , Concordiam coloniam eidem fuisse censam indicat . Apertius idipsum colligimus ex aliâ C. Lælii mox producendâ , in quâ post tribum *Claudiam* notatur etiam patria *Julia Concordia* . Porrò cives Concordienses , dum ruri agerent , sepulcris sculpserunt tribum , ut inde patriæ indicium maneret . Bina profero epitaphia diuersis locis prouinciæ Foroiuliensis reperta , vicesimo , ut minimum , milliari à Concordiâ . Primum extat in splendidâ Villâ , vulgo *Susans* , Marchionis de Colloredo , quam familiam domi forisque illustrem , amplioribus hodie pietatis , religionis , ceterarumque virtutum titulis exornatam dicerem , nisi Eminentissimi Card. Leandri modestia deterreret . Alterum statuæ marmoreæ subscriptum visitur propè Ecclesiam Castris Tricesimi , quod inde nomen sumpsit , quia tricesimo ab Aquileia lapide occurrit , uti adnotatur in itinerario Antonini : *Aquileia. Ad Tricesimum xxx. Iulio Carnico xxx.* Quas distantias hæc loca , adhuc iisdem nominibus vocata , retinent .

¹ T.VERATIVS. T.F.CLA V.F. SIBI. ET. SVIS VALERIA. C.F. QVARTA	² L.TUMBILICIVS A. F. CLA. L. Q. Q. V. P. XXX.
--	--

Vtrasq; inscriptiones dedimus Fabretto , qui eas profert c. 3 . p. 242. ad ostendendam earum vetustatem , cùm cognomine careant . Familia Tumbiliorum ignota est Antiquariis . Litteras

teras singulatias postremi versus ita explicabis : *Locus quoquoversum Pedes xxx. Area scilicet sepulcri versus omnes partes triginta pedes continebat.*

In primo ex recitatis elogis Concordiensibus , C. Aquilius *Quinque Vir ex Decuria armamentaria dicitur.* Corpora & Collegia in Decurias ordinata legimus. *Decuriae* iiii. *Scamilariorum* , pag.467. 7. *Decuriales Decurie Consularis* , pag.36. 6. & pag.830. 10. *Lictorum Decurie tres*, pluresque similes saxa antiqua produnt . Decuriæ dicebantur etiam de pluribus quām decem, ut notarunt Reinesius Class. 1. 19. & Fabretius cap.6. pag.449. At verò quid *Decuria armamentaria?* Statim conicias, corpus hoc fuisse artificum armis publicis fabricandis institutum . Redè hoc quidem : sed ulterius coniecturā provehor. In imperio Romano plures erant fabricæ armorum : nec tamen omnia armorum genera in singulis fabricis , paucis exceptis , fiebant, sed certa in diversis . Inter fabricas Italiæ , quas auctor Notitiæ imperii Occidentalis nominat , prima occurrit *Fabrica CONCORDIENSIS SAGITTARIA* ; inde Veronensis Scutorum, Mantuana Loricaria &c. Apud eundem quoque legitur *schola Scutariorum*, *schola Armaturarum* &c. Itaque Concordiæ Decuria armamentaria erat schola seu corpus artificum fabricandis Sagittis destinatum. Cui quidem corpori seu Decuriæ Aquilius bis *quinq. Vir præfuerat.* Corpora enim artificum & collegia præcipios aliquos eligebant, *Patronos & Præfectos*, quos etiam *Magistros* appellatos alibi diximus .

Magistratus Concordienses aliquot memorantur ceteris inscriptionibus. P. Terentius AED. II. VIRI, nempe *Ædilis*, & *Duumvir*. T. Trebellenus Q. T. PL. *Quæstor*, *Tribunus Plebis*, qui *Legatus* quoque *Cæsaris Augusti* signatur. Unde apparet ab hujus ævo iam illustrē hanc coloniam, quę viros dederat summis in Republicā honoribus perfunctos . Nec mirum Augusti benevolentiam demeruisse, quem conditorem suum habuit, ut mox ostendam . Alium V. C. hoc est

Virum Clarissimum T. Desticium Iubam, quem sibi Ordo Concordiensis, nimirum Decuriones, Patronum adoptaverant, signat quarta inscriptio. Prætorius is vocatur, quod Prætoris illustrem dignitatem fortasse Romæ gesserit. Eiusdem mentio est in alio lapide agri Concordiensis.

D. M
 DEST. PHILENIDI
 ANN. XXX
 LIB
 T. DESTICI
 IVBAE. C. V.
 POTENTINVS. SER. FEC.

Desticius Philenides Libertus erat Desticii Jubæ (nomine quæsito à Patrono) cui demortuo sepulcrum posuerat Potentinus Servus eiusdem Iubæ. Gens Desticia incognita est Antiquariis : quocirca bina hæc elogia, quorum nos ei copiam fecimus, novis familiis inseruit Fabrettus cap. 9. pag. 618. Seviros quoque Concordiæ creatos hoc lapidis fragmentum monstrat, translatum in proximum Portum Romainum ad D. Mariæ Annunciatæ .

. NNIVS L. F
 RVNCHO
 IIII. VIR. D

Saxis debemus servatam coloniæ Concordiæ illustrem JVLIAE appellationem. Eorum alterum hisce verbis sculptum visitur.

M. ARMONIO
 M. L. ASTVRAE
 PATRONO. SEX. VIR. FORO
 CORNELI. ET. SEX. VIR
 IVLIA. CONCORDIA
 M. ARMONIO. M. L. AVCTO
 OPPONAI. C. L. TERTIAI
 M. ARMONIVS. M. L. SALVIUS
 SEX. VIR. IVLIA. CONCORDIA
 TESTAMENTO. FIERI. IVSSIT

Exscribit etiam Gruterus pag. 365. i. apud quem aliud quoque reperies Romæ extans cui tribus *Claudia* signatur, pag. 549. 7.

D. M
 C. LAELIO. C. F. CLAVD
 EXORATI. ^{sic} DOMO. IVLIA
 CONCORDIA. EQVO. PVBLICO &c.

Semel iterumque in primo epitaphio *Concordia* vocatur *Julia*, in quâ ex gente Armonia duo Liberti *Astura* & *Salvius* Seviratus honore perfundi sunt, quem *Astura* in urbe etiam Foro Cornelii gesserat. Vocabulum *Domo* in secundo significat patriam, cuiusmodi formula passim occurrit in antiquis militum monumentis, *Domo* Ateste pag. 536. 5. *Domo* Brixia, 192. 11. & 534. 1. Quod etiam D simplici indicabatur, ut D. INTIMILIO, exemplo statim proferendo. Alia quamplurima utriusque formulæ dabit Gruterus. Nudo quoque loci vocabulo post tribum Patria militum expimebatur, auferendi casu, ut VERO-NA pag. 568. 1. *BONONIA* num. 6. & passim apud eundem illustrem Collectorem. Utriusque Urbis bina alia monumenta nondum vulgata profero, quæ cum mox laudato, Aquileiâ, ut testatur Capodaleus, Utinum translata, visuntur in Ædibus Nobb.de Gurgis.

C.AL-

C. ALBVCIVS. C. F
 FAL. D. INTIMILI
 M. CHO. VIII. PR. M. A
 XVII. V. A. XXXV
 H. S. EST

C. FABIVS
 C. F. PVBLI
 VERONA
 MILES. LEG
 VIII. HISP

M. CALVENTIVS
 T. F. LEM. BON
 MIL. CHOR. VIII. PR
 MILIT. ANN. VII
 VIXIT. ANN. XXIX

Veronenses tribui *Publiciae*, seu *Pobliciae*, Bononienses *Le-*
moneiae fuisse adscriptos, satis est notum. Intimilium quæ
 urbs Liguriæ est, in Falerinam cooptatum ex primo epitaphio
 discimus. Cujus notas compendiarias ita explicabis.
Cajus Albucius Caii-filius Falerinæ, domo Intimilio, miles
cobortis octavæ Prætoriæ, militavit annis xvii. vixit annis
xxxv. Hic situs, vel sepultus est. Itaque C. Lælio Romæ de-
 mortuo patria *JVLIA CONCORDIA* fuit; cui tribus
CLAUDIA jungitur, ne dubitare possis, aliam à nostrâ
 hanc esse. Nam iisdem nominibus appellatas alias colonias
 reperimus. *Juliam Concordiam* Plinius collocat in Bæticâ
l.3.c.1. Literas has singularias *C.C.I.H.P.A.Col. Concordia Iulia Hadrumentina Pia Augusta*, explicatas leges apud
 Harduinum de nummis popul. & urbium. Et in nummo
Juliae Domnæ apud Vaillantium de Colonis tom. 2. p. 17.
 nominatur *COL. JVL. CONC. AVG. APAM. Colonia*.
Julia Concordia Augusta Apamea. Alias quoque simplici
Concordiæ nomine vocatas reperies. Has alii sollicitent:
 mihi in nostræ scrutandâ origine satis negotii est.

Cùm interfecto Cæsare, Octavius, Antonius, & Lepi-
 dus, post Mutinensem pugnam, specie Reipublicæ con-
 stituendæ triumviratum conflassent, ut exercitus spe præ-
 mii allicerent, octodecim Colonias militibus promiserent,
 ex Appiano de bell. Ciui. lib. 4. pag. 590. Confecto bello

Philippenſi, quo Brutus & Cassius proſligati ſunt, Octavius milites deduxit, transcriptis legionibus XXXIV. non tam in eas Colonias, ſed universā propemodum Italiā, lib. 5. pag. 678. & 684. Septem ex his octodecim Colonias numerat Appianus, Capuam, Rhegium, Venusiam, Beneventum, Nuceriam, Ariminum, & Vibonam. Sigonius lib. 3. de antiq. iure Ital. cap. 5. alias undecim producit ex Frontino, ut numerum Appiani expleat. At verè plures quād undecim Frontino recenſentur, à Triumuiris ſeu lege triumuirali deducētæ, ut eius libellum de Coloniis percurrenti patebit. Nam Octavius, ut antè monui, poſthabitā Triumuirū lege, totam ferè Italiam Colonis inundavit. Nec Frontinus ipſe ſingulas tradidit, prætermiſſis earum quoque nonnullis, quas Appianus memorat. At verò neuter Virgilio memoratam Transpadani agri divisionem literis prodidit, quam certum eſt peractam Triumuirorum iuſſu poſt Philippensem victoriam, Donato teste in eiusdem Poëtæ vitā. Hinc apparet, pleraque omnino loca, in quibus Octavius triumvirali lege Colonias induxit, neglecta fuiffe priſcis Auctoribus. Itaque has inter una mihi eſt JU-LIA CONCORDIA, utroque nomine indicium prodente. Cum inter Triumuiros foedus eſſet ſancitum, paſſim rūm ipſi, cūm etiam exercitus muuam in adminiſtrandā Republicā animorum confeſſionem, ex qua pax orbi & ſalus generi humano ſperabatur, expreſſo nomine & ſymbolis Concordiæ, testati ſunt. Exempla ſtatim ſubiiciam. Cūm in noſtrā Coloniam milites inducerentur, hoc iſpum ſignificare volentes, eam Concordiam appellarunt, ſuperaddito Julio cognomine, in gratiam deductoris Octavii, qui in hanc familiam per adoptionem tranſierat. Sanè nomen unum alterius originem prodiit; atque uterque vi- ciſſimi muuam ſibi lucem foenerat. Concordiam peculiari aliqua occaſione vocatam facile agnoscis. Quæ alia eſſe nequit, quam quod in triumuiratu ſit deducta; hocque ea profeſſio ratione quia etiam Julia fuit appellata. Beneven-tum

tum *Colonia Concordia* dicta est, Frontino teste in lib. de Coloniis. Imò *Julia Concordia* ex insigni lapide apud Fabbrettum cap.2.pag.105. cuius partem recito. **COLONIA JULIA CONCORDIA AVG.FELIX.BENEVENTVM DEVOTA MAJESTATI &c.** Jam Beneventum Coloniam inter triumuirales ab Appiano numeratam vidimus; agrumque ejus triumuirali lege veteranis assignatum, testatur Frontinus. Quare *Concordiae* nomen non aliundè sortita est, quam quòd vigente inter Triumviro^s concordiâ fuisse deducta; & exinde quoque *Julium* cognomen ab Octavio deductore, cui additum multò post aliud Augustæ, ut à Coloniis Julii Cæsaris securius distingueretur. Exemplum certè ad originem nostræ *Concordiae* illustrandam aptius nullum esse potest. Nec animum despondeo, quòd docti aliqui viri scriperint, Colonias Julias, nisi additum præferant Augusti nomen, omnes à Julio Cæsare esse. Nam ea opinio omnino falsa est, cùm *Julium* cognomen coloniis impositum tūm eas designet, in quas Julius Cæsar colonos adscripsit, tūm etiam alias, quas Augustus deduxit; uti disertè docet Card. Norisius *Cenotaph. Pis. diss. I. cap.2.* firmatque Pater Harduin in *Antirrheto* pag.35. Nobis nulla caussa est, cur *Concordiam* *Juliam* ad Cæsarem referamus; plurima in Augusto emicat, ut ostensum est, & rursus demonstro. Dixeram frequentibus monumentis constare, Triumviro^s Octavium, Antonium, & Lepidum, ut pactum inter se foedus, animorumque concordiam significant, nomen ipsum *Concordiae* & symbo^{la} per vulgasse. Numimus est apud Oiselium tab.78. nu.6. in quo cernuntur Triumviri stantes ante tripodem, & foedus de imperio Romano inter se dividendo ineuntes: ad pedes sedet **CONCORDIA**, sinistrâ *Caduceum*, & dextrâ *Cornucopiae* tenens, additâ epigraphe: *Salus generis humani*. Designare volentes, inquit Auctor, quòd per concordiam Triumvirorum, omnium terum abundantia ac pax, denique *salus generis humani* procurata fuerit. In proximè

nè in sequenti signantur tres dexteræ invicem junctæ & implicatæ complectentes caduceum & fascem: quo schemate designatur, ex Triumvirorum concordiâ orbi terrarum felicitatem & pacem, quam caduceus indicat, nec non justitiam, quæ fascibus monstratur, promanare. Eadem symbola præferunt denarii apud Ursinum in familiâ Antoniâ tab. 6. & Arescotanus tab. 8. num. 9. cum inscriptione: CONCORDIA EXERCITUM. Quæ inscriptio scalpta quoque est in altero Antonii apud Co: Mediobarbum p. 16. ubi pag. 11. producuntur alii nummi Lepidi, nexus manuum præferentes, & caput dæx Concordiæ velatum cum epigraphe: CONCORDIA. Eundem denique typum ostendit denarius Mussidii Longi, quem cùm esset Triumvir cudendæ monetæ, confлавit, inscriptis hisce characteribus in parte antica: CAESAR LEPI. ANTON. III. VIR. R. P. C. Triumviri Reipublicæ constituendæ: in postica autem expresso capite & nomine eiusdem dæx Concordiæ, quo, subdit Mediobarbus pag. 23. Triumvirorum concordiam signare voluit Mussidius. Pervulgatam igitur totque argumentis ubique ostentatam Triumvirorum Concordiam, quid mirum deductas etiam eorum auspiciis Colonias, unam & alteram, præsetulisse, nomenque CONCORDIÆ impositum voluisse in ænum posteritati transmittere.

Ceterum cùm Concordiam Coloniam ab Octavio Cæsare in triumviratu deductam abundè satis ostenderim, haud admodum vereor coniectando opinari, tunc quoque in proximum Forum Iulii Colonos traductos, eoque illud tunc temporis in Coloniæ nomen & prærogativam transiisse. Quam sanè Urbem, ut portò, præter Tribus assignationem, de qua iam dixi, aliis quoque prærogativis iuribusque Colonicis honestatam demonstrem, vetusta eius saxa, quæ olim dimiseram, rursum pertento, signatosque ipsis Magistratus & Sacerdotia, in Romanum morem atque institutum usurpata, aggredior. His subinde interseram eiusdem argu-

argumenti Aquilejensia monumenta inedita, ut hoc saltem novitatis illicio fastidium legentium utcumque demulceam.

In primo Forojuliensi lapide pag. 331. T. Vettidius III. VIR. IVRI. *Quatuorvir iuridicundo signatur.* In coloniis & municipiis summus erat magistratus Duumvirūm, vel Quatuorvirūm, qui iudiciis disceptandis præsidebant. Iis etiā politica administratio demandabatur. *Quatuorviri* nostram coloniam regebant: quam reipublicæ gerendæ formam Forojulienses induxisse imitatione proximæ Aquileiensis coloniæ, nullus dubito. In uberrimâ inscriptionum Aquileiensium collectione, de qua olim memoravi, nusquam Duumviri, sèpius *Quatuorviri* comparent. Earum aliquot exempla in dissertatione de Beleno, & Diis Aquileiensibus dedi, nunc cetera produco.

I

K. NOVEMBR. L. NONIVS. R^VFINVS. POMPONIANVS
Q. VESONIVS. FVSCVS. P.I.D. SCRIB. ADF. LVCRETIVS
HELVIANVS. M. TREBIUS. PROCVLVS. L. CAMMIVS
MAXIMVS. S. C. CVM. PRONA. VOLVNTATE
HONESTISSIMO. ANIMO. VLTRO. CALVIUS
POLLIO. III. VIR. I. D. IN. PROXIMVM. ANNVM
PROFESSVS. SIT. QVO. FACTO. HESITATIONI
PVBLICAE. IN. PARTEM. MORAM. ADEMERIT
PLACERE. EI. QVO. MAGIS. ETIAM. CETERI
AD BENEFACIENDVM. IN. RE. PVBLICA
PROVOCENTVR. STATVAM. EQVESTREM
AVRATAM. IN. FORO. N. PONI. CENSVER
PRIM. CENS. C. LVCRETIVS. HELVIANVS.

Aquilejæ ad S. Joannem.

2

A. LVCRETIVS. C. F	
ATTALVS	
C. LVCRETIVS. A. F	
SEC. PETRONIA. C. F	
A. LVCRETIVS. A. F	
III. VIR.	

*In Castro Luferiaci Comitum
de Andreucciis.*

4

VERVS	
ÆD. III. VIR	
QVINQ. PONT	
CVM. PRISCILLA	
FIL. D. D	

In Temario domus ad duas Tres.

3

FRVCTITIVS. M. F	
III. VIR. I. D. QVINQ.	
III. VIR. I. D.	

*Aquil. ad S. Andreæ Ecclesiam nunc
dirutam.*

5

C.LVCIVS.C.F.MANIACVS	
VETTIA. M. F. FIGVLI	
M. LVCIVS. C. F	
C.LVCIVS.C.F.MANIACVS	
III. VIR. I.D.POPVLI.BENEFICIO	
C. LVCIVS. C. F. F.	

In pago Cerviniani prope Aquilejam.

In primo lapide, inter illustriora vetustatis monumen-
ta repondendo, quemque styli cultus ævo purioris latini-
tatis scriptum arguit, notabis magistratum Quatuorvirūm
Aquilejæ fuisse annum; nam Calvius Pollio *ultrò in proxim-
um annum illum iniit. Quocirca statuā equestri auratā pu-
blico decreto donatus fuit. At in postremo C. Lucius Mania-
eus ad Quatuorviratum populi beneficio evectus dicitur. Sanè
in coloniis jus creandi magistratus penè Decuriones ste-
tisse, imò etiam auctoritatem condendi decreta, licet ali-
quando ipsa plebs sententiam rogaretur, certum est. At
ubi aliquis ex civibus colonicis, vel ob rempublicam opti-
mè administratam, vel ob munera liberaliter exhibita po-
pulum demeruisset, hic apud splendidissimum Ordinem
gratiam relaturus magistratum ei impetrabat. Hinc in la-
pide 423. 6. Ligurius dicitur II. VIR. DESIGNATVS.
EX. POSTVLatione POPVLI. pag. 484. 2. Sexto Vencio
monumentum dicat Ordo Vocontiorum EX CONSENSV.
ET. POSTVLATIONE. POPVLI. ob præcipuam eius in
edendis spectaculis liberalitatem. Quòd igitur in nostrâ
Aqui-*

Aquilejensi inscriptione C. Lucius Quatuorviratum consequutus fuerit *beneficio populi*, id ejus postulatione & precibus à Decurionibus imperratum intelligo. Extat inscriptio Beneventana pag. 43.9. in quâ C. Lucius *beneficio Vul-tei Praef. Urb. missus ab Imp. Hadriano* dicitur, ob imperatam scilicet ab Imperatore missionem. Cicero lib. 13. fam. ep. 35. suo beneficio tribuit obtentam à Cæsare civitatem Novocomensem Philoxeno, quem, inquit, Cæsar meo beneficio in Novocomenses retulit. Nos quoque dignitatem vel munus à Principe delatum, ejus qui impetravit, beneficio acceptum profitemur.

At cur in hoc epigrammate C. Lucius quodd quatuorviralem magistratum beneficio populi fuerit assequutus, grati animi memoriam collocat; cùm in superiori Aquilejenses ipsi, posito insigni monumento, gratias suscepti in proximum annum ipsiusmet muneric Calvio Pollio referant? Magistratus in coloniis & municipiis aliquando honori, rursus & oneri quandoque habebantur. Scribantur, ait Ulpianus in l. 1. Dig. de albo scrib. decuriones eo ordine, quo quisque eorum maximo HONORE in municipio functus est, ut putà qui *Duumviratum gesserunt, si hic HONOR præcellat*. Constantius in l. 28. de decurion. Cod. Theod. jubet Magistratum nominari Kalendis Martiis, ut, inquit, *splendidiorum HONORUM munerumque principia primo tempore curentur*. Hinc adepti magistratum, tanquam delati honoris gratiam referentes, largitiones in populum, expensasque munericibus exhibendis ingentes subire non recusabant. Appuleius lib. 10. narrat Thyalum *quinquennali magistratui destinatum, ut splendori capessendorum responderet fascium, munus gladiatorium triduanis spectaculis dedisse*. In lapide Gruteriano pag. 409. 3. L. Fadius ob HONOREM *Duumviratus Venationes plenas & gladiatorium paria xx. edidit*. Venationes plenas malim explicare, omnibus bestiarum generibus, quam spectaculorum, uti placet Gutherio de vet. iure Pontif. lib. 3. cap. 20. refertas. De

Tito

Fito enim ait Suetonius in vitâ cap. 7. *uno die quinque milia omne genus ferarum dedit*. Præterea epulum, honora, sportulas & pecuniam decurionibus, collegiis, & populo inituri magistratum largiebantur. Cuius rei exempla habes ex Plinio lib. 10. ep. 117. Plut. in Sylla & sæpius in inscriptionibus. At huiusmodi expensæ & largitiones iis quibus res domi angusta, vel animus parcior, non arri-debant. Inde magistratus inter onera quoque computabantur, ac ad eos declinandos frequenter occasio quærebatur. Unde cùm de honoribus gerendis agitur, facultates etiam considerandas esse, an sufficere iniuncto muneri possint, ait Callistratus in leg. 14. Dig. de muner. & honor. qua-propter ne decessent qui munera rei publicæ obirent, lege cautum fuit, *ut si quis magistratus in municipio creatus muneri iniuncto fungi detrectet, per Praesides munus adgnoscere cogatur*, in l. 9. eod. tit. Nam fuere qui maiorum honorum evitandorum gratiâ ad Colonos prædiorum se transfulerunt, l. 1. §. 1. de vacat. & excus. munerum. Porrò qui semel magistratu functus fuerat, nec continuare, nec iterum illum assumere tenebatur, leg. 14. 16. & 17. eod. tit. Rursus & alii certis de caassis à muneribus arcebantur, de quibus passim Jurisconsulti in memoratis titulis.

Quòd itaque Lucium lege, vel alia ratione Decuriones Aquileienses à Quatuorviratus honore excluderent, isque sumptus & largitiones ambitionis illecebrâ non refugeret, populi favore ad eundem magistratum sibi viam fecit, beneficiique à populo accepti testimonium monumento exstructo manere voluit. At contrà Calvius Pollio cum superiori anno republicâ bene administratâ, ludisque forsan, muneribusque magnifice exhibitis, desiderium sui apud cives fecisset, nec ad magistratum denuo capessendum cogi posset, & nihilominus pronâ voluntate & honestissimo animo ultrò illum in proximum annum assumpsisset; ideo decreto Senatus Aquileiensis statuam equestrem auratam in foro promeruit. Ita Pisaurienses lapidem posuerunt
C.Sen-

C. Sentio, quod in honore II viratus industrie administrato omnibus plebis desideriis satisfecit, pag. 467. 1. Respublica Tegianensium pag. 484. 6. bigas decretivit Veratio Severiano, quod cum ab honoribus & muniberibus excusari potuisse, nihilominus & honorem adilitatis laudabiliter administravit, & varia spectacula, quæ ibi recensentur, exhibuit, & demum ad honorem quoque Duumuiratus ad cumulanda munera Patriæ libenter accessit. In 352. 1. T. Anchario II. viro biga posita fuit, ob eximias liberalitates & abundantissimas sine exemplo largitiones, & quod ediderit spectaculum gladiatorum, ludos, adiecta venatione iusta ac legitima. Lacunam in exemplari Gruteriano supplevi, additis duabus hisce voculis, venatione justa, ac legitima, ex Suetonio in Claudio cap. 21. ubi ait hunc Cæsarem dedisse anniversarium JVSTVM ATQVE LEGITIMVM in septis, scilicet cum venatione & apparatu, ut paullò ante indicaverat. Idemque venatio justa & legitima esse videtur ac plena, de qua superius dictum fuit. Porrò de statuis auratis, quæ viris optime de republicâ meritis dicabantur, non pauca dicenda essent, nisi plura tradidissent viri eruditii Card. Norisius de Cenotaph. Pisan. diss. 3. cap. 8. & Figrelius de statuis.

Notanda superest in primo eleganti epigrammate sigla P. I. D. quam explico; *Praefectus*, vel *Praefetti*, si ad utrosque ante memoratos, Nonium & Vesonium referatur, *Juri Dicundo*; uti est espressum in lapide Gaditano pag. 195. 4. II. VIR. PRAEF. JUR. DIC. AB. DECURIONIB. CREATUS. Card. Norisius in Cenotaph. Pisan. notas has in nummo Leptinensi, PR. II. VIR. C. V. I. L. ita legit, *Praefectus II. Vir Coloniae Victricis Iuliæ Leptis*. Eodem præclaro opere dissert. 1. cap. 3. doctissimus Auctor putat Praefectos iuri dicundo tunc in coloniis nominatos cum Duumviri vel Quatuorviri ob decurionum dissidia creari non possent. Quæ sanè coniectura ex nostro lapide momentum accipiet, si etiam ad alias caussas interregnū,

Y y

quo

quo durante Præfecti eligebantur, referatur. Cùm Aquilejæ, decurionibus excusationes prætexentibus, nemo esset, qui Quatuorviratum subire vellet, unde orta *bastatio publica*, & Pollio pronâ voluntate ultro se sc̄e magistratui obtulerit, atque ita moram ademerit, quæ eiusdem Magistratus creationem distrahebat, ideo quo magis ceteri decuriones ad suscipienda munia & benefaciendum in re publicâ provocarentur, statuam auratam Senatus Aquilejensis ei decretiv, idque primus censuit C. Lucretius Helvianus, qui etiam inter alios, qui scribundo adfuerunt, superius nominatur. Eam igitur ob moram, cum Quatuorviri creari non potuissent, Præfecti L. Nonius Rufinus Pomponianus & Q. Vesonijs Fuscus Quatuorvirûm iurisdictionem in coloniâ acceperunt. Jam observabam hunc magistratum Aquilejæ fuisse annum: quod etiam in Foro Julii, ubi eadem forma magistratus, in more positum non dubito. Imò de ceteris coloniis id quoque traditur in leg. 1. quemad. mun. ciu. & leg. 16. de Decurion. Cod. Theod. Hinc malè Josephus Scaliger Ausonian. Lectionum lib. 2. cap. 23. scribit, in omnibus municipiis Magistratus maiores fuisse quinquennales, propterea eodem nomine sæpius vocatos, & numerosos in fastis municipalibus secundum lustra. Fortè id verum in quibusdam, non in omnibus. At de Quinquennalibus coloniarum, & municipiorum inferius redibit sermo.

Antequam hunc præclarum Calvii Pollionis lapidem dimittam, quoniam R. eipublicæ Aquileiensis in eo mentio est, alium profero eadem notâ illustrem.

CERVONIA. TICHE
 V. F. SIBI. ET. LIB. LIBQ. POSTQ. EOR
 SI. QVIS. HANC. ARCAM. SIVE. HOC
 MONIMENT. VENDERE. AVT. EMERE
 AVT. EXACISCLARE. VOLET
 TVM. POENAE. NOMINE HS. XX.
 REIP. AQVIL. DARE. DEBEBIT
Arca sepulcralis in platea Aquil.

Vox illa *exacisclare* in quinto versu exsculpta, insolentiâ & novitate viam moratur, poscitque explicationem. Cùm pridem salivam movisset, atque ideo Fabrettum, qui dum viveret mihi sèpè lapidum Oedipus erat, consuluisse, scriptoresque antiquitatum & Lexicographos intentè perlustrasse, non modò interpretationem, sed ne vestigium quidem ullum vocabuli assequutus sum. Unus Sponius hanc ipsam inscriptionem ex schedis Equitis Ursatti producens, *Miscellan. erudit. sect. 9. pag. 294.* verbo nondum extricat: *observanda*, inquit, *vox antiqua exacisclare pro distrahere*. At parum feliciter, si potior est nostra conjectura inferius exponenda. Perperam quoque addidit literam N; & caput non suum inscriptioni affixit, *Patroclorum Ulpius Priscus animæ merenti Cervonia Tyche &c.* Ea enim sunt verba alterius inscriptionis Aquilejensis, que in collectione Capodalei legitur. Notanda iterum eadem vox *exacisclare* in alio Epitaphio Aquilejensi.

ATILIAE. ONESIMENI
 CVM. QVA. VIXI. ANNIS. XV
 CONIVGI. CARISSIMAE
 C. IVLIVS. EPICTETVS. QVI
 ET. FATO. VIVVS. POSVIT. ET. SIBI
 SI. QVIS. POST. DVA. sc CORPORA
 POSITA. HANC. ARCAM. APERVERIT
 AVT. EXACISCLAVERIT. ET. ALIVT sc
 CORPV. POSVERIT. IN. F. L. EL. CONs. M.N.

In postremo versu medias literas vel culpa exscriptoris, vel injuria temporum ignorabiles fecit. Hoc certum continere poenam. Prima nota INF. sublatâ interpunctione, explicatur, *inferet*, ultima M.N. indicat *Millia Nummum*. Ut sit sensus: *inferet poenæ nomine arcæ Pontificum*, vel *ærario*, ut expressum est in aliis, tot *millia nummum*. Itaque *exaciscare* verbum est ab *Ascia*, *Acisculo*, seu *Acisclo* derivatum. In dissertatione M.Aquilii pag. 21. dixeram Vitruvio *Asciam* esse instrumenti genus ad subigendam & macerandam calcem. Præterea in glossis Isidori *asciam* & *asciolam* vocatam quoque *acisolum* & *acisculum*: & *aciscularium* dici lapidicinam. Rursus Meursium exercit. crit. part. 2. cap. 10. legisse in eisdem glossis, *Acisculum* esse malleum structorum. Fabrettus cap. 3. pag. 205. formulam hanc *sub ascia*, frequenter inscriptionibus supulcraribus usurpatam, significare ait, monumenta & sepulcra ex laterito opere, quibus insculpta est, solius *ascia* ope & ministerio constructa fuisse. Si quis igitur monumentum, *ascia* seu *acisclo* constructum, destruxerit, fregerit, vel quoquo modo dissoluerit, is monumentum *exaciscare* dicetur. Nam particula *ex contraria actionem* sibi designat, ut *exarmare*, *exheredare*. Cum in secundo C. Julius ait, *Si quis arcam aperuerit, aut exaciscaverit, & aliud corpus posuerit*, manifestum est, prioribus utrisque verbis vetasse aperitionem & dissolutionem arcæ, ne aliud corpus inferretur. Ita usitatori vocabulo in 4. pag. 383. apud Gruterum dicitur: *Si quis autem infringere vel aperire ausus fuerit &c. Quod recidunt hæc aliae formulæ*, pag. 1056. 1. *Hic si quis removere vos queret, aut aperire, aut aliud corpus invenerit &c.* Pag. 825. 8. *Huic monumento manus qui intulerit &c.* Passim vero violari prohibentur tituli sepulcrales & monumenta.

In eodem secundo epitaphio C. Julii obseruatione digna est ea formula, *Qui fato vivus posuit, & sibi. Quæ monet, ut aliam non minus raram producam.*

Q.SVLP.

Q. SVLP. VXORI. T
NON. LVBENS. FECIT
FATVM. FECIT
Aquil. in Eccles. SS. Felicis & Fortunati.

Titulum

Bina hęc quoque , ex nostris Forojuliensibus, sepulcralium lapidum exempla hic interseram , non vulgari affectuum significatione exarata .

D. M.
REVIDIAE. MARCELLAE
FEMINAE. CASTITATIS
ET. VERECVNDIAE
CVLTV. SINGVLARIS
SEX. EROS
OB. INSIGN. EIVS ERGA
FILIVM. SVVM
In majori Ecclesia .

BENEMERENTI
BVS. AVGVSTO, ET. VRS
ILLAE. QVI. VIXIT. AVGV
TVS. ANNOS. IIII. MENSES. VII
DIES. XII. ET. VRSILLA. ANNOS
III. MENSES. . . . DIES. XV. PARENTES
CONTRA. VOTVM. POSVERVNT
In fronte Ecclesia S. Dominici.

Quòd ad sepulcralia monumenta pertinet , piget hic inserere maximam & oblongam tabulam quæ servatur in interiori sacrâ Ædiculâ Parthenonis antiquissimi S. Mariæ in Valle , ubi plura etiam fragmenta marmororum operis Longobardici visuntur . In eo siquidem duodeviginti Romana nomina sunt exsculpta, fortasse militum, qui simul cęsi commune conditorum in Foro julio acceperunt .

Ut ad Rempublicam Aquilejensem redeam , non eo sensu hoc vocabulum acceptum volo , ut Aquilejam libera- ram Civitatem & nullius imperio obnoxiam indicet; quod nostri

nostrī Scriptores videntur existimasse , cum perperām recitāt epistolam Senatus Romani apud Vopiscum hoc modo: *Senatus amplissimus Aquilejensibus. Ut estis liberi, & semper fūisti, laetari vos credimus &c. eā enim formulā usus est Senatus tantummodo in epistolā ad Trevirenſes. Senatus amplissimus Curiae Trevirorum. Ut estis liberi &c. & sanè Treviroſ vocat liberos Plinius lib. 19. cap. 17.* Subdit deinde Vopiscus in Floriano cap. 5. eodem modo scriptum est *Antiochenſibus, Aquilejensibus, Mediolanensibus &c.* Non tamen, uti arbitror, iisdem verbis libertatem præferentibus, sed tantū quod rei præsentis erat, Senatus iis civitatibus gaudium significavit ob creationem Taciti Imperatoris. Quippe nulla Italicarum urbium, saltem post adeptam Civitatem Romanam, libera erat. Agellius lib. 16. cap. 13. *coloniarum alia necessitudo est. Ex Civitate quasi propagata sunt; & jura institutaque omnia populi Romani, non sui arbitrii habent.*

Hinc lapsus quoque est P. Irenæus à Cruce, qui quodd in inscriptione M. Severi, quam recitat etiam Gruterus pag. 108., Tergeste *respublica* vocata sit, eam coloniam tunc temporis veram Rempublicam, propriisque legibus utentem autumat, lib. 2. cap. 8. *Histor. Tergest.* Nam *respublica* accipitur pro qualibet civitate, quæ legibus (non utique propriis sed Romanis) & magistratibus regatur, leg. ult. *Dig. de offic. Adsess.* In eā inscriptione nobilissimā expōnendā non semel quoque liberaliter deceptus est P. Irenæus: ut cum singularias literas V. F. significare ait *Vivens Fecit*, quæ interpretatio in sepulcralibus saxis locum obtinet, ut in superiore Cervoniæ nobis proximè recitato, non autem in decretis publicis, in quibus reddenda est, *Verba Fecit*, is scilicet, qui sententiam dicit, ut in hoc Tergestino Hispanius Lentulus Duumvir. Præterea cum Fabius Severus ab Imperatore Vespasiano impetrasset, ut Carni Catalique in curiam Tergestinam admitterentur, ac per hoc Civitatem Romanam adipiscerentur, ipse putat,

putat, parum sanè hoc titulo Tergestinorum gratiam promeritus, Severum obtinuisse, ut colonia Tergeste iisdem privilegiis frueretur, quibus Catali & Carni; cùm è contra his populis permitta fuerint jura & prærogativæ Tergestinorum. Aggenus de limitibus Agror. pag. 58. edit. Goesii simile quid narrat de Tudertinis, qui apud Principes egerunt, ut Fanestres incolæ, si essent alienigenæ qui intra territorium incolerent, honoribus fungi in coloniâ non deberent. Sed Fanestres hoc postea impetrarunt, ut eis liceret fungi honoribus. Porrò cum audis Carnos in hanc coloniam fuisse adscriptos, de Carnis ultra Timauum eidem conterminis intelligas velim; nam citerioribus Carnis nil rei cum Tergeste erat. Catali memorantur Plinio lib. 3. cap. 20. Ad dignitatem reipublicæ Aquilejensium pertinet hæc quoque inscriptio.

C. HELVIVS. IVLIANVS
IVLIAE. FORTVNATAE
CONIVGI. CASTISSIMAE
ET. INCOMPARABILI
HVIC. SPLENDIDISSIMVS
ORDO. AQVILEIENSIVM

• • • • •

Eodem illustri titulo *Ordo Aquilejensium* donatur in Polano lapide apud Gruterum pag. 788. 6. Ordinis nomine *Decuriones Civitatis* notantur, seu publicum consilium, uti vocat Pomponius in leg. 239. Dig. lib. 50. tit. 16. Quandoque *Senatus* nuncupatur, de quo inferius. *Decurionis Aquilejensis* mentio est in hoc funebri epigrammate.

L. FVNDANI. RVFI. DEC. AQVIL
FVNDANIA ATHENAES
ALVMNA. ET. HERES
In pago Agelli propè Aquil.

Centum Decuriones Capuz fuisse mèmorat Cicero
Agrar. 2. quo numero constitutos Aquilejæ Decuriones,

Ex Decurionibus sumebantur Quatuorviri, de quibus superius actum est. At mirum, cum hic magistratus supremus fuerit, Aquilejam *Consules* quoque habuisse. Tres inscriptiones Fabianum *Consulem* pronunciant, altera Quintianum. Coloniis & Municipiis consularem dignitatem ægrè permittunt viri docti. Vindel. pag. 272. ut à Burdigala Consulatum amoveret, hæc Ausonii carmina,

*Diligo Burdigalam, Romam colo : civis in hac sum,
Consul in ambabus.*

præter omnium veterorum codicum fidem, sic invertit:
Consul in hac sum, Civis in ambabus. Et Reinesius epist. 31. ad Rupertum pag. 160. putat Ausonium poctarum more loquutum, ac metri caussâ pro Duumviro *Consulem* posuisse. Em. Norisius Cenotaph. diss. 1. cap. 3. pag. 43. ad marmor Pisanum, cui Felix inscribitur COS. I. posteriori ætate pro Duumviris *Consules* creari cœptos suspicatur. Quod velis tempus nostræ inscriptiones respiciant, iis manifesta est Consulatus nota. Fortasse ipsi *Quatuorviri* Aquilejenses ad urbis majestatem & decus, aliquando *Consules* vocati. Exempla lapidum subiicio.

T. CAESERN
MACEDO
QVINTIAN
COS

COLLEGIO FABRORVM

D. D

Aquil. in cedibus Capodalei.

TROPHIMO
LIB
FABIANVS
CO-----

*Ad januam domus vulgo delle
due Torri.*

NAICO
SER
VNCTORI
FABIANVS
COS

*Ad S. Martini in pago Tertii
prope Aquil.*

PHÆBIANO
SER
MEDICO
FABIANVS
COS

In Platea Aquilejensi.

Postremam hanc inscriptionem in qua Phæbianus *Servus* dicitur *Medicus*, ægris oculis vidisset Sponius, qui à Servorum abiectâ conditione Medicos vindicare conatus est dissert. 27. Recherch. curjeus. d'antiq. à pag. 419. *Servus Vnctor*, de quo in aliâ, unguentis & oleis odoratis egredientes è balneo ungebat. Vide Pignorium de Servis pag. 38.

Ne alium quoque Magistratum Aquilejensem prætermittam, Feronium *Censorem* dedi in inscriptione recitatâ pag. 300. Censores in coloniis censum agebant, qui Romam deferebatur. Livius lib. 29. cap. 36. *Duodecim deinde coloniarum, deferentibus censoribus censum receperunt: ut quantum numero militum, quantum pecuniâ valerent in publicis tabulis monumenta extarent.* In Bithinicis civitatibus Senatum à Censoribus lectum scribit Plinius lib. 10. ep. 83. *Censor Civium Romanorum colonia Viètricensis legitur in 5. pag. 439. Censor Aletriæ p. 171. 8. Censor Tiburi 195. 2. & alibi.*

Nostrum Foro juliensem lapidem, qui penè manibus exciderat, iterum revoluamus. In quintâ lineâ T. Vettidius dicitur QVINQ. PONT. Doctissimi lapidum & numismatum interpres adversis sententiis pugnant in explicatione hujus notæ. Nonnulli censem legendum *Quinquennalis Pontifex*, adeoque in coloniis Pontifices ad quinquennium creatos. Alii duas expressas dignitates putant, ut Quinquennalis in coloniis fuerit, qui Romæ Censor dicebatur, quod quinto quoque anno crearetur: Pontifex verò sum-

mus Sacerorum minister. Cui sententiæ pondus facit auctoritas Card. Norissi in sæpius nuncupato opere Cenotaph. Pisan. diss. 1. pag. 73. Calculum quoque suum addit Vailantius explicans nummos coloniarum, qui hanc epigraphem præferunt: II. VIR. QVINQ. ITERUM. Ut intelligenda sit de Duumviris Censoribus in singula quinquennia creatis, non de magistratu per quinquennium gerendo, de nummis Coloniar. pag 6. 28. & 240. At Pater Harduinus de nummis Urbiuni & Popul. pag. 102. nummum Butroti C.PAET.QVINQ.ITERUM. interpretatur, C.Pætus *Quinquennalia iterum*; aitque ad ludos quinquennales esse referendum. Porrò in Antirrheto pag. 41. cum eo nomine reprehensus fuisset ab eodem Vaillantio in proximè laudato volumine pag. 78. cauſſatus Typographi lapsus fateatur legendum *Quinquennalis*; at priorem de ludis quinquennalibus, quibus edendis *Quinquennales* erant præpositi, opinionem non deserit. Interim subjicio inscriptiōnem Veronensem, apud Fabretum cap. 9. num. 488. in quâ Duumviri *Quinquennales* colonici cum Consulibus Romanis signantur, ut appareat utrumque magistratum supremum rei publicæ gerendæ esse intelligendum, nequam Censorum.

C. VITIVS. VISCI. L. NYMPHODOT
BERGIMO VOTVM
C. ASINIO GALLO. C. MARTIO. CENSOR
COS
C. SALVIO. APRO. C. POSTVMIO. COSC
II. VIRIS. QVINQVENNALIBVS

At quòd nostrum lapidem spectat, cùm nota Quinquennalitatis iunctim occurrit cum Pontificatu (& sæpius quidem occurrit, ut in superiori inscriptione Aquilejensi pag. 350. QVINQ. PONT. & apud Gruterum PONT. QVINQ. pag. 437. 5. pag. 449. 2. & pag. 479. 1.) tunc Pontificatum quinquennalem designari facile intelligo. Nam cùm in Col-

Collegio Pontificum minores alios Pontifices , quosdam etiam maiores fuisse constet , inter hos aliquis præcipuus & veluti præfectus per vices , saltem in Coloniis , creabatur , qui temporario hujusmodi honore fungeretur . Cicero in Verrinâ II. cap. 51. *Syracusis*, inquit, *lex est de religione, quæ in annos singulos Jovis Sacerdotem sortitò capi jubet: quod apud illos amplissimum Sacerdotium putatur* . Majus scilicet & præcipuum inter alia Sacerdotia . Mox idem Tullius cap. 52. *Cephaledi ait, mensis est certus, quo mense Sacerdotem MAXIMUM creari oporteat*. Idque in annos singulos, ut paucis interiectis lineis indicat . Apud Gruterum pag. 313.3. *Junio Postumiano Patri Patrum Dei solis invicti Mithræ Ordo Sacerdotum MAGISTRO suo monumentum dicat*. Quod Magisterium summum fuisse & temporarium docet alia inscriptio eidem Deo Mithræ nuncupata, pag.33.10. *SUMmus MAGister ANNI* . PRI-MI. Certè Tridenti Præfetus Augustalium non ultra quinquennium dignitatem prorogabat . Extat lapis apud Gruterum pag.479.6. *inscriptus C. Valerio PRAEfecto QVIN-Quennali AUGustalium*: & Albæ Juliæ pag. 105. 10. T. Laevius FLAMEN. SAC.Q. nimirum Sacerdos quinquenalis . Imò & Romæ hæc dignitas quinquennio definita ; nam pag.261.4. Albinus dicitur MAGISTER . ET. FLAMEN. *QVINQVENnalis* . Eadem consuetudo Collegiis & Corporibus artificum usurpata , quorum unus Magister & in summo actu erat , & quidem lustrali seu quinquennii spatio ut in l.7. de Pistor. & l.9. de Suariis Cod. Theod. Unde Magistri *quinquennales & quinquennalitii* , qui per lustra creabantur. Pag. 252. 6. *MAGISTRI. QVINQVENNALES. COLLEGI. FABRUM. TIGNAR. LUST.XIII.* & pag. 126. *insignis est lapis Ordinis Corporatorum* , ubi singula quinquenniorum intervalla *Quinquennalium adnotantur* . Alia exempla coaceruat Jacobus Gothofredus ad d.leg.7. de Pistoribus . Cùm itaque in Collegiis tam sacris quam profanis mos fuerit quosdam cooptare , seu Sacer-

dotes seu Magistros, ceteris collegis digniores, qui ad quinquennium durarent, ideo *Quinquennales* dicti, non video cur etiam in nostrâ coloniâ Foroijuliensi atque in aliis, unus aliquis statui nequeat *Pontifex Quinquennalis*, qui inter ceteros Pontifices præcipuus Sacra in quinquennium curaret. Quocirca hac de re, si tantum liceat, sic statuo: Cum coniuncta in vetustis monumentis hæc vocabula, PONT. QVINQ. offendimus, tunc una est dignitas, quæ *Pontificem Quinquennalem* designat. Si ea leguntur utcumque distincta, diversos honores & munia indicant. Ita in Mediolanensi pag. 479. 8. C. Valerius *Pontifex* erat, *Sacerdos juvenum Mediolanensem*, & denique *Quinquennalis*. Et pag. 394. 7. ubi Cominius scribitur PONTIF. ET. QQ. *Pontificatus & Quinquennalitatis munera demonstrantur*. Que exempla vir doctissimus attulit, ut in nostrâ notâ PONT. QVINQ. distinctas dignitates quareret.

Post Collegium Pontificum, ex quorum numero delectum hucusque vidimus T. Vertidium Pontificem quinquennalem, Collegium aliud Sacerdotum *Augustalium* in nostrâ coloniâ FOROJULIENSI stetisse, ex primo sepulrali epigrammate pag. 335. adducto cognoscimus. Ubi enim detritus est lapis, supersunt hi characteres... I. AVG. qui supplentur hoc modo: I IIII. AVG. nempe *Sevir Augustalis*. Inde in sexta linea Fabius Verecundus Phileti filius, expressè dicitur AVGVSTALIS; & demum in octavâ idem Philetus I IIII. *Sevir* est nuncupatus. Sodalium Augustalium originem confert Tacitus lib. 1. an. cap. 54. in annum V.C. 767. quem *novas ceremonias acceptasse* narrat, addito Sodalium Augustalium Sacerdotio, cui primùm adscripti fuerunt è primoribus Civitatis unus & viginti, ipseque Tiberius Cæsar. Exemplum sequutæ coloniæ partim adulandi calliditate, partim ambitionis sensu, collegia seu corpora Augustalium Sacerdotum, inter quos sex primùm nominati, ut ostendit Card. Norisius in *Cenotaph.*

taph. Pisan. diss. 1. cap. 6. *Seviri Augustales* dicebantur, instituerunt. Qui præterea demonstrat *Augustales* fuisse *Sacerdotes*, neutquam verò *Magistratus iuridicundo*, ut scripsérat Reinesius; à quo etiam discedit Valerius Chimentellus in eruditissimo volumine de honore Biselli ad marmor Pisanum cap. 40. Inter optima argumenta, præter Taciti testimonium, illud est, quod *jurisdictio* nunquam demandabatur *Libertis*, quos honore *Augustalitatis* potitos passim in saxis literatis legimus, & nostrum quoque ostendit. Unde vanus est timor Baudelotii de Dairval, qui in libello Gallico *Utilité de Voyages inscripto*, tom. 1. p. 238. dubitaverat *libertum* vocare *Licinium*, quem *Augustalem* dicit *inscriptio* ibidem producta, cùm *Augustalitatis honor*, inquit, nonnisi ingenuis sit tribuendus. Addam hoc loco *inscriptionem Concordiensem*, quæ *Libertum* simulque *Augustalem* prodit, ex schedis Vaticanis apud Fabrettum pag. 672.

A. RITIVS. A. L. TERTIVS. AVGVLSTALIS
TESTAMENTO. VIAM. STERNI. IVSSIT
IN. QVOD. OPVS. EROGATA. SVNT. HS. XXX

Vir idem doctus, pag. 405. *Sacerdotium probari* ait ex ipso *Augustalitatis honore* feminis collato, ut plura exempla docent: feminis namque *jurisdictio*, sed non *Sacerdotium* interdicebatur. Ex corpore *Augustalium* in *Coloniis* sex primū nominati, ut dixi, *Seviri Augustales* appellabantur; secus ac statuit *Velerus*, qui lib. 5. rerum *Vindelic.* pag. 275. postremæ editionis scribit *Augustales* tantummodò *sex* in unoquoque corpore fuisse. Quod ex nostro quoque lapide discimus, ubi *Fabius Verecundus Augustalis* nuncupatur, unus scilicet ex collegio *Augustalium*; homo verò, cuius nomen exedit *vetustas*, in eodem collegio *Foro-juliensi Sevir Augustalis* erat. Quod nomen *Seviri* absque notâ *Augustalitatis exsculptum*, adhuc *Augustalitatem* recon-

recondere putarunt viri docti, quos retuli. Horum auctoritatem non ausim solicitare, quamvis noster lapis secus suadeat, in quo cùm sculptor in tertiâ lineâ notam Augustalitatis adiecerit, quam omisit in octavâ, Seviratum hunc Augustalitate destitutum diversam fuisse dignitatem à priori Seviratu Augustali videtur indicasse. Eundem Seviratum solitariè expressum ostentat lapis Foro Juliensis C. Vellæxi, quem iterum produco.

C. VELLAEVUS. Q. L. EROS
SEX. VIR. ARAM. SEDILIA
STRATVM. DAT

Mirum profectò mihi est, in inscriptionibus Aquilejensibus, quarum uberrimam collectionem apud me esse superius memoravi, frequenter Seviroꝝ occurrere, at nullo uspiam Augustalitatis charactere honestatos. Haud equidem crediderim, Augustalium Collegio caruisse coloniam adeo illustrem, Romanisque moribus & religione imbutam, quæ cum præ ceteris Augustum Cæsarem impensè coluerit, restitutorem suum, simò & conditorem testata in insig-
gni lapide apud Gruterum pag. 152. 4. quemque semel atque iterum urbis amœnitate delectatum præsenti obsequio & veneratione prosequuta est, sacra etiam in ejus honorem & cultum instituta inter primas suscepisse, non est ambigendum. Quamobrem ubicumque in saxis Aquilejensibus I III. VIR. aliquis nominatur, nullâ additâ Augustalitatis notâ, eum nihilominus Augustalem fuisse, & ex sex primis inter Augustales facile coniicio. Ejusmodi octo exempla videre poteris in inscriptionibus mihi superius productis in Dissertatione de Beleno & Diis Aquilejensibus, pag. 263. 265. 270. 301. 304. & 314. Binas præterea hic subiicio, quarum prima una est ex translatiis Venetias in ædibus Grimaniis, secunda Aquilejæ extat ad S. Cosmæ.

LACE-

L. ACESTIO. L. L
SATVRNINO
IMM. VIRO
STATILIA. TIMELE
VXOR. FECIT

TIB. CL. ASIANVS
IMM. VIR. AQVIL
TVTILIAE. MEDAMAE
CON

At Foro julienſis colonia instituto in honorem Augusti Cæſaris Augustalium Collegio, addidit quoque Flaminem Augustalem. Extat apud Gruterum pag. 370. 1. inscriptio polita Sex. Aulieno FORO. JULI. FLAMINI. AUGUSTALI. Nostrum hoc esse Forum Iulii, non Gallicum, indicat ipſe lapis Venafri urbe Italæ collocatus. Ad coloniæ dignitatem pertinet, quod ævo Augusti & Tiberii, ut notatur in inscriptione, Sacerdotio Flaminico fuerit decorata, Flaminemque suum instituerit Aulienum, tot functis muneribus, quæ eidem inscriptioni recensentur, illustrem. *Flamen Augustalis Sacra Augusti, oppidatim inter deos consecrati*, ut ait Appianus lib. 5. bel. ciu. pag. 746. curabat; unusque erat in coloniis, distinctus à Collegio Augustalium, secus ac censuit Petrus de Marca de primatu Lugdun. num. 58. Non ausim de hoc Flamine plura dicere, cum enim Em. Norisius ad Cenotaph. Pis. dissert. 1. cap. 4. argumentum more suo profusâ eruditioſis copiâ pertractaverit, metam ingenii posuit.

Prima inscriptio Foro julienſis nos revocat, ut T. Vettidium alterius Vettidii filium, EQUO PUBLICO ornatum contemplemur. Profertur simpliciter absque verbo, quod genus loquendi frequens in saxis. Sicut enim ut obſervat Salmasius ad Capitolinum in vita M. Antonini cap. 4. aliquis Consularibus ornamentiſ ſe dicitur, cui consularia ornamenta delata ſunt, ita homo equo publico appellatur, pro equo publico ornatus, vel honoratus, ſeu tandem donatus, quas formulas usurpatas in vetuſis monumentis invenies. Nota hæc dignitatē equeſtre präſignat; & proinde T. Vettidius ex Ordine equeſtri in colonia

Fo-

Foro juliensi erat, uti adnotavit Card. Norisius ad Cenot. Pisan. diss. 1. cap. 3. Nam colonias & municipia hunc Ordinem habuisse celeberrimum, non dubitat Sighonius de antiq. iure Italiæ lib. 2. cap. 8. Equitum Romanorum Putteolis, & Teani Apuli, & Lucretiæ, & Arpini mentio in Ciceronis Cluentianâ, Cælianâ, & in epistolis invenitur. Alia exempla addit vir idem purpurâ & doctrinâ insignis, ex Plancianâ num. 8. & 26. Cæsare lib. 3. de bel ciu. cap. 71. Plinio lib. 1. epist. 19. Strabone lib. 3. p. 116. & Suetonio in Aug. cap. 46. Hos equites propterea *Municipales* vocat Juvenalis Sat. 8. vers. 237. Itaque in nostrâ coloniâ Ordo equestris præfulgebat; ejus enim civem fuisse Vettidium hunc Equitem, patri Vettidio tribus Scaptia in eodem elogio attributa manifestat. Illustrum alium Equitem prodit hoc quoque epitaphium, quo Cæciliam nobissimam gentem Fori Julii incolam agnoscimus.

CAECILIO. RVFINO. EQV. Q. CAECILII
RVFIN. PRAEF. FIL. QVI. VIXIT
ANN. X. D. XXIII. AVRELIA
GEMELLINA. MATER. F.
INCOMPARABILI. POS

Olim ad januam majoris Ecclesie. Locatellus ex Matheropio.

Observatione dignum est, Rufinum deceunem inter Equites adscriptum. In 4. pag. 1026. Sex. Gavium Proculum, qui vixerat annos XVI. *equo publico transuetum intuemur*. Et apud Capaccium lib. 1. hist. Neap. c. 10. lapis est positus C. Vellejo honorato *equo publico ab Imp. Antonino Aug. cum ageret etatis an. V. & M. Antonino sexenni honorem equi publici ab Imp. Hadriano delatum refert Capitolinus eodem cap. 4.* Porro Cæcilius pater Q. Cæcilius *Præfector* dicitur: at quo genere *Præfecturæ fuerit functus*, quadratarius nos ignorare voluit. Memorant pridem in Butrio, qui pagus est sexto ab urbe Foro juliensi lapide, detestam sepulturam quandam latericiam, in qua condita erat urna

urna, lachrymales ampullæ & cultri, cum inscriptione,
Q.CAECILIUS. Qui sanè is est de quo loquimur.

Hicce fortasse plus æquo prolixius disputatis, urbem nostram FOROJULIENSEM, coloniam fuisse demonstravimus. Præter enim Ptolomæum, summæ inter veteres Geographos auctoritatis Scriptorem, ipsa lapidum testimonia, gravis profectò & immotæ fidei calculum adiiciunt. Siquidem eam urbem, in qua omnes Coloniarum Magistratus & Sacerdotia, Quatuorviro, Pontifices majores & minores, Collegium Augustalium, & Flaminem comperimus, quis à Coloniæ Romanæ juribus, & dignitate dejecerit? Neque hæc sanè humilis, vulgarisque dignitas atque honor, opidulis quibusque in Romano Orbe communis, & magistratus ipsi è viliorum hominum militumque turbâ coaliti, ut nonnullis parcè antiquitatem versantibus placuit. Docti viri q̄amplurimi, qui urbes patrias scriptis illustrarunt, ab appellatione coloniæ decus iis quæsitus arbitrati sunt. Hos inter cum primis numerandus Marcus Velserus, suam Augustam coloniam militarem facere non erubuit, lib. 4. rer. Vindelic. & Vincentius Borghinus eos qui militaribus coloniis, quas inter Florentiam collocat Frontinus, labem inferre conati sunt, justâ dissertatione confutavit, tom. I. Originum Florentin. à pag. 421. Piget nobilissimas Urbes referre, in quas Romanus populus, & sequuti Cæsares colonias intulerunt; quæ sæpius, uti observat clarissimus Spanhemius in dissertatione centies laudata de usu & præst. numismatum pag. 57. eadem Metropoles & Coloniæ erant; passimque conjunctam videre est utramque prorogativam in nummis Antiochiae, Tyri, Sidonis, Damasci, alijsque pluribus. Nec coloniis splendidissimis ea appellatio dedecori fuit, cum numismata percusserunt, quibus natales suos concelebrabant, insculpto colono, seu Sacerdote aratrum junctis bobus agente, quod deductæ coloniæ symbolum est. Ne putas tantummodo penes nomen & prærogativam colonias vocatas; nam verè

colonos inductos eadem symbola demonstrant . Hujusmodi sexcenta exempla apud antiquarios spectare licet . Hinc in memoriam Conditorum, ut collata ab ipsis colonica jura & ornamenta testarentur, se *Beatas*, ac *Felices* in nummis & lapidibus inscribebant , atque Cæsatum conditorum cognomina affectabant ; unde quamplures Coloniæ *Julie*, *Augustæ*, *Flaviae*, *Æliae*, *Antoninæ* nuncupatæ sunt . Summo honori refert Tacitus quod Puteoli jus coloniæ quæsiissent lib. 14. an. cap. 27. *At in Italia vetus Opidum Puteoli jus coloniæ & cognomentum à Nerone adipiscuntur.* Profectò qui militarium coloniarum dignitatem labefactare nititur , is in antiquitate omnino hospes esse videtur. Quid enim si & obscuri nominis opida , cum militibus colonis aucta essent , ad amplissimum dignitatis & splendoris gradum erecta censebantur ? Do testem locupletem Strabonem lib. 3. pag. 141. *Hispalis claret , ipsa quoque Romanorum colonia . Ac nunc quidem emporium ibi durat: honore autem , & recenti militum Cæsaris eò missorum inhabitatione Bætis præcellit , quamvis non splendidè condita.* Neque Appulejus , quod Madauræ patriæ tribueret , præclarious elogium invenit, Apologiâ 1. *Veteranorum militum novo conditu , splendidissima colonia sumus .* Et sanè non video quid splendoris aut honestamenti coloniis , etiam militaribus , defuerit , quas Augustus jure ac dignatione Urbi quodammodo pro parte aliquâ adæquavit , teste Suetonio de ejus vitâ cap. 46. Unde illustre illud est elogium Agellii lib. 16. cap. 13. in fin. quo non majus aliud, aut præstantius ad earum dignitatem fingi potest , propter amplitudinem, majestatemque populi Romani , cuius ista coloniæ quasi effigies parvæ , simulacraque esse quædam videntur.

Hinc coniicias , an Ordo Decurionum , atque ex his delecti ad magistratus obeundos viri, projectæ fuerint conditionis & notæ . Cum coloniæ Romanæ ducerentur , ex quolibet ordine cives descriptos satis constat . Militares cum signis & aquila , & primis ordinibus, ac tribunis deducabantur-

cebantur, ait Hyginus de limit. pag. 160. edit. Goetli. Universæ scilicet legiones cum tribunis & centurionibus, ex Tacito Annal. 14. cap. 27. Milites & cives Romani, aut Civitate donati: Centuriones sibi ex ordine equestri, nonnunquam & ex Familii patriciis; Tribuni etiam digniores & nobiliores. Quod evoluenti potissimum vetustos lapides patere potest. Ubi plures quoque donati equo publico, quæ equestris dignitas est, occurunt. Cum ab Augusto milites in Siciliâ missionem peterent, hic pollicitus est unicuique suis in coloniis Senatoriam, seu decurionis dignitatem, ex Appiano lib. 5. de bello ciu. pag. 744. Sanè Decurionum ordo in coloniis sibi Senatus, & Decuriones Senatores dicti. In secundâ & quartâ Ciceronis Verriñâ coloniæ plures Sicilienses eam amplissimam appellatione decorantur. Senatorius ordo Puteolanorum est apud Tacitum Annal. 13. c. 48. quamquam eam vocem expungere tentaverit Ryckius in notis. Idem historicus memorat transisse Rhenum centum tredecim Treverorum Senatores, hist. 5. cap. 19. & Corbulonem Frisis imposuisse Senatum, Annal. 11. c. 19. Apud Rhemos idem nomen, ex Cæsare de bello Gall. lib. 2. cap. 5. Atque ut exemplum à proximâ coloniâ & finitimâ advocemus, Latinus Pacatus in panegyrico ad Theodosium laudat apud Hemonam conspicuos ueste niveâ SENATORES. Neque angustioris fortunæ homines inter decuriones accensebantur, sed quibus centum millium nummum census erat, ex Plinio lib. 1. epist. 19. Unde Imperator in leg. 53. de decurion. C. Theod. eos tantum cives deligi jubet, quos ad decurionum subeunda munera splendidior fortuna subvexit. Eam legeim eruditè exornavit Jacobus Gothofredus. In lapidibus saepe memoratur Senatus municipalis, ut Tiburtinus, Nolanus, Signinus. Evolute magnum Gruteri thesaurum: ubi etiam occurrit Amplissimus, & Splendidissimus, ordo coloniarum, quo titulo Aquilejensem ornatum vidimus. Jam equestrem Ordinem honestasse colonias, superius ostendebam. Porro

magistratus primi Ordinis ad dignitatis splendorem , & Romanæ majestatis imitamentum, fasces præferebant , saltem post primum Imperatorum seculum, uti adnotavit idem Gothofredus ad l. 174. tit. cod. & togæ prætextæ usu decorabantur .

Ceterum cùm Aquileja urbium maxima & florentissima famam hominum, Scriptorumque studia occupasset, vicinæ coloniæ *Foro juliensis* obscurior memoria, nomenque fuit. Præter lapidem illustri charactere Sacerdotii Flaminici ad tempora Augusti & Tiberii insculptum , de quo supra p. 367. , *Foro juliensis transpadanos* vix in transitu memorat Plinius lib. 3. cap. 19. Ptolomæus magnificenter *Forum Julii* coloniæ titulo exornat. An Plinius junior lib. 5. epist. 19. Paulini prædia, quæ *Foro juli* possidebat , laudans, ad nostrum respexerit , meritò quispiam quærat . Joannes M. Catanæus in notis ad hunc locum , Plinium loquutum fuisse de *Foro juliensisibus* cognomine Concubiensibus in Umbriâ, quorum est mentio apud Plinium majorem lib. 3. cap. 14. nullo argumento aut coniecturâ innixus autumat. Mihi nec studium erga patriam , nec Catanæi auctoritas tanti est, ut verear neutrum dicere, sed Forum Julii in Galliâ . Hanc urbem patriam fuisse Valerii Paulini , qui bello Vitelliano Civitates Galliæ Narbonensis in verba Vespaiani adegerat , tradidit Tacitus hist. 3. cap. 42. & 43. Ratio temporum monstrat, hunc ipsum eum esse Paulinum, ad quem Plinius scribit . Prædia ergo *Foro juliensis* eidem memorata rectius conieceris ea fuisse , quæ Paulinus in patrio solo possidebat . Præterea in hæc prædia destinarerat Plinius mittere Zosimum libertum suum, qui instanter pronunciando, dum , inquit, *nimis imperat voci, veteris infirmitatis tufficulâ admonitus, rursus sanguinem reddidit,* audieratque ab ipso Paulino esse ibi aerem salubrem , ac lac hujusmodi curationibus accommodatissimum. Huic morbo docent Medici frigidum esse inimicum: Hippocrates lib. 5. aphor. 24. aptum vero cœlum *densas* , ex Cornelio Celsfo lib. 3.

lib. 3. cap. 22. Unde veteres hujusmodi ægros mittere consueverant Alexandriam Ægypti, ut eo loco innuit Celsus, non solum propter navigationem, sed etiam propter cœli illius constitutionem, quod adnotavit Mercurialis lib. 2. de affectibus Thoracis cap. 3. ipsumque Zosimum illuc anteà miserat Plinius, unde *nuper confirmatus* redierat. Nequaquam igitur verosimile est, Zosimum destinatum ad nostros Forojulienses, aut in Umbriam; utrobique enim ob loca montana aer purus est & frigidus, Aquilonibusque perflatus; sed potius Forojulii in Gallia, quæ urbs maritima ob navigationem, & densiorem aerem aptior erat curandæ ejus ægritudini. In aliâ epistolâ ad Paulinum, ut hoc quoque obiter moneam, lib. 9. ep. 37. se excusat Plinius, quod Romæ esse nequeat, ut illum *Calendis Consulem* videat. Io: Fridericus Gronovius in notis, Calendas Januarias has esse putat. Sed falsò. Nam Calendis Januariis Consules ordinarii magistratum inibant. Nullus vero Consul ordinarius eo nomine ad hæc tempora in fastis occurrit. Arbitror hunc esse M. Lollium Paulinum Valerium Asiaticum Saturnium, tot nominibus per adoptionem quæsitus, quem Consulem suffectum cum C. Antio Julio Quadrato A.V. 846. Chr. 93. sub Imperio Domitian reponit Panuinius in Fastis lib. 2. Quod par Consulum signatur in lapide Gruteriano pag. 574. 6. Itaque Calendæ, de quibus Plinius, alterius omniuò mensis, quam Januarii, sunt intelligendæ.

Porrò Aquilejâ excisâ A. C. 452. cùm teste Diacono, quem superiùs recitavi, in ejus locum caput regionis *Forum Julii* haberetur, è latebris suis paullatim emersit. Theodoricus rex honoratis possessoribus & curialibus FOROJULIENSIBUS scribit, ut ad Alsuanum (fortè Alsam fluvium propè Aquilejam) trabes devehant, apud Cassiodorum variar. lib. 4. epist. 8. qui dūm Præfectum prætorio ageret, *vinum & triticum* quod in apparatu exercitus ex Concordiense, Aquilejense, & FOROJULIENSE civitatibus

bus colligi jussérat, ob provinciæ sterilitatem remittit,
 lib. 12. epist. 26. Anonymus Ravennas, quem ante duodecim annos publici juris fecit Placidus Porcheron è Congregatione Parisiensi S.Mauri, notisque illustravit, lib. 4.
 pag. 203. & 205. post Aquilejam reponit *Foro-Julio*. Scripsit hic auctor Geographiam suam à sexto ad septimum sæculum, ut coniicit illustris idem editor. Longobardis in Italiā irruentibus anno epochæ Christianæ 569. cùm Alboinus novi Imperii exordia poneret, primo & nobilissimo Ducatui *Foro-juliensi* instituto Gisulphum præfecit, sedemque principatus in ipsâ urbe *Foro-julii* stabilivit. Inde Docum *Foro-juliensium* celebris in Longobardorum historiâ, quam Paullus Diaconus prosequutus est, fama, atque ipsius Civitatis nomen inclarvit; quæ ab ipso Paullo nunc *Civitas Foro-juliana*, rursus *Opidum Fori Julii*, demum & *Castrum Foro-juliense* vocatur. Tunc quoque aucta est Civitas dignitate, cùm à castro Juliensi sedes Episcopalis illuc translata, posteà illustriori accessione Patriarchas Aquilejenses recepit. Nam Callistus Episcopo Amatore expulso, domicilium in eâ urbe regionis principe statuit, & insequuti ad undecimum usque seculum Patriarchæ. Per hæc tempora tūm *Forum Julii*, frequentius novo vocabulo *Civitas Austria* appellata est, atque in avorum memoriam retinuit. Nominis originem, in qua indagandâ nostri Scriptores immaniter aberrarunt, Justus Fontaninus in eleganti dissertatione epistolari *delle Masnade*, quod genus servorum apud nostros *Foro-julienses* fuit, nuper felici conjectatione detexit. Cum Longobardi sedem Imperii in urbe Ticinensi fixissent, eam regionem Italæ postremam, provinciam scilicet *Foro-juliensem*, quod ad plagam orientalem posita esset, AUSTRIAM nuncuparunt. Eo modo quo *Austria* & *Austrasia* ea pars Galliæ dicta, quæ ad Orientem erat, unde etiam *Orientalis Francia* appellabatur. Consule absolutissimum Glossarium du Cangii verb. *Austria*. In Codice legum Longobardorum apud Linden-

denbrogium lib. 2. tit. 21. §. 24. hæc decernit Luitprandus rex: & si per dies triginta pigrora ipsa, aut debitor, aut fidejussor recolligere neglexerit, si in AUSTRIA, aut in Istria fuerit &c. & tit. 55. §. 14. Qui de longinquo sunt, quomodo de Tuscia, & de AUSTRIA per noctes 24. quærat alium Sacramentalem, quem in loco ipsius ponat. quæ loca Foro juliensem provinciam omnino indicant, quæ Istria contermina est, nec uspiam in Italiâ regionem aliam Austriam appellatam reperimus. In vetusto hymno S. Hermagoræ hæc leguntur.

Sublimet Aquilegiam
Urbem, fouendo Austriam.

Atque in ejusdem actis Aquileja Austræ provincia urbs dicitur. Quam vocem importunè refixit Tillemontius, & Histriæ legendum putauit, in Historia Imperatorum Gallicè scriptâ tom. 1. not. 3. ad Neronem. Addo egregium testimonium Paulli diaconi lib. 5. cap. 39. Quod ille audiens, de Alachi Tridentinorum Duce loquitur, ... per Placentiam AUSTRIAM rediit, singulasque civitates. partim blanditiis partim viribus sibi socias ascivit. Hinc narrat, Vincen-
tiam & Tarvisium transgressum Alachin, ad pontem Li-
quentiæ omnes à Foro juli venientes (de urbe intelligit,
quam paullò ante à ponte Liuentiæ quadraginta octo
miliibus distare dixerat) sacramento adegisse. demùm, sub-
dit historicus, cum omni Alachis AUSTRIA ... castra
posuit. Igitur Austria provincia est Foro juliensis, & pars
Venetiæ eidem contermina, quas Alachis in societatem
diversis artibus traxerat. Inde ergo Foro juliensi urbi no-
men acceptum. Nam quòd provinciæ, quæ Austria à Lon-
gobardis appellabatur, caput & princeps esset, post Aquileiam dirutam, ut ex Paullo didicimus, ideo Civitas Au-
stria nuncupata est. Utriusque nominis profero locupletissimum testimonium ex tabulario nostræ Foro juliensis Ec-
clesiæ, vetustis superiorum temporum chartis refertissimo.
Diploma authographum est Henrici VI. Imp. an. 1195. ad

Pere-

Peregrinum Patriarcham, quod datum legitur, *in Civitate FORI JULII quæ dicitur AUSTRIA*. Hinc falsus est Palladius iunior, qui part. 1. histor Foroiul.lib.6. Civitatem ait cognomem *Austriæ* simul cum imperio Octocari Ducis *Austriæ* accepisse anno 1272. Itaque cum certum sit, nostram urbem *Civitatem Austriæ* appellatam, eadem illa est, quæ olim *Forum Julii* dicebatur. In charta Caroli Magni, quam profert Fontaninus, anno 801. Paulino Patriarchæ directâ, memoratur *Xenodochium*, quod *Dux Roduald* edificavit in FORO JULII vocabulo *S. Johannis*. Adhuc apud nos est Ecclesia sub eodem titulo *S. Johannis in Xenodochio*. Ludovicus & Lotharius Impp. anno 830. Monasterium Virginum *S. Mariæ in Valle* situm intra muros *Civitatis FOROJULIENSIS* iuribus Patriarchæ Maxentii ad dicunt. Anno 1015. Johannes Patriarcha Præposito & Capitulo *S. Stephani* in Civitate FORIJULII villam, seu pagum frequentissimum *Præmariaci*, qui adhuc sub eius dictione est, donat. Utriusque Chartæ exempla videre est in eodem tabulario. At ubi gentium uspiam est Monasterium *S. Mariæ in Valle*, quod hodie quoque eo nomine insinuitur, aut Capitulum *S. Stephani*, quām in nostrâ Urbe? Porrò simplici vocabulo fuit quoque appellata CIVITAS, per excellentiam, ut ait Cluverius, tanquam regionis caput. Sexcenta huiusmodi exempla in nostris Chartulariis prostant. Bina indico iuris publici, alterum apud Ughellum Italæ Sacr. tom. 5. col. 712. secundum apud doctissimos Continuatores Bollandi tom. 1. lunii pag. 783. Hinc *Civitas corrupto nomine* apud nostrates in *Civitat*, & *Cividat* abiit, quæ ad politiorem *Italicæ* linguae modum traducta, demum *CIVIDALE del Friuli*, ut ab alio *Cividale Bellunensi* distingueretur, vocata est. Hoc nomine pridem quoque, antequam Austria diceretur, nuncupatam scribit eodem loco Palladius iunior. Innumera quotquot super sunt, eorum temporum monumenta securus appello, in quibus nusquam *Cividale* occurrit, ubique vel *Forum*.

Julii, aut *Civitas*, seu *Civitas Austria*, & incolæ *Civitatis*. Hinc alter Palladius, cui æquè hæc nomina molestè in aures insonabant, historiam suam purioris latinitatis laude commendatam, maluit barbarismo inficere, nostram urbem passim vocando *Cividale*, incolasque *Cividalenses*, quam antiquioris nomenclaturæ dignitatem fateri.

At nolim, dum vasa colligo, rursus in campum vocari, & *Forum Julii* aliò traductum, ut memoravi pag. 323. invidiosâ concertatione in suas sedes vindicare. Satis erunt apud æquos estimatores quæ retuli. Plura certè proferre possem; sed olim confecta res est, quam ulterius nequam sollicito, ne caussam jam in tuto positam videar importuna defensione corrumpere. Tantùm monitos cupio, quibus otii aliquid ad has municipales controversias superest, quæstionem hanc de Foro; julio sub initiu expirantis seculi fuisse excitatam, occasione apud nostrates in vulgo notâ; cum ante id temporis nemini unquam Scriptorum Utinensium in mentem venerit, alibi quâm in nostrâ urbe *Forum Julium* querere. Proferam aliquos ex ipsis Civibus Utinensibus, summæ dum viverent, apud eosdem auctoritatis, & præcipui nominis testes, fideique incorruptæ, utpote quos studia postmodum exorta atque affectus, novusque contentionis amor nondum fregerat. *Joannes Candidus*, qui primus Commentarios Aquilejenses in literas misit typis Venetis an. 1521. ingenua nobilitate spectatus, & animo juxta ac nomine candidus, *FVLIO* *Castrum*, ait lib. 1. pag. 3. modo est *Civitas Austria*, quam *FORUM JULIUM* rursus vocat lib. 3. prope finem. *Quintius Æmilianus Cimbriacus Poëta* insignis, dum literas humaniores apud nos doceret, amico M. Antonio Sabellico scribit ex *FVLIO*, inter ejusdem Sabellici epistolas 1. lib. 4. *Marquardus de Susannis* celebris I. C. in tractatu de Judæis secundæ impressionis Venetæ ann. 1568. quem etiam insertum invenies inter Tractatus magnos juris t. 14. pag. 70. de *Attilâ* loquens, part. 3. cap. 12. post Aquilejam,

Vide ha-
rum om-
nium anti-
quissimum
tellimoniu-
m in calce
Operis post
Indices.

